Supp. 60230/e


JOHN BROWN




N Septentrio
NE
Aquilo
Boreas
Subsolanus
Exortus
E
Æquinoctialis
Ἀπηλιώτης
decumanus
Vulturnus
SE
S
Auster
Cardo
Cardo
SW
Libs
Africus
W
Occasus
Æquinoctialis
Ζέφυρος
Favonius
Limes
NW
Caurus & Corus
Ἀργέστης

HUXHAMII OPERA

LATINA & ANGLICA.

EDIDIT

J. C. HUXHAM, *A. M. R. S. S.*

LONDINI:

Proſtant venalia JOAN. HINTON, ad Arma Regia in vico dicto Pater-noſter Row,

MDCCLXXVIII.

LIBRARY

PROLEGOMENA.

OMNIUM Animantium Vitæ nihil æquè neceſſarium eſt ac ipſe Aër communis, quo ſine ne vel per paucula Momenta protrahenda eſt. Cum verò maximas is variaſque ſubeat Mutationes, harum Notatio & Hiſtoria non poteſt non eſſe Medicis ſummoperè utilis: quod optimus ille quidem, Artiſque noſtræ vetuſtiſſimus Magiſter, Hippocrates, nobis præcepit, atque præclaro commendavit Exemplo; quippe qui, in genuinis Epidemiorum Libris, Aëris Conſtitutionem Morbos vulgares antecedentem accuratè præſcripſit. Idque Jure ſanè merito: Cauſæ namque Morborum ferè omnium Epidemicorum ſunt Conſtitutiones Atmoſphæræ depravatæ; etiam ipſorum, qui propriè contagioſi vocantur, Incrementum & Duratio ex eâdem Cauſâ maximè pendent. Nonne enim uno Anno, in hâc Urbe, aut hoc Oppido, unum tantùm, alterumve, Variolis nempe, aut Morbillis, correptum videmus, alio autem, ab uno incipientem, Labem in innumeros diſſeminatam? Ita ut Aër ipſe arcere, aut fovere, videatur ipſum contagium: Ignis veluti Scintilla, Fomiti injecta idoneo, immenſum quantum Flammæ accendit undique! Humidæ contrà occurrens Materiei extinguitur protinùs.

Quid ſit quidem τὸ Θεῖον iſtud Hippocratis veterumque Medicorum, pro Cauſâ Morborum peſtilentium acceptum, haud probè ſcio. Si velint verò, nonnullis ut placet, peculiare aliquid ab irato Numine rebelli inflictum Populo, in Vindictam violatæ Legis, id utique Precibus humillimis, factâ certè, non fictâ, Pœnitentiâ avertendum eſt: quandoquidem vix ullus Medicinæ Locus, aut Spes ſit ulla.

Sed hoc mittamus, utpote paulò abſtruſius, & videamus breviter certos & manifeſtos Aëris Effectus in Corpora noſtra; unde quàm neceſſaria ſit Medico *Atmoſphæræ* Conſideratio & Obſervatio facilè patebit.

Primò igitur. Reſpiratio, in quâ quaſi Vita ipſa conſiſtit, Ope Aëris perficitur omninò: Veſiculas nempè Pulmonis dilatando vias facit patulas toti circulanti Sanguini, qui hic maximam ſubit Mùtationem. Factus enim lentus nimis & craſſus ob tardum admodùm per Venas majores motum, *Chylo* etiam crudo refectus, è dextro Cordis Ventriculo minùs aptus *Circulationi* & Corporis Nutritioni expellitur. At per innumerabiles minimaſque Pulmonis *Arteriolas*, reticulari Plexu Veſiculas pulmonares texentes, diſtributus omnigenam ibi patitur Compreſſionem; partim ab inſpirato Aëre, à renitente Sanguine partim, & ab ipsâ partim Vaſculorum Contractione; iiſque omni Momento variè agentibus; ita ut in Pulmonibus miſceatur omni modo & conquaſſetur Sanguis, atque *Moleculæ* ejus craſſiores inde comminuantur maximè. Hîc etiam præcipuè Globuli Sanguinis rubri componi videntur è ſex (uti per Microſcopium patet) minoribus, ſive *Seroſis*, more quo Globulum Argenti vivi majorem è minoribus formamus: quod ipſum quoque vim quandam quaſi & Compreſſionem poſtulat. Ibi porrò recentis *Chyli* Particulæ conteruntur, ita ut globoſæ tandem fiant, ac animalem induant Naturam: quæ omnia ulteriùs perficiuntur Actione Expirationis, Pulmone nempè ſe corrugante, atque Coſtis collabentibus preſſo.

Adeò ut hoc viſcus præcipuum *Sanguificationis* Organum æſtimari debeat: non mirum ideo ſi, qui Infirmitate Pulmonum laborant, *Cachectici* fiunt & Hydropici, nec ſi, qui corruptum inſpirant Aërem, morbidi.

Comminùtio hæc & Attritus, ac ipſius *Chyli Sanguificatio* (ſit venia verbo) in Pulmonibus ſunt omnino neceſſaria ad Uſus Naturæ, cùm ad Nutritionem, tùm ad motum Muſculorum; quia neutrum horum perfici videmus ab ullo Sanguine, niſi poſtquam Pulmones tranaverit:

hoc enim notandum eſt ab *Arteriis Coronariis* ad ultimos uſque Ramos *Aortæ:* ad hunc finem Animalcula quædam Spiracula habent pulmonalia à Capite ad Caudam uſque.

Secundò. Aër non ſolùm ab *Effluviis* noxiis purus eſſe debet, ſed & juſtæ inſuper Gravitatis & *Elaſticitatis*, ut Pulmones diſtendat ſatis; nec tamen enormis, ne eos opprimat. Utcunque enim gravem valde, vel levem, *Atmoſphæram* commodè ſatis ferant robuſtiores; monteſve incolant, imaſve valles integri: non ita tamen infirmi, quibus harum Rerum paulò curioſior debetur Æſtimatio. In Medicinâ utique faciendâ vides & quibus Boreas, *Mercurium* in *Barometro* attollens, officit maximè; vides & quos, cum *Mercurio*, deprimit humidus Auſter. Sed de his infra; hic ſolùm obiter notans altiores Habitationes illis eligendas eſſe, his humiliores, cætera ſi paria ſint: pro Ratione enim ſitûs, Aëris incumbentis Columna magis, minuſve, producitur; adeoque Preſſura ejus magis, minùſve, intenditur: hinc aliqui prope Mare meliùs ſe habent, alii Locis in montanis.

Tertiò. Aër etiam Reſpirationi idoneus non nimis calidus eſſe debet, nec ultra modum frigidus: eſt enim Aëris inſpirati temperare Sanguinis Calorem, qui aliter fervendo putreſceret citò, ut patet ab Experimento præcellentiſſimi Boërhaavii in Hypocauſto capto (vide Chem. capit. de Igne Experim. xx. Corollar. 16.) Si Aër enim ſit magis, aut æquè calidus ac Sanguis alicujus Animalis, intra pauxillulum Tempus moriatur, neceſſe eſt.

Nec ſolum Sanguinem refrigerat Aër, ſed, ne nimiùm ebulliendo vaſa perrumpat, impedit, eum nempe condenſando. Atque hoc utique permagni eſt momenti, ſi cum doctiſſimo * Helvetio ſupponimus dexteri Cordis Ventriculi Capacitatem majorem eſſe Cavitate ſiniſtri, eamque pariter Arteriarum *pulmonicarum* multo excedere iſtam Venarum reſpondentium: nam conſequitur inde, quod Sanguis debeat ab Aëre inſpirato eſſe valdè denſatus, ut æqualis Cruoris Quantitas æquali

* Vide *Eclairciſſemens concernant la maniere dont l'Air agit ſur le Sang dans les Poulmons.* Paris, 4to, 1728.

eodemque Tempore recipi poſſit à Venis *pulmonalibus* & Ventriculo Cordis ſiniſtro; pulſus ſcilicet Corde dextro per capaciores pulmonis Arterias.——Hoc quidem plurimi negant contrarium omninò ſtatuentes. Eſt tamen neceſſe prorsùs ut Aorta ex Ventriculo Cordis ſiniſtro tantum recipiat Sanguinis, quantum è Ventriculo dextro per Arteriam pulmoneam pellitur, idque æquali eodemque Tempore: fatale aliter Diluvium Pulmones obrueret brevi; quoniam utriuſque Ventriculi Syſtole eſt Synchronica. Aortam ideò & Arteriam pulmonarem invenimus ſemper Diametro quàm proximè æquales, modò ſint in Statu Naturali. Ob hanc igitur Cauſam Ventriculorum quoque Capacitates debent eſſe æquales, ut eodem etiam & æquali Temporis Spatio æquas poſſint recipere Sanguinis Quantitates. Eadem perinde Ratio neceſſaria videtur inter Arterias & Venas pulmonares (quod enim protrudunt Arteriæ, tranſmittunt Venæ). Nulla ſaltèm datur neceſſitas, cur hæ Venæ factæ ſint Arteriis capaciores: nam Aër ipſe communis, quatenùs Sanguine frigidior multo, eique per omnem intimumque Pulmonem Inſpiratione applicatus non poteſt non Sanguinem condenſare: tantum utique, ut reprimere ſufficiat nimiam ejus Effervefcentiam; cui quidem propter magnam Cruoris Agitationem, ac proindè Calorem, aliàs foret obnoxius valdè. Hinc Aſthmatici Auram quàm frigidam haurire coguntur, urgente Paroxyſmo: (ubi nempe Sanguis nimis in Pulmonibus turgeſcit) ne protinùs accederet Suffocatio. Sic qui Febre ardente laborant, qui Curſu, aut Luctatione validâ, perturbant Humores, longè frequentiùs ſolito reſpirant: ut frigido novoque Aëre, creberrimè attracto, ebullientem Sanguinem refrigerent ſatis, eumque debitos intra Cancellos coërceant.

Vis adeò inſpirati Aëris tantùm condenſare Sanguinem in Pulmone debet, quantùm vehemens ibidem particularum Attritus, ac maſſularum Comminutio, iſtum expandit: nimiam aliter in molem aſſurgeret rarefactus Sanguis; quod idem eſt ferè, ac ſi redundaret ipſa Quantitas. At cum Ventriculus Cordis ſiniſter par ſolùm eſt dextro, quî capere poteſt auctam hanc molem? Si non, quæ inde Ruinæ?

Quod

Quod Ratio ſuadet, fida docet Cadaverum Inſpectio, ubi Vaſa Cordis & Pulmonis ſicut deſcripſi inveniuntur, ſi ſanis in Animalibus, recentiſſimè demortuis, quæruntur. Iniquè verò admodùm, diu poſt Mortem comparantur Venæ & Arteriæ ejus congruæ Diametri; huic enim ob Structuram longè magis *elaſticam* ineſt contrahendi vis maxima, illi autem longè minor: hinc Arteriæ Sanguinis, ſaltem *Seroſi*, vacuæ ferè inveniuntur & conſtrictæ; imò ſi Siphone, injectâ nempè Cerâ, replentur utræque, Arteriæ multo magis quàm Venæ reſiſtunt, nec ideò æqualem admittunt Diſtenſionem. Idem de Ventriculis Cordis dicendum eſt, quandoquidem ſiniſter craſſior multo eſt, adeoque longè fortior dextro.

Ex iis jam, quæ ſuprà dicta ſunt, liquet ſatis quàm utile eſt Ægris, præcipuè febricitantibus, Auram frigidiuſculam, fervente potiſſimùm Æſtate, ſubminiſtrare. Vidi ego multoties Anxietates & Languores *febriles* momento ferè depulſos, Feneſtris tantùm apertis, quibus imprudens nutricula Spiritibus (uti dicitur) *volatilibus* perperam omninò mederi ſatagit; imò tunc adeò non juvant *Cardiaca* calidiora, ut etiam maximè noceant; longè meliùs enim Inſpiratione Auræ frigidæ, & miſſione nonnunquam Sanguinis, abiguntur: quia ortum habent ſæpiſſimè à Congeſtione & nimiâ Sanguinis Rarefactione in Pulmonibus. Oportet verò ut Aër, Pectori ſaluber, non ſit nimiùm frigidus. Joſephus d'Acoſta refert Aërem ita frigidum eſſe Altiſſimum quendam ſuper Montem Peruvianum, ut uno ſolùm Flamine Sanguinem ſæpè in Pulmone congelet.

Imò Hyberna Frigora Europæ, in Plagis potiſſimùm borealibus, *Pulmonias* exitiales inferunt ſæpiſſimè; quin etiam aliquando, non tantum Pulmones, ſed & Artus etiam ipſi, ex Frigoris vehementiâ, Gangrænâ corripiuntur. Peregrinantibus igitur per frigidam valdè *Atmoſphæram* opportunum eſt maximè Liquores tepidos eorumque Vapores ſorbere frequenter; ad debitam nimirùm Laxitatem Vaſorum *pulmonalium* & Sanguinis Fluorem conſervandum: Haud utique Au-

ram

ram gelidiorem impunè reſpirant jejuni, diras inde profectò novi Peripneumonias.

Hæc hactenus de Aëris Potentiâ in Pulmone; jam quæ ſit in totum Corpus paucis videamus.

Primò itaque; conſideremus Aërem, quatenùs grave quoddam fluidum in nos perpetuò incumbens, haud minore quidem Pondere Hominem mediocris Staturæ premens quàm Librarum 32000, immane quantum Pondus! quod ex nobis quicquid eſt Liquoris exprimeret, ni Preſſura foret æqualis undique, ni ex æquo reſiſterent incluſi Humores. Hoc autem ſapientiſſimus noſtrûm omniumque Conditor, Deus, nobis fecit ſalutare maximè; nam & totam Corporis Compagem confirmat, & humores ejus coërcet; imò vel hâc ipsâ Preſſurâ (ut ego ſanè ſentio) haud parùm promovet ipſius Sanguinis circuitum: Siquidem totum Corpus ab incumbente *Atmoſphæra* comprimitur aſſiduè, totus ideò ejuſdem cruor per Venas verſus Cor urgeatur neceſſe eſt, quum non poſſit, per Arterias, Cor petere retrorsùm propter obſtantes Valvulas. Tam parùm utique motûs originalis à Corde accepti, in Venis majoribus, Sanguini reſtat, ut vix Cor aduſque ab imis Pedibus, ni ad Æquilibrium tantùm perficiendum, aſcenderet; (per Venas nimirùm cum Arteriis continuatas, quaſi per Siphonem inverſum, cujus crura æqualis ſint Altitudinis) ita tardus ſanè ibi eſt Sanguinis Progreſſus, ut in Venis Artuum Valvulæ frequentes occurrant, ad Onus nempe incumbentis Sanguinis excipiendum, ne fortè relaberetur. Haud ergò ex ſe ſolo polleret (ut mihi videtur) vim propriam conſtringentem Cordis ſuperare, ne dicam irruere in ejus Ventriculum, eumque dilatare.

Sanguinis ideò momentum adjuvat aſſidua *Atmoſphæræ* Preſſura, more velut *Antagoniſtæ* agens contra vim Cordis inſitam & validè conſtringentem, quod plùs, minùſve, omni *Sphinčteri* Muſculo proprium eſt. Cùm primùm enim, ope Inſpirationis, explicatus Pulmo Locum dat expellendo è Corde Sanguini; facto nempe in Ductibus Pulmonum Sanguineis momentaneo quaſi Vacuo, continùo in Cor dextrum impellit

pellit Sanguinis quantum facile capit Pondus *Atmoſphæræ*, totum Corporis habitum comprimens ſemper. Eodem porrò ipſo momento irruens, undique premens, & *elaſticus* Aër haud exiguum addit impetum rapidiſſimis, per Pulmonem currentibus, Sanguinis Rivulis, ejuſque Momentum tantùm adauget, ut vel vim Cordis ſiniſtri ſubigere poſſit: longè enim * longèque velocius currit Sanguis per pulmones quàm per *Aortæ* Ramulos.

At de his ſatis; cùm non ſit hujus Opuſculi accuratam circum acti Sanguinis Hiſtoriam perſcribere: hoc ſolum, hîc obiter, denotare volebam, Compreſſionem *Atmoſphæræ* eſſe unam ex multis, eamque haud contemnendam Cauſam circuitûs Sanguinis, quantùmque immoderata Gravitas Aëris aut Levitas, accelerare Sanguinem, aut retardare, poteſt.

Quum verò ab Hiſtoriâ *Barometri* clariſſimè pateat, quòd *Atmoſphæræ* pondus uno Tempore majus eſt quàm alio, Ratione fere $\frac{1}{10}$ totius Columnæ *baroſcopicæ*; non poteſt non eſſe quin tanta Differentia nos, ſub eâ verſantes, afficiat maximè: quandoquidem haud minoris eſt iſta quàm Pondo Librarum 3200, cujus dimidium ſanè, vel perpaucas intra horas, ſentimus ſæpiſſimè. Suprà verò monſtratum eſt pondus *Atmoſphæræ* multùm conferre ad *Circulationem* Sanguinis promovendam: major ergò ejuſdem Gravitas Motum Cruoris auget, minor autem minuit. Hinc fit, quòd dum Cœlum ſiccum ſit atque ſerenum; id eſt quando debitâ Gravitate & *Elaſticitate* præditus ſit Aër, alacres nos vegetoſque percipimus: auctâ namque Sanguinis Velocitate, cæteris paribus, Secretiones noſtræ naturales & *Evacuationes* augentur, præcipuè *Perſpiratio* (ut dicitur) *Sanctoriana*, quam, modò ſit ordinata probè, conſequitur Corporis & Animi Vigor. Major porrò in Corpora noſtra Preſſura Vaſa ſanguinea coarctat per totum Habitum Corporis externum, quod Effectu idem eſt, ac ſi Sanguinis ipſius Quantitas fuerit adaucta: nam non ſolùm motos Humores incitat, ſed & etiam quo magis premitur Habitus exterior, eo plus Sanguinis

* *Vide* Hales's *Hæmaſtatics*, *Experim.* x.

ad

ad interiores & maximè vitales Corporis Partes adigitur, unde fortior evadit earum Actio. Ideò non ſolùm in Pulmone meliùs lenteſcentem ſubigit Sanguinem crudumque *Chylum* purus & *elaſticus* Aër, ſed per totum quoque *Syſtema* Vaſorum. Verum enimvero ſi permagna Gravitas Aëris & *Elaſticitas* longo perdurat Tempore, Morbos producit ab aucto nimiùm Sanguinis Motu; cujuſmodi ſunt Pleuritides, Peripneumoniæ, Anginæ, Febres ardentes, atque id Genus alia: idque potiſſimùm accedentibus aliis Aëris Qualitatibus, Frigoris ſcilicet, aut Caloris; ut videbimus infrà.

Secundò; contrà omninò contrarias Corporis Affectiones infert Aër debitæ Gravitatis & *Elaſticitatis* expers: nam ſequitur inde tardior Sanguinis *Circulatio*, diminutæ Secretiones, impedita *Perſpiratio*, Lentorque tandem nimius humorum. Hinc ille Corporis & Animi Languor, quo fere afficimur omnes, dum talis adeſt *Atmoſphæræ* Conſtitutio; quæ porrò, perſiſtens uſque, iſta omnia auget indies: imò vel ipſa mala, Cauſæ originali ſuccedentia, ſe mutuò promovent aſſiduè: demumque his omnibus accedunt Affectus *hyſterici & hypochondriaci*, Febres intermittentes, remittentes, putridæ, lentæ, *nervoſæ, petechiales*; Morbi denique omnes à nimio Lentore Sanguinis & ſegni ejus Circuitu pendentes.

Quoniam verò omnes *Atmoſphæræ* effectus, qui à Gravitate ejus, aut Levitate, oriuntur, vim plurimam ab ipſius ſecundariis Qualitatibus, frigore putà, aut Calore, Humiditate, aut Siccitate accipiunt; pauca quoque de his dicenda ſunt.

1. De Aëre frigido & ſicco.

Omnia, quæ ſaltem attingit, Corporis vaſa frigus coarctat: idem iſte Annulus, quem Æſtate vix digito induis, Hyeme frigidâ excutitur facillimè: ſupputa jam à contractione parvulæ iſtius partis quantum patitur totum. Vaſa autem conſtricta longè fortiùs vibrant in contenta fluida, quàm ſi ſint relaxa; à Frigore nempè Fibrarum *Elaſticitas* augetur, adeoque major contractio vaſorum & Humores magis atterit, & eorum ſimul accelerat motum: nam ut ſunt vaſorum capacitates inter

ſe,

ſe, per quæ eadem cruoris Quantitas, eodem Temporis ſpatio, fluere debet; ſic ſunt quoque, inverſâ Ratione, Liquidi iſtius Velocitates; diminutâ adeò capacitate Velocitas augetur.

Quod verò Sanguinem attenuat, ejuſque Velocitatem adauget, Secretiones fluidiores & Excretiones debitas promoveat neceſſe eſt, unde Functiones omnes Animales evadunt validiores. Quoniam verò hæc eadem facit gravis & *elaſticus* Aër, cui frequentiſſimè quoque adjuncta eſt & frigiditas *Atmoſphæræ*, & ſiccitas, unitâ vi Effectus edunt majores; adeò ut, dum conſpirant unà, ſæpe demum ſubſequatur vis Vitæ, quàm vel par eſt, fortior; quæ tandem proinde ſuis & ipſa viribus ruit. Tam validus enim ſolida inter & fluida oritur Attritus, tam rapidus Sanguinis curſus; corrugatâ inſuper à frigore cute, tanta diſſipatio humidiſſimi, craſſiſſimi autem Retentio, donec fit cruor acris valdè & maximè viſcoſus: dumque in vaſa urgetur inepta morbos omnigenos *inflammatorii* Generis parit. Idque præſertim, cum immodica *Atmoſphæræ* ſiccitas nec moderantem Fibris, nimiùm rigidis, Fotum præbet, nec Sanguini diluentis Humiditatis ſatis, quæ, dum ſuppetit, per cutis *Poros* attrahitur aſſiduè.

Quod tamen quibuſdam nocumento eſt maxumo, plurimis inſervit maximè, dumque hos Febres acutæ, *pleuriticæ*, *peripneumonicæ*, alios graves Aſthmatis, *Rheumatiſmi*, aut Arthritidis, Paroxyſmi corripiunt; illos, firmoſque ferè omnes, alacres magis ſanoſque reddit Aër ponderoſus, frigidus, ac ſiccus: nec incitat aliquid magis grave Belgarum vulgus quàm rigidum, diuque durans, Gelu; tunc Temporis enim vel cum lepidiſſimis Gallis Feſtivitate concertant. Hoc olim notavit Coüs Senex, Aphoriſm. 17. Sect. 3. quem ſic vertit Cornel. Celſus: "Aquilo ſanum Corpus ſpiſſat, & mobilius atque expeditius reddit."

2. De Aëre frigido & humido; qui nobis quidem officit multùm, quatenùs Frigus ejus Corporis *Poros* conſtringit, eoſdemque Humiditas occludit; horum alterutrum *Perſpirationem* impedit plurimùm: etiam ipſa Corpora *Electrica* in Aëre humido longè parciùs, quàm in ſicco, Effluvia emittunt. Quàm noxia ſunt madida frigidaque Induſia, & Lodices, nemo non nôrit.

Imbrica porrò & pluvia tempeſtas Gravitatem *Atmoſphæræ* minuit, Humor ejus nimius vim Fibrarum enervat; utraque impetum Sanguinis impediunt, ac debitas proinde Secretiones & Excretiones. Hinc gignitur ſeroſa Colluvies, Deſtillationes inde ſequuntur & Tumores Faucium, Tuſſes & Anginæ, aliaque multa. Denique, ſi talis Tempeſtas manet diu, Febres *catarrhales*, intermittentes, putridæ, lentæ, *nervoſæ*, ingruunt; ni per Cutim (quod optimum) aut Urinam, aut per Alvum, exterminentur tempeſtivè retenti Humores: priuſquam ſcilicet putreſcere incipiunt.

Nec more ſolùm deſcripto nocet algida udaque Aëris Temperies, ſed & ipſa gelida Humiditas in ipſum Corpus attrahitur. Vel ipſe Medicinæ Parens, Hippocrates, hanc Corporis imbibentem Facultatem, bis mille abhinc Annis aſſeruit; dum ſcilicet ὅλον τὸ Σῶμα non ſolum ἔκπνοον, ſed & εἴσπνοον, eſſe pronunciavit: quæ verba ipſe Galenus de Aëris ingreſſu per Cutis *Poros* interpretatur. Id verò abundè Experimenta probant, neque enim alia patet via Argenti vivi, aut Terebinthinæ particulis in Sanguinem, niſi per ipſos Cutis *Poros*; modò ſint illitæ ſolùm, aut vel ſub Formâ Vaporis allectæ. Hoc idem ſatis ſuperque confirmant Tentamina acutiſſimi Jacobi Keilei noſtri; quinimò Humoris gelidi Abſorptionem, ſummâ cum Probabilitate, poſuit pro Cauſâ frequentiſſimâ iſtius Corporis invaletudinis, quæ vulgò *ſuſceptum Frigus* nominatur: ipſis nimirum Particulis frigorificis (ſi placet Nitroaëreis) unà cum Humore abſorptis, quæ Sanguinem Lymphamque vitiant.

An verò datur reverà Principium aliquod frigorificum, Sal nempe Nitro-Aëreus, ut à Mayow vocatur, ſive ullo alio Vocabulo id nominabis, eximios inter Philoſophos dubitatur: Cauſam nempe omnis Frigoris ponentes in Privatione ſolùm Motûs & Caloris. Hæc tamen Sententia haud mihi Herclè prorsùs arridet: nam poſce modò, num in Calore aliquid magis poſitivum eſt quàm in Frigore? nonne utriuſque æquè ſubitanea & æquè certa Senſatio eſt? quod forſan non adeò eſt explicatu facile à ſolâ motûs Ceſſatione: nec ex merâ Privatione, aut Relatione, poſitivi fluunt Effectus, at è Frigore plurimi: Corporum quorundam Expanſio, quorundam Condenſatio, permanens

mutatio

mutatio & ſexcenta alia. Aqua, dum congelatur, expanditur, Argumentum ſanè materiei alicujus ab extrà receptæ; aliter enim à ſolâ Caloris & Motûs Abſentiâ condenſaretur: Sicut Metalla, quæ fuſa quidem dilatantur, rigeſcentia verò, minus occupant Spatium.

Porrò Aqua, ex Gelu reſoluta, longè frigidior eſt, quàm quæ priùs congelata non fuerat, reſtatque diu ad plurimos Uſus inepta, ad quos ante Congelationem idonea fuiſſet; hoc vel mulierculæ notant. Imò, qui Gelu reſolutum perpotant, ſunt pluribus Morbis obnoxii; ideò * Poeta —— *Quis tumidum Guttur miratur in Alpibus?* Parùm utique video, cur Aquæ Congelatio ob meram motûs Privationem efficeretur, ſi, cum ſummis Philoſophis, particulas ſuas conſtituentes *Sphæricas* eſſe ſtatuimus; quod maximè videtur probabile, quia nullus excitatur Calor utcunque vehementer agitetur Aqua: minima enim intervenit Frictio (Cauſa nempe Caloris) motas inter Sphærulas. Nam ſequitur hinc planè, ſeu in Motu, ſeu in Quiete, quòd in punctis ſolùm ſe mutuò contingere poſſunt; unde ne major quidem ob Quietem Cohæſio: quæ tamen infinitè major eſt in Gelu, quàm in Aquâ. Porrò autem Aqua in Vacuo difficillimè, ſi unquam, congelatur; ubi tamen ſatis certè Quietis: at ipſiſſima iſta Aqua, ad Contactum gelidi Aëris effuſa, dicto citiùs, etiam inter effundendum, in Glaciem abit; notante diligentiſſimo Viro, Fahrenheit. Act. Philoſoph. Anglic. N° 382: requiritur ideò ab Aëre aliquid ad Congelationem efficiendam.

Magis adeò probanda videtur eorum Opinio, qui Congelationis Cauſam arbitrantur Spiculas eſſe quaſdam frigorificas, ab extrà admiſſas: quæ, utcunque Globulos aqueos à ſe invicem dimoveant paululùm, Quantitatem tamen contactûs hos inter & illas adaugent, & proinde mutuam eorum Cohærentiam. Ni ex hâc forſan *Hypotheſi*, vix alia datur Methodus, inſignem iſtam Aquæ Expanſionem, dum congelatur, explicandi: quæ verò Aquæ gelatæ Expanſio evenit ſemper, ſive Aëris fuerit expers, ſive non.

Quoniam verò Congelatio omnis artificioſa, Sale quodam mediante, perficitur, haud abſurdum eſt credere Spiculas has frigorificas ſalinæ eſſe Naturæ.

* *Juvenal. Sat.* xiii.

Quod verò datur ſalinum aliquod Principium, per univerſam *Atmoſphæram* diſſeminatum, vero ſimile eſt admodùm à Vitrioli Generatione in ipſo Colcothare, utcunque Sale ſit Deſtillatione, aut ullo alio modo, privatum. * Nitrum porrò de novo producitur, ex ipsâ Terrâ damnatâ, ex ipſis inſulſiſſimis Cineribus, modò hæc inter, & apricum Aërem libera detur Communicatio. Unde oritur Nitrum, ut dicitur calcarium, niſi ab hoc Sale aëreo? Nonne Ferrum, etiam ſuper altiſſimas Turres, Ferruginem contrahit? quod ab eodem omninò evenit Principio. Plurima item Mineralia, & Glebæ metallicæ, priſtinam recipiunt Naturam; licet vi Ignis omni fuiſſent orbata Sale, ex ipſo eodem nimirùm Fonte. Sal hoc univerſum agnoſcit illuſtriſſimus Newton; utique ex Analyſi Chemicâ clariſſimi Hombergii ſolus videtur & idem Parens & Origo omnigeni Salis; prout ſcilicet ſit hâc, vel illâ, Matrice receptum, huic, vel illi Materiæ, coadunatum.

Atqui non prorsùs alienum eſt credere hoc Sal nitroſæ eſſe Proſapiæ, dum obſervamus & Nitri Aciculas, & Spiculas glaciales, imò Salinas ipſius Roris particulas, Formâ eſſe ſimillimas. Quinetiam ſi reputamus, quæ referuntur à digniſſimis Fide † Viris, de Armeniâ, Tartariâ, Chinâ, *&c.* Terris nimirum Nitro quàm maximè abundantibus; quod ibi ſcilicet, quamvis Æſtate Sol interdiu omnia quaſi adurit, Noctu tamen ſævit rigidum Gelu: magnâ adeò Copiâ decidente Sale nitroſo, quem Solis ‡ Ardor elevaverat. In noſtrâ etiam Regione, poſt Diem calidiorem, verno præſertim Tempore, obſervamus ſæpè manè ſequente ſtagna, campoſque omnes, Glacie, ac Pruinâ, obductos: quod quidem vel ipsâ Æſtate contingeret, niſi vis Solis, tunc Temporis vehemens, particulas nitroſas, hîc non æquè ac in Oriente abundantes, diffringeret & proinde diſſiparet. Hæc ſanè arguere videntur, quòd Abundantia Nitri aërei plus faciat ad Congelationem efficiendam, quàm ſola Paucitas Ignis: mediâ enim Hyeme, cùm *Thermometrum* longè majus denotet Frigus, nuſquam ſæpè apparet vel minima Glacies. Gradus utique Frigoris, quo Glacies pro-

* Vid. *Frid. Hoffman. Hiſtoriam*, &c. *Nitri.* † *Tournefort*, *Voyage du Levant*, *Lettr.* 18. *Le Comte Itinerar. Chinenſ.* ‡ Anno 1743, Menſis *Junii* 13°, diluculò, hìc, & pleriſque aliis Locis in noſtrâ Regione acre apparuit Gelu; Baromet. 50.

ducitur,

ducitur, minimè quidem ſtabilis & certus eſt; Glaciem namque ſæpe notavi Menſe Martio, aut Aprili, cùm Spiritus Thermometri Haukſbeiani fuerit ad 55 tantùm: è contrà nullam omninò Menſe Decembri, cùm deſcenderit uſque ad 65. Sed de his ſatis.

3. Itaque de Calore Aëris, eique accedente Humiditate. Calor omnia, vel ipſum Ferrum, expandit, multò magis ideò Humores Corporis humani ejuſque Vaſa; Sanguinis autem Rarefactio, & Vaſorum Relaxatio, de Momento circulantium Humorum detrahit: Secretiones hinc deficiunt & Vires; hâc ergo de Cauſa non æquè ſumus agiles Æſtate; ac Hyeme, aut Tempore verno. Qui torridas habitant Regiones, vix ſunt, niſi Noctu, ad Munera Vitæ obeunda habiles, totâ fere Die dormiunt, præcipuè ardente Sole.

At ſi æſtuoſa ſimul ſit Atmoſphæra & humida nimis, de ſanitate periclitatur admodùm. Eſt calidi, eſt etiam & humidi, laxare Fibras; quid conjuncta? eas ferè omninò reſolvunt. Imò quandoquidem uda Aëris Temperies plerumque etiam Levitate peccat, quod ut vidimus ſuprà, vim circulantem minuit multùm, & quoniam humidus Aër *Perſpirationem* inſuper inhibet valdè, meritò prorsùs, ab ultimâ Antiquitate, talis *Atmoſphæræ* Conſtitutio reputata fuit peſtilens.

Obſtructi adeò Humores fiunt indies magis magiſque acres, ob defectum Motûs idonei Lympha lenteſcit, Cruor ferè in Grumos faceſſit, ejuſque Sales, ſe mutuò attrahendo, in noxias abeunt *Moleculas*, brevique putreſcunt Humores. Morbi proinde quamplurimi oriuntur, & acuti, & *chronici*, cùm durat diu gravis adeò & infelix Cœli Conſtitutio; in quâ, brevis ſit utcunque mora, vel validiſſimus Homo vim Corporis & Animi languidiorem fieri citò perſentit. Aër enim Vaporibus, præſertim ſulphureis (ut Experimenta nobilis Boylei & acutiſſimi Haleſii monſtrant) onuſtus plurimum *Elaſticitatis* ſuæ protinùs amittit; adeò ut vix explicandi Pulmones vim retineat: unde paulò ante, & cum Fulgura vibrantur, haud pauci Spiritum difficulter admodùm trahunt; *Atmoſphærâ* tunc nempè Vaporibus ſulphureis æſtuante. Hâc porrò de Causâ imbecilliores quamplurimi,

ne-

ne vel per Diem unum, alterumve, ſufferre queunt ingratum Urbis Aërem, Fumis pollutum innumeris; qui tamen commodè ſatis, imò alacrem Rure degunt Vitam. Ad rectam utique Valetudinem tanti conducit purum & apricum reſpirare Aërem, ut abſque eo, in Morbis quamplurimis, vix ulla alia Medicina proficiat: quod tam ſæpè notavi, ut non poſſim quin, cum elegantiſſimo Poëta, clamem,

O fortunatos nimiùm, ſua ſi Bona nôrint,
Agricolas! ——————

Quorum nempe & Otia & Negotia ſaluberrimis in Agris peraguntur. Aura quippe ruſtica longè magis pura eſt, & *elaſtica,* quàm quæ, infinitis urbanis Sordibus contaminata, gravis admodùm & inſalubris evadit; æſtivo præſertim Tempore, cùm Solis Ardor omnigenos excitat Vapores. Eſt inſuper tunc frigida magis, ac Halitu ſaluberrimo Herbarum Spirituque Terræ vegetiſſima, ad recreandas Vires, & Pulmones expandendos, fit idonea maximè: nec verò pinguibus fœdata Vaporibus, vel minimè, *Perſpirationi* officit; quin eam promovet plurimùm. Tantâ hinc nos perfundit Alacritate purus & pergratus Ruris Aër, dum & Reſpirationi, & *Perſpirationi,* tantoperè ſimul inſervit.

4. De Aëre calido, & ſicco; qui, licet Conſtitutione modò deſcriptâ longè ſalubrior, tamen haud eſt innoxius; præcipuè ſi diutiùs maneat. Aër namque ſiccus magnâ plerumque Gravitate pollet & *Elaſticitate,* quod Motum Sanguinis multùm incitat: quatenùs verò calidus eſt, Humores perſpirantes exhaurit maximè, unde *Seroſa* Pars Sanguinis diſſipatur, & liquidiſſima Corporis avolant: reſtat adeò Cruor ſpiſſus nimiùm; nihil namque jam humidi ex *Atmoſphærâ* torridâ per Cutis *Poros* imbibitur. Hinc magnus ſequitur & validus Sanguinis Attritus, ac proinde Calor; qui, & ab extrà item auctus indies, ſalinas & ſulphureas Humorum Partes exacuit aſſiduè, donec tandem fiunt acerrimæ: idque eo magis, quo minùs jam in Pulmone refrigeratur Sanguis. Si ſuaviſſimum Butyrum, vel quodvis Oleum animale, intenſo Solis Ardori exponis diu, brevi abit in Liquamen *alcalinum* putridum &

3 valdè

valdè *corroſivum:* Sic diuturnus Æſtatis Fervor uſque adeò torret Humores animales, ut longè acriores ſub Autumnum ſint, quàm verno Tempore. Hæc utique eſt Aduſtio iſta Sanguinis, à veteribus toties memorata: Siquidem magna hinc copia Bilis acerrimæ generatur; inde Choleræ, *Dyſenteriæ,* Colica bilioſa, putridæ & (ut dicuntur) Febres malignæ, ineunte Autumno, ita ſunt frequentes. Tórridæ ſanè Zonæ vehemens Ardor uſque adeò exhaurit Incolarum Humores, uſque adeò criſpat Fibras, ut quaſi peruſti videantur. Imò ex Relatione Medicorum, qui fervidis in his Regionibus Artem exercuerunt, Sanguis eorum longè magis craſſus eſt & niger, quàm in Hominibus Europæis: hinc Febres ardentiſſimæ & peſtilentiales iis in Locis *endemicæ* ſunt, putreſcentibus ſcilicet leviſſimâ de Causâ Humoribus.

Magnus utique Medicinæ Dictator, Hippocrates, non ſolùm Morbos diverſos, ſed & Temperamenta, imò & Mores Hominum, ab Aëris Varietate maximè pendere ſtatuit, in pulcherrimo de Aëre, Aquis, *&c.* Libro: cum quo ſanè conſentit omninò fidus ejus Interpres, Galenus, in Commentar. & alibi de Temperatur. Præcipuè in Capite ὅτι τὰ τῆς Ψυχῆς Ἤθη, &c. Hoc innuit etiam eleganter Lucretius, Lib. vi.

Nam quid Britannum Cœlum differre putamus,
Et quod in Ægypto'ſt, qua Mundi claudicat Axis?
Quidve quod in Ponto'ſt differre à Gadibus, atque
Uſque ad nigra Virûm, percoctaque Sæcla Calore?
Quæ cum quattuor inter ſe diverſa videmus,
Quattuor à Ventis, & Cæli Partibus eſſe,
Tum Color & Facies Hominum diſtare videntur
Largiter, & morbi generatim Sæcla tenere.

Horum autem paulò infrà hanc reddit Rationem,

——— *varius concinnat id Aër.*

Sin autem varia Aëris diverſorum Climatum Temperies varios omninò producit morbos, cur non & varia etiam, vel ejuſdem Regionis, Tempeſtas

peſtas diverſos perinde gignat Corporis Affectus? Atque ita ſe profectò Res habet; verno nimirùm Tempore, ſi longi præcipuè, ac ſicci, Venti boreales continuârint, Febres *inflammatoriæ*, Pleuritides, Peripneumoniæ, Anginæ certò certiùs invadunt. Autumno contrà Febres lentæ, putridæ, quartanæ, Choleræ, Dyſenteriæ, *&c.* ferè ſæviunt ſemper. Sic itidem, alii prorsùs oriuntur morbi ſub humido tepidoque Cœlo, alii autem omninò & diverſi ſub frigido ſiccoque. Obſervationes equidem hujuſmodi perpetuæ fuerunt ab Ævo Hippocratis huc uſque; totam adeò ſuperiorem Doctrinam confirmare videntur. "Non quòd non omni Tempeſtatum Genere Homines, per omnia "Genera morborum & ægrotent, & moriantur; ſed quòd frequentiùs "tamen quædam eveniunt." Sic latinus Hippocrates, Lib. xi. Præfat.—Iſta Dubio procul Conſtitutio Aëris eſt ſalutifera maximè, quæ, ex ſtabilitâ Lege Naturæ, propriæ Anni Tempeſtati reſpondet: ideò nec Hyems tepida juvat, nec Æſtas pluvia.

Quoniam verò diverſa Atmoſphæræ Conſtitutio, diverſo planè modo Corpora humana afficit, ratio certè & modus hujus Diverſitatis ſemper à Medicis eſt conſpiciendus; &, quod de Locorum differentiâ dixit Celſus, æquè verum eſt de Varietate Tempeſtatum: "differre "nempe, pro Naturâ Locorum, Genera Medicinæ, & aliud Opus "eſſe Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia." Hoc quidem abundè teſtantur Medici diverſarum Gentium, diverſis utentes Methodis; quæ tamen omnes ad Sanitatem Ægros feliciſſimè perducunt. Nonne ergo & Ratio quoque habenda eſt variarum *Atmoſphæræ* Conſtitutionum, vel in eâdem Regione? Optimus ille quidem, ac diligentiſſimus Obſervator, Sydenhamius, notavit; "quâ Methodo, cur"rente Anno, Ægrotos liberaveris, eâdem ipsâ, Anno jam vertente "forſitan è medio tolles." Uno proclamant Ore Medici, quòd morbi vernales multò feliciùs Sanguinis Miſſionem admittant quàm Autumnales: & hinc illæ forſan Sydenhamii Lacrymæ, qui fuit ſemper in Venæ Sectione multus admodùm. Morbi ſanè, vel Generis ejuſdem (ut conſtanter obſervavi) largiorem longè poſcunt Sanguinis Detractionem, eamque multò faciliùs ferunt Ægroti, dum ſiccum

adeſt

adeſt Cœlum, & elata perſtat *Barometri* Statio, quàm dum æſtuoſa Aëris Humiditas vim ferè Vaſorum reſolvit. Hoc utique perpetuum eſt, vel in ipſis morbis Pectoris. Aſclepiades olim, ut refert Cœlius Aurelianus, obſervavit "apud Athenas atque Urbem Romam, Phle-"botomiâ vexatos (utor Aureliani Verbis) vel pejùs acceptos eſſe "Pleuriticos, in Pario verò atque Helleſponto reſumptos ac releva-"tos." Roma nimirùm atque Athenæ humidiore longè & tepidiore gaudent Aëre quàm Helleſponti Regio, ſicco, ac ſæpè perfrigido, Vento Aſiatico perflata.

Robuſti certè & firmi Homines facilè ferunt Sanguinis miſſionem; flaccidi verò, etſi æquè ſuccidi, non ita: quia, propter Debilitatem Fibrarum, Æquilibrium Solida inter & Fluida haud reſtituitur confeſtim; unde ſequitur brevis quaſi Stagnatio. Pondus autem *Atmoſphæræ* magnum univerſum Corporis Habitum premit validè & corroborat, ac proinde Sanguinis motum incitat. Frigus, ſiccitate præſertim adjunctâ, vim Fibrarum adauget plurimùm; accedentibus adeò ſimul utriſque, vis Vitæ fortior evadit, & vel ipſe Corporis Habitus pro Tempore velut mutatus videtur: unde, tali durante Aëris *Cataſtaſi*, vel infirmiores ex facili tolerant Venæ Sectionem.

Non ſolùm in Morbis curandis plurimùm valet Atmoſphæræ conſideratio, ſed ad Sanitatem etiam tuendam maximi eſt momenti. Contraria contrariis curantur, ut in Adagio eſt: ſic ſi Ver frigidum & ſiccum eſt, Pleuritide, Peripneumoniâ, Anginâ, periclitamur; qui verò Diætâ humectante utuntur & Potione tepidâ laxante, vitio Tempeſtatis occurrunt, morboſque evadunt utplurimùm. Si Frigori autem accedit humidi multum, *Cardiaca* quædam admiſcenda ſunt, Corpuſque Veſtibus muniendum eſt probè, ne *Perſpiratio* inhibeatur nimis. Æſtuoſa contrà udaque Aëris Temperies ſiccam omninò & aſtringentem poſcit Diætam, Vinum & auſterum Aquâ frigidâ dilutum, denique quæ & Vim Fibrarum comprimentem firment, & à Sanguine Lentorem ac Putredinem arceant. Balneum porrò tunc frigidum idoneum eſt maximè. Quæ contrà Humore nimio & Tepore

pollent, aliena ſunt prorsùs; jurulenta ideò tunc vitanda ſunt, & tepida muliercularum Sorbitio.

Certè nullo non Tempore Anni Morbi invadunt, Autumno autem quamplurimi; nam tunc fere ‘ meridianis Temporibus Calor, noc-“ turnis atque matutinis, ſimulque etiam veſpertinis Frigus, eſt: “ Corpus ergo, ſubinde meridianis Caloribus relaxatum, ſubito Fri-“ gore excipitur.” Hæc rectè Celſus, Lib. ii. cap. 1. Sanctorius obſervavit inſuper, quòd ab Æquinoctio autumnali ad Solſtitium hyemale, quâlibet Die, minus Librâ circiter perſpiramus. Medicin. Static. Sect. 2. Aphor. 41. tantoperè nimirùm prohibent *Perſpirationem* humida Autumni Frigora: eoque magis tunc huic obnoxium eſt malo Corpus, quo magis relaxata ſint Vaſcula æſtivo Calore, unde non ſatis validè propellebant contenta Fluida, quæ majorem indies Lentorem proinde contrahebant.

Si jam & his addamus, quantum Æſtatis Ardor percoxerit Humores, iiſque majorem induxerit Acrimoniam; haud mirum utique videbitur, ſi Autumnus plurimos opprimat incautos: tunc enim Humores ſunt acriores ſolito, & eorum *Perſpiratio* impedita plurimùm.—His verò perpenſis, Methodus *prophylactica* manifeſtò apparet, quæ ſcilicet & Fibras corroborare, ac debitam Sanguinis Fluxionem conſervare poteſt; quibus nempe *Perſpiratio* pergat ordinata probè & ſatis conſtans. Interponi verò, ſi quid ego judico, debent *Eccoprotica* quædam ſubinde, ad bilioſam Colluviem evacuandam: hoc ſæpè Alma molitur Natura, eâ nempe gravatâ, *Diarrhœa*, Cholerâ, ſeu *Dyſenteriâ* excitatis: quibus autem tempeſtiva Rhei barbari Doſis, repetita prudenter, occurrerit omninò, naturamque levaverit æquè.

Sexcenta utique hujuſmodi dicenda eſſent, ni prælonga forent & obvia ſatis Lectoribus idoneis: Quorum nemo jam fortè dubitat, quin diligens *Atmoſphæræ* Contemplatio ſit Medicis perutilis admodùm.

Quod ad Methodum attinet & Medicinam, quas variis in morbis infrà laudavi, non ſunt equidem vana Muſei Commenta; ſed, quæ, per multos jam Annos comprobata, ſucceſſerunt optimè; imò (ſi id ſit

cujus Momenti) in ſplendidis ſæpè Perſonis: tanta ſcilicet Remediis, mihi probè expertis, fuit Fiducia.

Formulas quidem Medicamentorum exhibui nullas, quod ſanè vix aliquid ſapit præter Oſtentationem Artis & pompoſam Scientiæ Venditationem. Ille ſolùm, cui Natura Morbi perſpicitur, intelligit bene, quæ poſcit Remedia. Plures audivi totas blaterantes *Pharmacopœias*, qui tamen ne intellexerint quidem quid vel ipſe Pulſus ſignificabat. Concinnam utique ac ſimplicem præſcribendi Formulam laudo maximè, minimè verò Farraginem medicamentoſam, ultra Garamantas & Indos ſæpè petitam, ſolo plerumque Novitatis Amore conſcriptam. Longè verò, longèque magis, ridicula Praxis eorum eſt, qui temerariâ Manu univerſalia porrigunt Arcana; omnibus ſcilicet Morbis accommodata: quaſi nimirùm eſſet in Naturâ Rerum, ut ipſiſſimum illud, quale demum cunque fuerit, ſtricto nimiùm, pariterque laxo, Corporis Habitui mederetur æquè, ut rapidam æquè contunderet Febrem, lentumque Hydropem. Sed *Apage Nugas! Si Populus vult decipi, decipiatur.*

Hæc Tu Romane caveto!——Sed Romæ Quis non? *Perſ.*

Sequentes Obſervationes factæ fuerunt omninò ad modum, quem præclariſſimus noſter JURINIUS in Actis Philoſophicis, N°. 379. deſcripſit; quemque jam omnes ferè ſequuntur, præ cæteris laudatiſſima Societas Edenburgenſis. *Barometrum* nempe ex Tubo ſatis amplo & Ciſternâ latiſſimâ conſtructum eſt: Argentum vivum verò, quo implentur, puriſſimum Deſtillatione præparaveram. *Thermometrum* idoneo ſitum eſt Loco, quod fabricavit *Haukſbeius*. *Barometrum* ad Menſem Julium, Anno MDCCXXXIII, ſupra Maris infirmi Superficiem ſteterat 46 Pedes circiter; ab iſto Anno autem & Menſe, huc uſque, fuit ad 30 Pedes tantùm. Humiditatem Aëris per varia *Hygroſcopia* notavi; præcipuum verò eſt ad Formam D. D. Molyneux Act. Philoſoph. N°. 172. Infundibulo utor Diametro 25 Digitos

latâ, eoque circulari, ad Pluviam excipiendam: ita verò poſitum eſt, ut æquè pateat undique omni Vento.

Sequens *Schema* Ventorum ex Plinio excerpſi, ut notius foret de quâ Plagâ Cœli Ventus ſpirabat, cùm hoc, vel illo, nomine utor. Ubi verò & Vis Venti & Directio notatur ſimul, Literis uſus ſum Pyxidi nauticæ inſcriptis vulgò, *i. e.* E. W. N. S. & compoſitis N. E. N W. S E. S. W. & ſic deinceps.

Non ſum neſcius utique quòd Varro duodecim facit Tractus Ventorum; Vitruvius etiam Viginti quatuor, illoſque miris quibuſdam Vocibus, ut erat earum amantiſſimus, diſtinguit. Tabula verò * Plinii, ſeu, ut vocat, Tympanum circinatum, ad generalem Ventorum Diſtinctionem facit ſatis; porrò eorum Nomina Pliniana diu fuerant Civitate Romanâ donata.

Favorinus equidem, apud † Aulum Gellium, diſcrepat à Plinio in Verbis Eurus, Caurus ſive Argeſtes, Africus ſive Libs: Eurum enim ad Exortum æquinoctialem refert, Plinius verò & Seneca ad Exortum hybernum, habentque Autoritatem Ariſtotelis, Lib. 2. Μετεωρολογικ. Capit. 6, qui expreſſè dicit Εὖρος ἀπ' Ἀνατολῆς Χειμερινῆς πνεῖ; ſic in Libro Ariſtoteli perperam adſcripto, περὶ Κοσμȣ̃ Capit. 4. Εὖρος δὲ ὁ ἀπὸ τȣ̃ περὶ τὰς Χειμερινὰς, &c. Dubitat porrò ‡ Seneca an Argeſtes idem ſit quod Corus; imò Favorinus ait quòd Argeſtes, ſeu Corus, adverſus Aquilonem flat, & quòd Libs, ſive Africus, contra Vulturnum: ſed fortè corruptus eſt hic Gellii Locus. Nemo enim antè Corum pro Vento inter Meridiem & occidentem uſurpavit unquam; & quî poteſt || Africus ex Africâ ad Italiam ſpirare, niſi ex Plagis Auſtralibus? Idem de Libe dicendum eſt, quòd ex Libyâ ad

* *Confer. Caput.* 47, *Lib.* 2. *cum Capite* 34, *Lib.* 18.

† *Lib.* 2. *Capit.* 22.

‡ *Vide Senecæ Quæſtion. natural. Lib.* 5. *Cap.* 16.

|| *Vide Horat. Od.* 3. *Lib.* 1.

——— nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus.

Græciam,

Græciam, unde Ventus iſte Λὶψ dictus eſt. Audi iterum Ariſtotelem, Loco ſuprà citato de Enumeratione Ventorum, Ἀργέςης ἀπὸ Δυσμῆς θερινῆς πνεῖ——Λὶψ ἀπὸ Δυσμῆς Χειμερινῆς. Quid ſi Corus à קר, Frigus? ſemper enim inter inter Ventos frigidos annumeratur. Sic Virgilius Lib. 3. Georgic. v. 356.

——— *Semper ſpirantes Frigora Cauri.*

Argeſtes itidem apud Ovidium Libro 5. Faſtorum.

Frigidus Argeſtes ſummas mulcebit Ariſtas.

Plymuthum Oppidum ſitum eſt ad ipſum Sinum Portus ampliſſimi, qui longè latèque patet Ventis auſtralibus. Ex Oriente munitur & Occidente altiſſimis Clivis, ad imum verò clauditur Rupibus marmoreis: porrò utroque ejus à Latere Æſtuarium longè porrigitur. Surgunt à Tergo montes continui ad ipſas uſque Alpes Damnonienſes, decimum circa Lapidem diſtantes. —— Oppidi Situm ideò deſcripſi, ut magis forſan (inter cætera) pateret Ratio tantæ Pluviæ, quæ hîc ruit quotannis.——Ab alto nimirùm Oceano, Vaporibus Nubibuſque latiſſimus, duo inter Promontoria excelſa, Aditus panditur; quæ arduis proinde Clivis utrinque coacta, ad intimum adiguntur Sinum, ubi ſcopulis montibuſque impingentia condenſantur, tandemque ſub Formâ Pluviæ decidunt.—Neque hìc jam memoro, quod huic haud parum adjicit Articulo, hanc Oram nempe Britanniæ, in modum quaſi Iſthmi, duo inter Maria longè porrectam.

Eò quidem lubentiùs Hiſtoriam *meteorologicam* ſequentem edidi, quo magis utiliorem eam fore judicavi: quandoquidem nihil hujuſce modi, quantum memini in hâc occiduâ Parte Britanniæ inceptum fuit antehàc unquam. Atqui ex ipſâ Argumenti Naturâ Latinis ego potiùs Literis, quàm vernaculis, ſequentia deſcripſi: quibus ſiquidem Gens noſtra cum Exteris Obſervationes ſuas communicare poteſt, illi

pariter cum nobis viciſſim. In hâc ſanè Palæſtrâ jam plurimi, ubique fere Gentium, verſantur: utinam tandem aliquando ex plurimis, diu continuatis, & toto penè Terrarum Orbe captis Experimentis extaret demùm generalis aliqua & perfecta *Atmoſphæræ* Hiſtoria! Opus certè utiliſſimum, diu multumque deſideratum! Hunc ergo Obolum in Ærarium publicum conjicio, in quo quidem exarando Diligentiæ plurimum inſumpſi, licet Elegantiæ parum; quippe Medicum ágo, non Rhetorem.

Non nobis licet eſſe tam diſertis,
Qui muſas colimus ſeveriores.

MARTIAL.

Notæ

Notæ ſequentes, quæ in Opere paſſim occurrunt, ſic explicandæ ſunt.

AB i. e. Lumen Boreale; *viz.* Menſe Martio, 1728, ſic habes: *AB* 22. 10. P.M. WNW 1; ita porrò legendum: Lumen erat Boreale Die 22° Martii, Horâ Noctis decimâ, Vento WNW leniter ſpirante.

/ Ad Diei alicujus pluvii Numerum ſuperſcripta ſignificat iſto Die haud exiguam decidiſſe Pluviam;

// multam;

/// graviorem corruiſſe Pluviam;

//// graviſſimam

Ubi Dierum Numeri Lineâ conjunguntur, *viz.* 12—16, ſignificatur aliquam Pluviam omni Die, à 12 ad 16, decidiſſe.

× ad Caput Figuræ, Venti Vim denotantis, indicat Ventum iſtius Ordinis fortem; ad imum verò, lenem; adeò ut 4ˣ vehementem denotet Procellam.

Per omnia Stylo utor *Juliano,* ſive vetere.

Obſervationes factæ fuerunt bis Die plerumque, ſcilicet Horâ fere octavâ matutinâ & ſextâ pomeridianâ.

Literæ Romanæ, (A.) (B.) C.) &c. ad Notationes referunt.

OBSERVA-

OBSERVATIONES

DE AËRE

ET

MORBIS EPIDEMICIS,

Ab Anno MDCCXXVIII ad Finem Anni MDCCXXXVII,
Plymuthi factæ.

VOL. I.

AMPLISSIMO VIRO,

HANS SLOANE, Baronetto, Praeſidi;

Illuſtribuſque Regiae Societatis Londinenſis Sodalibus,

JOANNES HUXHAM.

S. D.

BENIGNE olim accepiſtis, ornatiſſimi Viri! parva quædam Opuſcula noſtra, inter quae fuerunt Obſervationes meteorologicae ab Anno MDCCXXIV ad MDCCXXVII. Jam adeò conſequuntur, quas per Decennium proximè elapſum feci, ſummâ quidem Curâ & non parco Labore in Compendium redactae: hiſque adjecti ſunt perpetui de Morbis Epidemicis Commentarii.

Valete!

OBSERVATIONES

DE

Aëre & Morbis Epidemicis.

ANNO MDCCXXVII, retorridæ Æſtati (majore quàm antehàc unquam Erucarum Numero infeſtæ) ſucceſſit Hyems pluvia ſatis, nec intempeſta valdè, ni quòd interfuit ſiccus admodùm Menſis Novemb. craſſo tamen valdè nubiloque cœlo fœdatus. *Mercurius* interim in *Barometro* ad Stationem præaltam evectus eſt. Venti orientales plerumque, aut aquilonares, afflabant, haud verò inſequebatur tempeſtivum Gelu. Delabente *Barometro* Decembris Initio, quàmplurima decidit Pluvia, paulò poſt autem reſurgente Gelu rigidum invaſit, à Die decimo octavo ſcilicet ad vigeſimum ſecundum: Pluvia inde ad Finem uſque.

Morbilli, qui toto Menſe Julio Sextilique evanuerant, medio Septembri recurrebant, Pluresque adoriebantur indies; malique admodùm fuere Moris Octobri & Novembri. Pari cum his Paſſu progreſſa Tuſſis *convulſiva* quàmplurimos invaſit Pueros, donec uterque morbus Caput ſubduxit Menſe Decembri. Porrò durante Octobri & Novembri * Febris lenta *nervoſa* haud paucos corripuit; Tuſſiſque vehemens in omnes ferè (A) Equos graſſata eſt, quæ ad Finem uſque Decembris perduravit, è quâ tandem Pars major evaſit.

Ad hunc adeò modum deſinebat Annus MDCCXXVII, cujus exeuntis Hiſtoriam ergò attigi leviter, ut, ſiqua forſan per Conjecturas

* *Vide Diſſertat. de hac Febre, Anno* 1737 *ſubjunctì.*

liceret, ſequentium Morborum Cauſas rimaremur: neque enim, *Epidemicorum* Naturam inveſtigando, ſolùm interſit cognoſcere quales Dies ſint, ſed & (B) quales etiam præceſſerint antè; ut cum Celſo loquar, Libro ſecundo, Capit. 1.

Totam Pluviæ Quantitatem, quæ decidit hoc Anno, ſic habeto.

	Dig. Dec.		Dig. Dec.
Januario,	2.965	Februario,	4.452
Martio,	1.868	Aprili,	1.511
Maio,	5.902	Junio,	2.483
Julio,	1.080	Auguſto,	0.299
Septembri,	3.867	Octobri,	2.490
Novembri,	0.826	Decembri,	4.172
			Dig. Dec.
		Summa Quantitas,	31.915.

Breves quædam Notationes.

(A) In Obſidione Trojanâ, primò Canes, mox Muli, pòſt Homines, Peſte correpti fuerunt. Haud ſemel obſervavi morbum inter Pecora eripuiſſe primò, dein eum ipſum paulo pòſt Tempore in Homines *epidemicè* ſæviiſſe; quòd & Anno MDCCXXVIII, & MDCCXXXIII, fuit manifeſtiſſimum: in quibus nempè Tuſſis graviſſima omnes penè Equos corripuit uno, alterove, Menſe citiùs quàm Homines.

Quum nimirùm hoc Animantium Genus maximè ſub Dio verſetur, morboſæ Aëris *Diatheſi* ſit valdè obnoxium neceſſe eſt, non tantùm Aërem inquinatum reſpirando, eumque per Cutis *Poros* imbibendo forſitan; ſed, dum Aquas hauriunt, & carpunt Gramen, condenſatam quaſi ſub Specie Roris *Atmoſphæram*, morbidis Particulis contaminatam exugunt: nam ut Lucretius Libro vi.

Aut in Aquas cadit, aut Fruges perſidit in ipſas,
Peſtilitas.

1 Inde

Inde eſt fortaſsè, quòd morbi hujuſmodi *epidemici* longè frequentiùs inter Ruſticos & Paganos oriuntur, quàm Incolas inter Urbium & Oppidorum; in his quippe Locis Ignes perpetui, Frequentia Hominum, atque id Genus alia, gravem noxiumque Aërem mutant maximè, aut omninò depellunt: donec ita tandem ſit onuſtus morboſâ materiâ, ut, rupto quaſi Aggere, Torrentis ad inſtar, irruat ubique. Hoc hiſce ſit Argumento, quòd, qui intra Domicilia luculenta verſabantur aſſiduè, rariùs *Epidemico* Anni M DCC XXVIII & M DCC XXXIII, correpti fuerunt.

(B) Conſtat utique à primo Autumno *Atmoſphæram* fuiſſe craſſam admodùm, & Vaporibus plurimis onuſtam, quos Ardor vehemens prægreſſæ Tempeſtatis elevaverat: qui, licet hìc ita condenſati fuerint, ut, ſæpè ſub Formâ Pluviæ, durante Septembri & Octobri, deciderent, atque ita noſtrum non inquinarent Aërem; in aliis tamen Locis & September & October fuere craſſiſſimo Aëre fœdati, & Menſes proinde inſaluberrimi. Per Novembrem certè, Aër, etiam hìc, fuit craſſus admodùm & graviſſimus, omnigenâ nempe Fuligine è retorridâ Tellure exhalatâ obſcuratus: atque ab hâc cauſâ tanti fuit Ponderis, non à purâ ſuâ *Elaſticitate* & Gravitate propriâ, quæ Vapores evehuut altiùs, eoſque diſpergunt æquabiliter.

Qui præſentem *Atmoſphæræ* Faciem, dum Morborum *Epidemicorum* Cauſas diſquirunt, intuentur ſolùm, nec reſpiciunt elapſam, parum utique vident, aut eorum Cauſas aut Naturam. Exemplo ſit Aëris Conſtitutio ſicca & frigida, quæ non tantùm uno, vel & altero, Die durans, nimiam Fibrarum Rigiditatem generat, & morbidam Humorum Denſitatem, niſi & per Dies aliquot continuos duraverit. Rariſſimè vides graves & peſtilentes Febres fieri valdè *epidemicas*, ſi non poſt eximiam aliquam *Atmoſphæræ* Qualitatem, diù perſtantem.

Per Conſtitutiones Aëris mutabiles, Fibras fortè nimiùm corrugat hodiè ſiccus frigiduſque Boreas, cras eas fortè relaxat nimis humidus Auſter: ita quoddam quaſi Æquilibrium, in quo Sanitas conſiſtit, ſervatur; atque id maximè profectò, ſi quis probè cavet ſubitas has

mutationes. Haud rarò herclè notavi, poſt Procellas graveſque Pluvias, Febres *epidemicas* multùm fuiſſe imminutas, & vi & numero; *Effluviis* nempe contagioſis & *morbificis Atmoſphæræ* Conſpirationibus, hoc modo, diſperſis. Ideò fortè divus Auguſtus, cum in Galliâ moraretur, Templum & vovit & fecit Circio, Vento vehementiſſimo; eique Turbini, etſi Ædificia ſæpè diruenti, Gratias publicas agebat Gens Gallica olim, referente * Seneca: utpote cui Salubritatem Cœli ſui deberet.

* *Quæſtion. Natural. Lib.* 5. *Cap.* 17.

DE

DE

CONSTITUTIONE

Aëris & Morbis Epidemicis,

Anno MDCCXXVIII.

JANUARIO.

PLUVIOSA admodùm (A) humidaque Tempeſtas induxit Annum; in ipſo quippe Menſe Januario cecidit Pluvia ad Dig. 6, 108. immenſa Quantitas! Fuit porrò Nivis aliquantum, Gelu parum valdè, Procellæ utique ſatis. *Mercurius* in *Barometro* depreſſus fuit maximè, ab ipſo Initio Diem xxi aduſque, ſæpè infra 29,0. Ventus ut plurimum auſtralis erat, vel occiduus, iſque ſæpè nimboſus: ſub finem Menſis autem Subſolanus, flante nonnunquam Boreâ, Cœlo Apricitatem & Columnæ mercuriali Altitudinem dedit, Nive ſubinde, aut Gelu ſequente. A xxvi ad xxviii haud parum Pluviæ decidit, etſi *Baroſcopium* fuit ad 30.0 & altius, Vulturno ſpirante: Argumentum ſanè Aërem onuſtum eſſe Vaporibus adhucdum.

Pluvia Die. $\overset{\prime\prime}{1}$—$\overset{\prime\prime\prime}{6}$—$\overset{\prime\prime}{8}$—$\overset{\prime}{10}$. $\overset{\prime\prime\prime}{13}$. $\overset{\prime\prime}{14}$. 16. $\overset{\prime\prime}{17}$. $\overset{\prime\prime\prime}{18}$. $\overset{\prime\prime\prime\prime}{19}$.——22. 26. $\overset{\prime\prime}{28}$.

Vehemens Grando corruit 15. p. m. S S W 3, Nix gravis 23. a. m. E N E 3.

Tota Quantitas adeò Aquæ pluviæ collectæ æquabat 6.108.

(B) Maximi Maris Æſtus inundantes 18. 19. S S E 3^{x}. Barom. 28. 5.

☿ ii Altitudo maxima fuit Die 31. *viz.* 30. 2. E b N 2.
——— minim. ——— 18. — 28. 5. S SE 3^{x}.
Barometri media Altitudo $29.3\frac{17}{31}$.

Dies frigidiſſima fuit 25, Therm. Haukſ. 69. N N W 1.
— tepidiſſima — 3, ——— ——— 50. S W 1.
Temperies Aëris media $56\frac{5}{31}$.

Ab incipiente Menſe Tuſſes & *Catarrhi* fuerunt valdè frequentes, ſæpè cum Tumore Faucium moleſto, levi comitante Febriculâ plerumque: *Rheumatiſmi* & Anginæ paſſim. Magnus adeſt undique Spirituum Languor, & creber *Paroxyſmus hyſtericus*.

FEBRUARIO.

Altam tenuit Stationem *Mercurius* ab Initio Februarii ad Diem xviii, ſpiraverunt ut plurimùm intereà Venti aquilonares, qui Cœlum reddidere ſiccum & apricum, Terramque aſtrictam Gelu, ineunte præſertim Menſe. Poſt Diem xviii Nix, Pluvia, Ventuſque ut plurimùm auſtralis: Temperies Aëris multo magis tepida & humida fiebat, gravi Pluviâ ſub finem ruente.

Pluvia, Die 13. 18. $\overset{''}{20}$. $\overset{''}{21}$. $\overset{''}{22}$. $\overset{''}{23}$. $\overset{'}{25}$. Nix multa 19 = Dig. Dec. 1.924.

Levis fuit *AB* 26. Horà 9. p. m. E b N 1.

☿ Altitud. maxim.	2.	30,3.	E N E 3.	} media Altitud. hoc Menſe 29.8$\frac{9}{29}$.	
——— minim.	20.	29,0.	W S W 2.		
Dies frigidiſſima,	1.	67.	N E 2.	} media Altitudo Ther. mom. 57$\frac{16}{29}$.	
— tepidiſſima,	25.	47.	S 1.		

(C) Tuſſes, quæ à primo Januario fuerunt valdè frequentes, jam factæ frequentiſſimæ, plurimis, Junioribus præcipuè, infeſtæ ſunt; quibus acceſſerunt Deſtillationes maximæ, ac Dolores Faucium atque Dentium, cum Glandularum Parotidum & Maxillarum Tumoribus. Hæc ferè omnia in Menſe ſuperiore, at jam cum his ingruit *febrilis* Affectio & Reſpiratio difficilis, imò pluribus, medio in hoc Menſe accidebant Pleuritides & Peripneumoniæ; quorum Sanguis extractus fuit viſcidus & parùm *ſeroſus*, cum tamen, durante Januario, vel ab ipſis *Rheumaticis*, raró fuiſſet valde glutinoſus. Tùnc porrò ſatis fuit exhibuiſſe Spirit. Volat. oleoſ. Elix. Aſthmat. le Mort. aut tale quid ex lenioribus Diluentibus, ad Sudores eliciendos & Tuſſim ſopiendam; raró Venam ſecantes, nec *Epiſpaſtica* frequenter admoventes. Jam Sanguinem mittere ſæpè neceſſe erat, & repetitis *Anodynis* Vehementiam

Tuſſis

Tuſſis lenire; *Anacatharſin* & facilem Reſpirationem largâ pectorali & molli Potione detergente moliri: ad quem quoque Finem Opus ſæpè fuit Medicamentorum ex Oleoſis, Gum. Ammoniac. Oxymel. Scillitic. *&c.* cum eo tamen, ut, dum hæc facta ſunt, Virium Languor Cardiaca leniora poſtularet; *Epiſpaſticis* intereà crebrò applicatis. Febris namque fuit lenta plerumque, Urina neque rubra valdè erat; nec Lingua arida, valdè nec urgebat importuna Sitis. Hoc porrò *Variolæ* erant Menſe *ſporadicæ* & mites, rarò lethales.

MARTIO.

Ventus Martio regnans fuit occidentalis, ſubinde ad Auſtrum, ad Septentrionem ſubinde, vergens, conſequente, ut ſolet, pluviâ, ſeu apricâ Tempeſtate. *Mercurius in Barometro* inconſtans, rarò ſublimis. Nebulæ ſæpè, Procellæ aliquando, Nivis aliquid ſub finem Menſis. Temperies Aëris craſſa & humida, attamen non valdè frigida.

Pluvia 1. 3. 6. 8. $\overset{\prime\prime}{9}$. 11. $\overset{\prime}{13}$. 14. 16—18. $\overset{\prime\prime\prime}{19}$. 20. 22. 24—26—29=3.317 $\overset{\prime\prime\prime}{}$ Dig. Dec.

Procellæ 14. 15. S 4. cum maximis Maris Æſtibus. Nix alto mane 27.

AB 22. 10. p. m. W N W 1. Levis *AB* 23.8. p. m. N N W 1. Maximus Halo circa Lunam 11. 12.

☿ Altitud.	maxim.	3.	30,2.	Malacia.	media 29.6$\frac{11}{30}$.
———	minim	14.	29,1.	S 4.	
Dies frigid.	27.	60.	N N W 3.		media Ther. Altit. 49$\frac{2}{30}$.
— tepid.	17.	45.	W 2.		

Tuſſes frequentiſſimæ toto hoc Menſe, levi plerumque cum Febriculâ. Febres *rheumaticæ* & *catarrhales* quamplurimæ; Ægrotantes omnes ad Sudores erant valdè prompti.

(D) Tertianæ exquiſitæ, ac ſemitertianæ, Febres, jam ſunt frequentiores longo quàm aſſolent in hâc Regione: in Paroxyſmis urgent maximè Vomitus bilioſus, æruginoſus, cum immensâ Pituitæ tenacis Copiâ; *Cephalalgia* gravis, ac ſæpè Delirium. Perpauci nunc *Variolis* laborant; aliqui *Rubeolis* corripiuntur & Juniores & Adulti.

APRILI.

APRILI.

Principio Menſis multa Pluvia, cadente *Mercurio*; aſſurgente verò, medio Aprili, Apricitas, Aër interim craſſus & nebuloſus. A Die xix ad Finem uſque humilem plerumque Stationem tenuit *Baroſcopium*, plurimâ ruente Pluviâ, ita ut pauciſſimi intercurrerent Dies aprici. Aër fuit valde craſſus, humidus & ſubfrigidus toto ferè Menſe: Sæpè Ventus occidentalis, perſæpè furens Auſter. Viæ publicæ omnes Aquâ & Limo plenæ ſunt.

Pluvia 1—$\overset{///}{3}$—$\overset{//}{5}$. $\overset{/}{8}$. $\overset{/}{9}$. 13. $\overset{////}{19}$. $\overset{/}{20}$. $\overset{///}{21}$. $\overset{/}{22}$. 23. 25. 26. $\overset{//}{28}$—$\overset{/}{30}$ = 4.153. Dig. Dec.

Grando 11. 12. WNW 1.

☿ Altitud. maxim.	16.30.0.	Malacia.	media 29.5$\frac{5}{30}$.
——— minim.	29.28,9.	S b E 3^x.	
Dies frigid.	11. 55.	N W 1	media Therm. Altit. 45$\frac{11}{30}$.
— tepid.	18. 36.	S S W. 1.	

Morbi ſuperioris Menſis, jam vi & numero aucti graſſantur maximè: imò Febres intermittentes à levi ſæpè Errore in putridarum Claſſem tranſiliunt, haud contemnendo Ægrotantium Periculo; facillimè porrò recidivæ corripiunt, quos ex toto reliquerant antè.

MAIO.

Aëris Conſtitutio humida & Ventus auſtralis ad medium propè Menſem duraverunt. Initio Barometer fuit depreſſus; à xvi Caurus, aut Septentrio leniter ſpirans *Mercurium* tenuit ad 29.8 circiter ferè ad Finem uſque: Aër interim ſiccus erat & ſubtepidus.

Pluvia 1. $\overset{//}{1}$. $\overset{//}{2}$—$\overset{//}{5}$. 9. 10. $\overset{/}{12}$. 15. $\overset{/}{18}$. 20. 21. = 1.633. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim.	21. 30,0.	Malacia.	media 29.6$\frac{12}{31}$.
——— minim.	3. 28,9.	S S E 3.	
Dies frigid.	1. 46.	S b W 3.	media Therm. Altit. 35$\frac{13}{30}$.
— tepid.	23. 30.	W N W. 1.	

Febres *Catarrhalis* ac Tuſſes jam evanuêre penitùs; at (E) Febres intermittentes ſæviunt adhuc. Vix ullæ nunc *Variolæ*.

JUNIO.

JUNIO.

Prior Junii Pars Ventos habuit auſtrales & occiduos, Pluviamque haud exiguam; *Atmoſphæra* etiam plerumque craſſa erat & humida: *Baroſcopium* mediam ferè tenuit Stationem. Poſterior Menſis Pars erat magis ſerena, ſicca & calida; Venti ab Oriente, aut Plagis arctoïs.

Dig. Dec.

Pluvia $\overset{/}{1}$. 2. 4. 7. $\overset{/}{8}$. $\overset{/}{9}$. $\overset{/}{11}$. $\overset{//}{12}$. 17. $\overset{/}{20}$. 25. 26=1.636.

Fulgur & Tonitru, 17. 26.

☿ Altitud. maxim. 28. 29,8. N 1.
——— minim. 8. 29,2. SW b S 2. } media $29.5\frac{17}{30}$.

Dies frigida 10. 37. WNW 1.
— calida 29. 23. ESE 1. } media Therm. Altitud. $30\frac{14}{30}$.

Febres intermittentes adhuc paſſim; aliquæ putridæ, lentæ, *nervoſæ.*

JULIO.

Per Initia Menſis Aër fuit apricus, ſiccus & fervidus; Ventus aut nullus, aut Subſolanus; Ros plurimus: labente autem *Mercurio* ix & x. multa Pluvia, reſurgente paulò pòſt, Serenitas: dein relabente magis xv & xvi. gravis Pluvia: varia pòſt Tempeſtas ad Finem uſque Julii, Vento plerumque ad Occidentem vergente: Aër intereà erat longè humidior, & ad Finem valde craſſus.

Dig. Dec.

Pluvia $\overset{//}{9}$. $\overset{//}{10}$. $\overset{//}{15}$. $\overset{//}{16}$. 17. 18. $\overset{///}{20}$. $\overset{/}{25}$. $\overset{//}{26}$. 28. 30.=3.179.

Die 2 Horâ 11. p. m. malacia; permagnum obſervavi Lumen boreale, cujus Radii lucidi, at non colorati, vibrantes, terminari videbantur in coruſcante quaſi Umbellâ paulò ultra Zenith octo, decemve, ferè Gradus, Meridiem versùs. Centrum hujus lucidæ Coronæ eodem ferè Intervallo diſtabat ab Arcu meridiano, certiſſimè ad Orientem: quod idem utique haud rarò nuperis Annis notavi. Durante Splendore hoc boreali plurimus Ros decidit; ſi ventus fuit aliquis, à Septentrione venit.

Die 22. H. 9. p. m. N. 1. leve, at inſolitum Lumen boreale eluxit, cujus Radii pyramidales, inverſo planè Ordine, vibrabant: horum enim

Vertices ad Centrum, quaſi paulò infra Horizontem, ſub ipſo Axe boreo tendebant. Die 4 & 17. W N W 1. parvæ *AB*, at nihil inſoliti. Tonitru 8.

☿ Altitud. maxim. 3. 29,9. Malacia.
——— minim. 16. 29,0. S W 1. } media 29.6.

Dies frigid. 23. 37. E 1.
— fervidus 7. 18. E S E 2. } media Therm. Altitud. $28\frac{16}{36}$.

Febres tertianæ & duplices tertianæ adhuc, paucæ quoque putridæ. Languores graves à profuſis Sudoribus, quibus omnes infeſtantur maximè: Laxis nempe & patulis Cutis *Poris* Humores, à Fervore Tempeſtatis rarefactos, & colliquatos, immoderatè tranſmittentibus.

AUGUSTO.

Ineunte Auguſto Cœlum fuit plerumque ſudum, Aër ſiccus & fervidus, *Barometer* altum tenuit Locum, Venti Septentrionales: exeunte autem Aër fiebat humidior longè, & cum *Mercurio* decidit Pluvia; interim Zephyrus, Libs, aut Corus, perflabant aſſiduè.

Pluvia 1. 11. $\overset{///}{13}$. 17. $\overset{///}{20}$—22. 24—$\overset{/}{27}$. $\overset{//}{28}$. 29.=1.894. Dig. Dec.

AB. 18. 10. p. m. N N W 1. Fulgura & Procella 20 Nocte. S W.

Maximus Maris Æſtus 27. S S W 3—28. S W. 3[x].

☿ Altitud. maxim. 9. 30,1. N b W 1.
——— minim. 28. 29,0. S W 3[x]. } media $29.6\frac{20}{31}$.

Dies frigid. 29. 38. N W 1.
— fervid. 5. 20. W N W 1. } media Therm. Altitud. $30\frac{4}{31}$.

Febres intermittentes ſub Finem Menſis frequentiores: *Diarrhææ* & Morbi colici plurimi.

SEPTEMBRI.

Corus ferè ſpirabat quotidie ab Initio Septembris ad Diem xi, *Barometrum* attollens, Nubeſque diſpergens pulcherrimè. A xvii ad ipſum Finem Ventus ex Oriente, flectens ſubinde ad Auſtrum, ſubinde ad Septentrionem, furens, ſæpè perflabat, & *Mercurium* magis quàm quis crederet, deprimebat, haud multâ nempe tunc decidente Pluviâ: interim humidus erat & frigidus Aër.

Pluvia,

Dig. Dec.
Pluvia, 4. 6—8. 10. $\overset{/}{16}$. $\overset{///}{17}$. 18. $\overset{///}{23}$—25. 26=1.526.
Maximi Maris Æſtus à 22 ad 25, perfurente Vulturno.

☿ Altitud. maxim. 10. 30,0. N W 1. } media 29.5$\frac{21}{30}$.
——— minim. 24. 28,5. S E b E 3ˣ. }

Dies frigid. 20. 46. E b N 3. } media Therm. Altitud. 38$\frac{18}{30}$.
— tepid. 1. 27. Malacia. }

Febres intermittentes paſſim & nonnullæ putridæ, *Diarrhœæ* quamplurimæ; morbus autem colicus rarior ſolito hâc Tempeſtate: haud pauci *Ophthalmiâ* & Tumore Colli Fauciumque correpti ſunt.

OCTOBRI.

Libs ferè perpetuus flavit à ii ad xiii Octobris, *Mercurio* multùm cadente; Pluvia interim continua decidit: poſt Boreas, aut Euronotus xxvii adusque, ſcandente *Baroſcopio*, & conſequente Apricitate; inde humidus Auſter gravem perpetuamque Pluviam demiſit.

Pluvia $\overset{//}{2}$. $\overset{//}{3}$—$\overset{//}{6}$. $\overset{//}{7}$. $\overset{//}{8}$—10. 12. $\overset{///}{13}$. 20. $\overset{//}{21}$. 24. $\overset{//}{28}$. $\overset{///}{29}$. $\overset{//}{30}$
Dig. Dec.
=5.386.

AB. 1. 8. p. m. N N E 1. levis *AB.* 14. 9. p. m. N E. 2—15. N N E 1—22. E N E 1.

☿ Altitud. maxim. 16. 30,2. N N E 1. } media 29.5$\frac{4}{31}$.
——— minim. 8. 28,8. S W 2. }

Dies frigid. 16. 55. N N E 1. } media Therm. Altitud. 46$\frac{16}{31}$.
— tepid. 2. 40. S S W 2. }

Febres *Eryſipelatώdes* & *Petechiales* paſſim.

NOVEMBRI.

Pluvia adfuit perpetua, non tamen valdè gravis, ad ix Diem Novembris, dum Ventus ex Auſtro plerumque fremuit maximè. Aër intereà fuit humidus valdè: tunc Aquilo diſcuſſit paululum Nubes, flectens inde variè Ventus ad Occidentem, per Auſtrum recurrebat tandem donec Orientem attigit, mutans interim aſſiduè Cœli Faciem & *Barometri* Stationem: pòſt verò deflectens ad Septentrionem, rigidam invexit Brumam, Cœlumque ſerenum.

Pluvia 1. 2. 3—8. 9. 14. 16. 18—20. 22. 24. 25.=3.535. Dig. Dec.

Procella 1. mane primo W S W—15. Nocte. S b E—18. H. 2. p. m. S S E. 4ˣ.

Levis *AB*. 22. Permagnus & vividus Halo circa Lunam 6. 10. p. m. S 3. Maximus Maris Æſtus 18. S S E. 4ˣ.

☿ Altitud. maxim. 30. 30,2. Malacia. } media $29.5\frac{25}{30}$.
——— minim. 25. 28,8. E S E 3. }

Dies frigid. 30. 72. rigidiſſimum Gelu ! } media Therm. Altitud. $54\frac{24}{30}$.
— tepid. 7. 42. S S W 3. }

Morbus peſtilens inter Boves. Coryzæ & Tuſſes ſunt valde frequentes.

DECEMBRI.

Ab initio Decembris ſubſedit ſenſim *Mercurius* in *Baroſcopio*, multâ ruente Pluviâ. Ventus fuit interim varius quotidie, Aër autem maximè humidus; donec Aquilo mutavit Rerum Faciem, Geluque rigidiſſimum protulit & Nivem; eâque borealis Ventus, aut Orientalis, continuabat ad ipſum Anni Exitum.

Pluvia 3. 4. 5—7. 8—10—12. Nix 17. 18. 21. 23. 24. 25.
Dig. Dec.
=2.273; Nive exceptâ, eam namque totam non potui ullo modo colligere, quùm citò impleverit Vas recipiens, ibique congelata remanſerit, avolante reliquâ: fuit autem ejus Quantitas proculdubio haud exigua, cum alta fuiſſet undique ſexdecim ſaltem Digitos.

☿ Altitud. maxim. 15. 30,3. N 1. } media $29.7\frac{4}{31}$.
——— minim. 8. 28,8. S b W 3. }

Dies frigidiſſimus 23. 75. N. E 2. } media Therm. Altitud. 64.
— tepid. 7. 52. S S W 3. }

Febres *rheumaticæ* paſſim, & Paroxyſmi (F) Aſthmatici frequentes: quamplurimæ Tuſſes, eæque ſæpè graves, ſub Finem Menſis præſertim.

Tota, quæ decidit, Pluvia hoc Anno fuit 36.564. Dig. Dec.

Notationes

Notationes aliquæ.

(A) Aër fuit ita humidus fortè quòd parùm admodùm Gelu fuiſſet. Gelu certè Atmoſphæram reddit ſiccam, condenſando Vapores, eoſque Terræ coagmentando; Terra interim ipſa ita Gelu conſtricta eſt, ut Exhalationes impediat. Hoc in Degelationibus eſt maximè conſpicuum, ubi omne Solum, quaſi Aquâ perfuſum, humeſcit, imò ferè ſpumeſcit; datâ ſcilicet Viâ Vaporibus à Calore ſubterraneo elevatis, at Gelu antè ad Terræ Superficiem aſtrictis. Hinc eſt quòd Gelu diu durans Terram fœcundet, retentis nempe ſalinis & ſulphureis Halitibus, ut Agricolæ nôrunt: atque hinc fortè poſt longum Gelu, cum degelatio accedat, morbi *Epidemici* oriuntur, ut obſervatur ſæpiſſimè.

(B) Nonne hi Maris Æſtus exundantes, partim fortaſsè, pendebant à maximâ Aëris Levitate, has in Regiones incumbentis, qui Maria noſtra longè minùs premebat quàm circumfuſum Oceanum; Aquis nempe hic confluentibus ad Æquilibrium reſtituendum? Quoniam Aquam inter & Argentum vivum intereſt differentia, quod ad Pondera, 14 ad 1 quàm proximè; ſequitur manifeſtè *Barometro* in hac Regione integrum Digitum ſubſidente, Aquas debere hic quatuordecim Digitos altiùs aſſurgere, quàm ubi, ex Proportione dictâ, major eſt *Atmoſphæræ* Preſſura.——Annon porrò hâc ipſâ de Cauſâ fortè violentiſſimè urgente, diſploſis ſcilicet ſubitò Vaporibus, Aëreque pro Tempore maximè rarefacto, Columnæ iſtæ Aquarum (quas *Spouts* vocant) & immenſi iſti Fluctus (quos *Boars)* evehuntur nonnunquam? Fulgetra namque ſemper ferè hæc comitantur *Phænomena*, quæ momentaneum quaſi Vacuum faciunt. Haud ſemel certè memini Montem quaſi Aquarum (quem a *Boar* hic vocant) perbrevem intra Horæ Quadrantem, imò multo minore Temporis Spatio, inundâſſe ad Altitudinem perpendicularem Pedum ſaltem duodecim, atque mox receſſiſſe penitùs: quod vix fortè ullâ aliâ Ratione explicari poteſt.

(C) Humida

(C) Humida valdè frigidaque Aëris intemperies ſemper Gravedines, Tuſſes, & morbos à *ſeroſâ* Colluvie pendentes gignit; idque non ſolum *Perſpirationem* inhibendo, ſed & inſuper Humiditatem noxiam, Sale aëreo ſive Nitro gravidam, Sanguini per ipſos Cutis Poros inſinuando: nec dubito, quin ob has Cauſas Tuſſes Britannos noſtros longè magis infeſtent quàm Gallicum, aut Heſperium, Populum, qui ſicciore gaudent & tepidiore *Atmoſphærâ*. An Aër ipſe quidem Corpora noſtra ſubire poteſt ſub Aëris Formâ, dubito; per * Cortices autem Plantarum, imò Arborum, penetrare certum eſt. Extra omne dubium verò aërea Humiditas Cutis *Poros* permeat; nec mirum, quippe duriſſima Ligna & Saxa penetrat.—Plura ſane Experimenta hanc aërei Humoris Attractionem confirmant; & quid quæſo huic ſit magis Impedimento quàm Terebinthinæ, aut Argenti vivi Exhalationibus, quæ vel intimum intrant Corpus? † Juvenis quidam ſanus, Jejunio & Labore confectus, Spatio unius Noctis octodecim Uncias imbibit per *Poros*. Hoc, etſi non tantâ Quantitate, notant ſæpiſſimè, qui Curſibus præſunt equeſtribus, ubi jejuniis ad certum Pondus redigendi ſunt Equiſones.

Tria hinc in regendâ Valetudine Conſectaria ducantur: 1. Ut jejunus Nemo, nec fatigatus admodùm, contagioſo ſe committat Aëri, aut Febre malignâ, aut peſtilente, correptos inviſat; pluribus, imò Medicis, hoc fuiſſe Exitio memini: tunc enim ex facili *Effluvia* morbida accipiunt.

2. Cavendum eſt maximè, ne quis diu in Aëre inquinato verſetur. Methodici olim, Teſte || Cœlio Aureliano, vel Cubiculi Aërem medicabant: plurimum utique intereſt, an ſubfrigidam reſpirat Auram ardente laborans Febre, an æſtuoſam, liberam, an denſam nimis; ideo, jubente ‡ Celſo, in amplo Conclavi tenendus eſt; ſi id quidem

* Hales's *Vegetable Statics*, cap. 5.

† Vid. *Jacob. Keil*, Medicin. Static. Britan.

|| Lib. ii. cap. 36.

‡ Lib. iii. cap. 7.

non

non eſt, eluceat modicè Focus, quo per Caminum impura & morbida Mephitis eliciatur, quæ diu aliter ſtagnans magis magiſque in Horas peſtifera redditur; atqui hoc modo perflabile ſervetur Cubiculum tutiſſimè.

3. Hinc porrò vides quanto diſcumbis Periculo cum impuro Lecti Socio; quot tabidos, hâc de Cauſâ, factos novi, ſaniſſimos olim? quantum hinc cavenda Lecti Conſortio? quantum hinc marcet formoſa Puella ſicco admota Seni; dum ille vigeſcit? Nec melior potuit inveniri modus refocillandi decrepitum Judæorum Regem, David, quàm conſulendo, ut illum in Sinu foveret perpulchra Shunamita Virgo.

(D) Ex humidâ valdè & minùs *elaſtica* Aëris Conſtitutione Sanguinis Lentor nimius producitur facilè; unde *Circulatio* per Vaſa minima haud expedita, per majora autem debito rapidior, eaque aucta plurimum à ſuſcepto Frigore, *Perſpirabile* ſubito reprimente. Unde Paroxyſmus ſequitur febriculoſus? qui tamen brevi faceſſit, amotis nimirùm Repagulis, & conſequente Sudore, niſi aut Sanguis ſit lentus valde aut viſcidus: tunc enim vel putrida ac lenta Febris, vel ardens ac vehemens, ſubſequitur: prout nempe Fibrarum *Tonus*, magis minúſve *elaſticus*, & Status Humorum diſpoſuerit. Quamobrem monerem Tyrones medicos, ne nimiùm forent in exhibendo Corticem Peruvianum, *Alexipharmaca* & *Salia volatilia*, præproperè, in ipſo præſertim Initio Febrium intermittentium, nec niſi poſt debitas (prout fuerit opus) *Evacuationes:* Error namque talis haud rarò Pleuritides & Peripneumonias arceſſit, aut Febrem cum Delirio, vel Comate, continuam. Febris utique intermittens rarò aliquem jugulat; ſi tamen, ex eâ, facta eſt continua in malis Æger eſt (monente Celſo Lib. iii. capit. 15. ad finem.)

In primis ideò Acceſſionibus vix aliquid Ægro neceſſe eſt, niſi ut ſorbeat affatim Potum aliquem diluentem, tepidum; quod & Horrorem diſcutit, & Vomitum, ſi urgeat, promovet, finemque tandem *febrili* Paroxyſmo facit, Sudores eliciendo; ad quod idoneum eſt maximè ut Æger ſe in Lectulo contineat, durante Paroxyſmo. Tunc demum Febre bene finitâ, ex Medicamento vomat, Alvum purget de-

nuò, aut ſaltem ducat, ſi cita antè non fuerit; tunc enim, Rhabarbaro exhibito priùs, eam comprimere licet.

Multum utique facit ad omnigenas Febres extinguendas, poſt debitam (ſi ſit neceſſe) Sanguinis miſſionem, primarum Viarum à putridâ *Cacochymia* Purgatio. Neque hoc ſolùm modo prodeſt Vomitus, ſed & ipſa ejus Actio Obſtructiones, vel in ipſis Corporis Penetralibus, reſerare apta eſt: ad utrumque igitur Scopum eum provocare utile eſt; id ipſum quippe Febres quaſdam intermittentes ſæpè ſæpius curavit.

Poſt ſecundam, tertiamve, Acceſſionem quod Genus Febris ſit ſcire licet, atque exin Medicinam aptare idoneam, in qua Jure merito primum obtinet Locum Cortex Peruvianus: at neſcio quo Fato, utcunque ſeduli fuerimus in iſto eligendo, ad has Febres abigendas, Opinione longè minùs, profuit; niſi primò Cinnabari, Camphorâ, Myrrhâ; pòſt *Stomachicis aromaticis* & *Chalybeatis* adjutus. Tunc equidem *Mercurii alkalizati* Uſus mihi haud innotuit, quem paulò pòſt tamen mecum communicavit optimus ille, celeberrimuſque Medicus, D. D. Cheyne: hanc verò Mercurii Præparationem ad plurimos Morbos maximè efficacem eſſe millies inde inveni. Maximam profectò vim habent *Mercurialia* contra Sanguinis Lentorem & Obſtructiones Vaſorum; imò ſine Stimulo ſalino præparata non ſolum in Febribus intermittentibus eſſe utiliſſima, ſed & in *Pleuriticis*, *Peripneumonicis* & *Rheumaticis*, poſt debitam Sanguinis Miſſionem, plurimùm prodeſſe novi: dum enim lentos attenuant Humores, parùm interim rarefaciunt Sanguinem, aut exagitant, etſi Pondere ſuo momentum ejus multùm adaugent. Acutiſſimus JURINIUS demonſtravit olim, * Gravitatem Globuli Sanguinis rubri eſſe ad Gravitatem Seri, ut 1126 ad 1030: atqui tantæ potiſſimùm Gravitatis effìcti videntur Globuli, ut Seri Tenuitatem conſervarent, & ſanguineos Tubulos præſtarent meabiles; at cum magna adſit Tenacitas Humorum, & Obſtructio Vaſculorum pertinax, iis utique utendum eſt, quæ multò majore pollent momento.

* *Tranſact. Philoſoph. Anglic.* N°. 361.

Sub

Sub Finem verò harum Intermittentium *Stomachica Chalybeata* & *Auſtero-Aromatica* juvabant maximè, queis ſine Tumor Pedum *oedematoſus* ſemper, & recidivæ Febres accedebant ſæpiſſimè; imò cùm morbus ex toto diſcuſſus fuiſſet, ad Recidivam præcavendam commodum erat omninò, Die ſcilicet octavo, vel decimo pòſt, Corticem Peruvianum & *Martiata Stomachica* reſumere, ad paucos ſaltem Dies. Nonne ideò eadem hæcce, ſubinde aſſumpta, perbona ſint ad *Prophylaxin*, dum Aër nimis humidus & parùm *elaſticus* Sanguini Lentorem inducit, & Vim Fibrarum enervat; idque præcipuè debilioribus, ac *Syſtaſi* Nervorum infirmâ affectis? Hæc utique Methodus mihi optimè ceſſit in *Hyſtericis* & *Hypochondriacis* ſæpiſſimè.——Hoc forſan haud abſurdum erit Monitum iis, qui haud proſperâ Valetudine gaudent, aut illis, qui eorum Sanitati proſpiciunt. Delicatulis, ac Mollitiis fluentibus, haud injucundum, nec fortè inefficax Antidotus, erit Malum Aurantium Hiſpalenſe toſtum, ex Vino rubro generoſo, poſt debitam Infuſionem.

Nihil ſanè ad Febres intermittentes eradicandas facit magis quàm frequens Vomitio, præcipuè ubi Nauſea & Vomitus urgent, quod in his ferè accidit ſemper: dum namque Stomachus, ſeu muco acido obrutus, ſeu biliosâ Colluvie, languet, quaſi Vas iners, Fermento imbutum putrido, Ingeſta omnia corrumpit: hinc perpetuus morbi Fomes, donec perpurgatur Ventriculus.——Ad movendum autem Vomitum, vel Decoctum Radicis Ipecacuanhæ, vel Infuſio ex Vino, exhibetur tutiſſimè; ſi vis aliquid fortius, Vini benedicti Cochleare unum, alterumve, adjici poteſt. Perperàm verò (quod ſuadent nonnulli) oleosâ, aut immensâ ſubtepidæ Potione ſolicitatur, quarum prior oblinit potiùs quam deterget Ventriculum, eum altera onerat nimiùm: imò ſæpè adeò non juvant immanes iſti Hauſtus, ut, Stomachum nimio plus diſtendendo, Vim ejus conſtringentem, omnemque Actionem perdant omninò. Longè igitur longèque rectiùs promovetur Vomitio modicâ Potione tenuis Infusûs Florum Chamæmeli, ſub Finem verò Vini rubri cum Aquæ Dimidio, Duplo, aut Triplo,

prout Res exigit, in quo lene aliquod Aromaticum ſit incoctum: Suſtentat hoc quippe totius Corporis Vires, & naturalem Ventriculi Potentiam erigit plurimùm, ita ut quicquid Plicis ſuis inhæret exprimat, ſe nempe corrugando validiùs; adeoque tandem Ventriculi Tunicas corroborat, ut multo minùs poſtea ſit obnoxius Illuviei nocenti. Hinc fit quòd Vomitus ex Vino rubro auſtero & aromaticis parato tantum Arthriticis proſit, ubi morbus Stomachum occupaverit.

* Provocabant olim Romani Luxuriæ Cauſâ Vomitum, quidni nos Sanitatis? Quandoquidem vix aliquid ſubeſt Periculi, modò deſcriptâ excitetur Methodo, & poſt debitam, ſi commodum eſt, miſſionem Sanguinis: nam ſive plus eſt injectum quàm quod concoqui poſſit, periclitari ne corrumpatur non oportet; ſive jam corruptum eſt, nihil commodius eſt quàm id, quâ viâ primum expelli poteſt, ejicere. Haud alio utique modo expurganda eſt Colluvies Stomachi bilioſa, aut pituitoſa, multorum ſanè Morborum Origo & Fomes: quicquid enim primâ Digeſtione corrumpitur, haudquaquàm emendatur in ſecundâ Concoctione, adeoque qualis efficitur *Chylus*, talis fit Sanguinis.

Nec ſolùm Corporis Vigorem conſervat purus, firmuſque Stomachus, ſed & Animi etiam Acumen; ideo † Carneades, Academicus, ſcripturus adverſus Stoici Zenonis Libros, ſuperiora Corporis candido Elleboro purgavit: perpauci ſane Philoſophi ex Apicii Schola prodiêre; vix aliquid certe Cerebro officit magis, quàm ingluvie diſtentus Venter.

Audi ‖ Horatium, haud omninò Pythagoricum—

—*Quin Corpus onuſtum*
Heſternis Vitiis Animum quoque prægravat unà,
Atque affigit Humo divinæ Particulam Auræ.

Qui ſecum reputat Nervi *intercoſtalis* & *Paris vagi*, ſive octavi, longas Ambages, Implexus, Ramuſculos, horumque Concentum atque Conſenſum; quorum alteruter Veneno, aut acri aliquo tactus, Vomitum ciet illicò; qui porrò ſpectat, Actione Vomitûs, omnem intendi

* *Celſus*, Lib. i. cap. 3. † *A. Gellii*, Lib. xvii. cap. 15. ‡ *Sermon.* Lib. ii. Satyr. 2.

Nervum,

Nervum, omnemque concuti Fibram; idoneus ſolùm eſt Judex, quibus in morbis, quâque ſub Conditione, excitanda ſit Vomitio: in pluribus haud dubio utilis eſt admodùm, quum & omnes Corporis Humores attenuet, omneſque promoveat Secretiones.

(E) Haud ita multum in medendi Methodo mutavi, ni quòd opportunum eſſe invenerim Medicamentis, ſuprà laudatis, addere Elixir Vitrioli, & Aquas Spadanas, aut Pyrmontenſes, haurire quotidiè. Nec pœnitendo utique Eventu, tunc Temporis, Balneum frigidum commendavi; præcipuè convaleſcentibus ab intermittente rebelli: ad Fibrarum nempè Tonum reſtituendum, & Humores lentos comminuendos. Hinc didici tandem quantum poteſt tale Remedium, ubi vix alia proficit Methodus, idque nonnunquam in pertinace Quartanâ: novum hoc forſan & inauditum, mihi verò probè expertum.

(F) Dum Subſolanus afflat, ſeu Boreas, Aër & elaſticus valdè & gravis evadit, plerumque porrò frigidior; ſolito magis ideò diſtendit, premitque Pulmones: quinetiam *Atmoſphæra* ponderoſior externum Corporis Habitum comprimit, &, ſi ſit frigidior, Nervos Fibraſque cutaneas conſtringit: minus hinc Sanguinis εἰς τὰ ἔξω, εἰς τὰ ἔντερα verò ejuſdem Congeſtio, & proinde motus rapidior. Non mirum ideò ſi infirmâ Pulmonum *Craſi* laborantes talem Aëris Conſtitutionem malè ferunt, Veſiculis nempè pulmoneis Aëre diſtentis nimiùm, Vaſculis ſanguiferis Cruore. His de Cauſis quamplurimi, Vento ad Orientem vergente, certo certius ferè Aſthmatis Paroxyſmo corripiuntur. His præcipuè Aſthmaticis convenit Sanguinis Miſſio, imò, *Dyſpnœâ* urgente maximè, neceſſaria eſt omnino; tunc lenia *antiphlogiſtica* Purgantia, Gas Sulphuris, Acetum & Oxymel Scilliticum, ex Poſcâ, Mulſo, aut Potu tenui ſubacido, Paroxyſmum ſolvunt: porrò Pedes demittere in Balneum ex Aquâ tepidâ hiſce Auxilio eſt, Humores alliciendo ad Partes inferiores.——Novi Virginem elegantem uno, alterove, Die ante Menſtrua, gravi Spiritûs Difficultate corripi ſolitam, cui hoc certum ſemper ſubitumque attulit Levamen.

Pituitoſis contrà, humidiſque Aſthmaticis, Vomitoria, *Epiſpaſtica, Volatilia,* Purgantia fortiora, & Detergentia acriora opitulantur.

DE AËRE

ET

MORBIS EPIDEMICIS,

ANNO MDCCXXIX.

JANUARIO.

INEUNTE & exeunte Januario Aër fuit frigidus valdè, Venti aquilonares, permagna Elevatio Barometri, Nebulæ ſæpè denſiſſimæ, & nonnunquam fœtidæ, Gelu frequens & rigidum valdè. Medio autem Menſe, ſubſidente Mercurio, Pluvia, Ventuſque varius, qui ab Occaſu vergebat plerumque ad Septentrionem. Ad Finem orientales Venti Aërem deſiccabant plurimùm, quamvis fuerat antè multo humidior.

Dig. Dec.
Pluvia 4. 12. 13—16. 19. 21. Nix 7 Nocte = 0.900.

AB. permagna Die 6. H. 11 Noctis. ENE. 1. Lucidam quaſi Nubem obſervavi, Die 14. H. 9. p. m. inter Orionem, Taurum & Os Ceti, coruſcantem undique Radiis vibrantibus, lucidiſſimis, etſi ne vel minima alibi extiterunt Signa Luminis borealis, iſtâ Nocte.

☿ Altitud. maxim. 9. 30,4. Malacia.
——— minim. 14. 29,1. W N W 2. } media 29.9$\frac{30}{31}$.

Dies frigidiſſima, 1. 74. E N E 1.
— tepidiſſima, 19. 52. W N W 1. } media Altitud. 61$\frac{1}{31}$.

Tumor Faucium *anginoſus*, & Tuſſes, valdè frequentes; Perniones etiam inter Adultos, freqentiſſimi: Pleuritides & Febres *rheumaticæ* paſſim.——Prælarga Sanguinis miſſio *Pleuriticos* juvabat maximè,

Potuſque

Potuſque multus emolliens; eadem omninò Methodus *Rheumaticis* auxiliabatur: atroces verò Artuum Dolores plurimùm levabant Fomenta tepida laxantia, admota ſubinde.

FEBRUARIO.

Initio Februarii *Baroſcopium* indicavit 30.2, flante Septentrione; poſt Diem vii Ventus ab Occidente venit, flectens modò ad Auſtrum, mox quoque ad Arctum, Pluviâ cadente: à xiv ad Finem uſque Flatus perpetui, ac ſæpè vehementes, ex Oriente frigidam ſiccamque *Atmoſphæram* fecêre, ſurgente plurimùm *Mercurio*.

Pluvia 4. $\overline{7}^{\,'''}$. $\overline{9}^{\,'}$. $\overline{10}^{\,'}$—12. Nix 5. 14. 24. = 1.814. Dig. Dec.

Ventus turbineus 23. 24. Fulgura 9. H. 8. p. m. S W b S 3.

(A) Spiritus Thermometri Haukſbeiani ſæpè ad 66 hoc Menſe ſubſidebat, cum tamen vix ulla uſpiam viſa fuerit Glacies, à xvii ad xxi præcipuè.

☿ Altitud.	maxim.	25.	30,3.	E 3.	media $29.7\frac{2}{28}$.
———	minim.	10.	29,1.	W 3.	
Dies	frigid.	6.	71.	N 1.	media Ther. Altit. $62\frac{10}{28}$.
—	tepid.	9.	56.	S W b S 3.	

Graves *Rheumatiſmi* & Arthritidis Paroxyſmi, qui multo magis quàm ſolito excruciant. Tuſſes ſiccæ, laborioſæ, frequentes ſunt. Sanguis, è quocunque ferè detractus, eſt craſſus valde, & perpaululum Seri habet; ubi Febris aliquid acceſſit, admodùm eſt viſcidus: Pleuritides tamen, ac Peripneumoniæ, non æquè frequentes ſunt ac quis expectaverit. Multi adhuc Aſthmate laborant, & plurimi, imò Adulti, Pernionibus vexantur.

MARTIO.

Frequens perflavit Aquilo ad xiv uſque Martii; xv fremuit Vulturnus, plurimâ ruente Pluviâ; xvi & xvii Boreas furebat maximè; ſub Finem lenior ſpirabat ab Occidente Ventus, cadente *Mercurio*: Vehementiſſimus autem aderat Turbo è Septentrione xxiv circa Meridiem. Aër fuit ſiccus & frigidus.

Pluvia

Pluvia 1. 12. 14. 15. 16. 22. 23. 24. 26. 27. 28. 30. 31.
Dig. Dec.
Nix 11 = 2.092.

Rigidum Gelu 10——13. Ventus plerumque N E. Procellæ 16 16. 17. 24.

☿ Altitud. maxim. 17. 30,2. N N E 3^x. } media 29.7 $\frac{7}{31}$:
——— minim. 15. 29,0. S E 3^x. }

Dies frigid. 11. 66. N 1. } media Therm. Altitud. 54.
— tepid. 31. 49. W S W 1. }

Gravis adhuc ſævit *Rheumatiſmus* & Arthritis; nec cruciatus magis obſtinatos memini nec Arthritidem magis *anomalam*. Tuſſes *orthopnoicæ* moleſtiſſimæ, plurimos corripiunt, lentâ ſæpe cum Febre; ſputa ſunt maximè viſcida & excreatu difficillima. His, Venæ Sectione peractâ, Potio larga, diluens, calida, Detergentia dein ex Oxymelite Scillino, Gum. Ammoniaco, Flor. Benzoes, *&c.* opitulantur, *epiſpaſticis* non rarò admotis. Nihil magis fuit Tuſſi Levamento, nihil tutius, Elixir Aſthmat. le Mortii & Pilul. Mathæi. At hic notandum, quod perpetuum eſſe debet, ubi Attenuantia & *Volatilia* liberè exhibentur, & *Veſicatoria* iterum atque iterum applicantur, multis Diluentibus utendum eſt: Lympha diſſipatur aliter Cruor vero incraſſatur nimis & acrior evadit, unde neceſſariò Inflammatio & Febris augentur.

APRILI.

Siccus fuit & tenuis Aër durante Aprili, ac ſæpè frigidus, imò Die xiii ipſa Glacies: Ventus ab Oriente plerumque, medio quidem Menſe ad Septentrionem flectens, ſub Finem verò ad Auſtrum. Statio *Baroſcopii* alta manebat ab xi ad xxix. Magna Roratio, ac Pruina nonnunquam à xiii ad xix, Cœlumque ſerenum.

Pluvia 1. 2. 7—10. 25. 27—30 = 1.692. Dig. Dec.
AB. 11. 10. p. m. N N E. 2.——levis 21.
N W 1 Procella 9 Nocte S E.—25. E S E.

Altitud.

☿ Altitud. maxim.	16.	30,1.	E N E 1.	} media 29.6$\frac{14}{30}$.	
——— minim.	25.	29,1.	E S E 4.		
Dies frigid.	13.	57.	E b N 1.	} media Therm. Altitud. 46$\frac{29}{30}$.	
— tepid.	29.	40.	S S W 1.		

Eryſipelas & puſtuloſa Febricula frequens. *Variolæ* paſſim. Tempeſtas infeſta Tabidis, his præcipuè, qui, elapſis Menſibus, Febre lentâ pulmonariâ correpti, ad Phthiſin olim fuerant proclives.

MAIO.

Hujus Menſis Initio, labente *Barometro,* Pluvia, frigidaque Tempeſtas; Die octavo, benè Mane, etiam ſtagna Glacie fuere aſtricta: Veſperi autem ejus Diei Fulgura ſæpè, at ſine Tonitru prorsùs. Cœlum deinceps varium, variuſque Ventus; à xvi ad Finem uſque Aquilo ſæpè, Subſolanus ſæpius, Mercurium ſuſtulerunt, *Atmoſphæræ* porrò Siccitatem & Apricitatem reddiderunt.

Pluvia. $\overset{\prime\prime\prime}{3}$—$\overset{\prime}{5}$. 6. 10. $\overset{\prime\prime}{12}$. 14. 19. 20. $\overset{\prime}{24}$. = 1.560. Dig. Dec.

Levis *AB*. 6. 10. p. m. N b W 3.

☿ Altitud. maxim.	8.	30,0.	N W 1.	} media 29.6$\frac{13}{31}$.
——— minim.	5.	29,1.	W S W 3.	
Dies frigid.	8.	54.	W N W 1.	} media Therm. Altitud. 41$\frac{26}{31}$.
— tepid.	28.	35.	E b S. 1.	

Febres *peripneumonicæ* & *eryſipelatoſæ*. *Variolæ,* ac Febriculæ cum Puſtulis *rubeoloſis* (vulgò *the Chicken-Pox)* paſſim. Tumores quoque Pedum urentes, at recedentes brevi.

JUNIO.

Nulla fuit *Baroſcopii* Elevatio notabilis toto Junio: medio quidem menſe Statio humilis, haud exiguâ tunc ruente Pluviâ. A xii ad xxiii Aër erat valdè craſſus, ac humidus, dum Africus ſæpè afflabat, intercurrente nonnunquam Malaciâ: Initio autem & Fine Subſolanus. Magna ſub Finem Roratio.

Pluvia 2. $\overset{\prime\prime}{3}$. 7. 8. $\overset{\prime}{11}$. $\overset{\prime\prime}{12}$—14. 16. $\overset{\prime\prime\prime}{17}$. 22. = 1.662. Dig. Dec.

3 Altitud.

☿ Altitud. maxim. 26. 29,9. N 1.	media 29. $6\frac{3}{30}$:
——— minim. 13. 28,7. S 3.	

Dies frigid 4.40. E 3^{x}.	media Therm. Altitud. $32\frac{16}{30}$.
— tepid. 29.29. E 1.	

Eryſipelas & *Variolæ epidemicæ.* Febres intermittentes remittentes præcipuè, lentæ, *nervoſæ,* frequentes. *Cephalalgiæ* & Mania paſſim. Tuſſes inter Pueros.

JULIO.

Incipiente Julio ſerena ſatis effulſit Tempeſtas; Ventus orientalis iſque velox admodùm; a iv Die ad x, ſæpe vehemens, ſubſidente Mercurio; inde ad Auſtrum deflectens *Barometrum* uſque depreſſit *Atmoſphærâ* factâ nebuloſâ, ac humidâ valdè: ſub Finem aliquanto reſurgebat flante Favonio. Rara fuit apricitas poſt Diem ſextum, etſi Tempeſtas erat æſtuoſa valdè.

Pluvia $\overset{/}{\overline{7.}}$ 9. 11. 16—$\overset{/}{\overline{18.}}$ 21. 23. $\overset{/}{\overline{24.}}$ $\overset{/}{\overline{25.}}$ 27. 28. $\overset{///}{\overline{31}}$ =
Dig. Dec.
1.918.

Ventus turbineus & Tonitru 7. Nocte E. Fulgura 15 Nocte.

☿ Altitud. maxim. 3. 29,8. E b N 1.	media 29,$4\frac{2}{3}$.
——— minim. 25. 29,0. S b E 3_{x}.	

Dies frigid. 8. 36. E b N 3.	media Therm. Altitud. $28\frac{22}{30}$.
— æſtuoſ. 22. 22. Malacia.	

Variolæ multos invadunt.—Porrò toto hoc Menſe Febris putrida, lenta, ſub Finem remittens, tandemque intermittens, fuit maximè *epidemica* in hâc Regione. Caput, Stomachus & Lumbi laborabant potiſſimùm, quaſi ingruentibus *Variolis,* magnâ cum Oppreſſione Pectoris, Suſpiriis & gravi Languore: talis fortè affectus nomen dedit Febri *varioloſæ* † Sydenhamii. Pueri Juniores, Fœminæ, Infirmiores, hâc Febre præcipuè fuere correpti. Sanguis eorum detractus rarò viſcidus erat; Urina cruda plerumque, ac ſubtenuis, cum cine-

† *Sect.* iii. *Capit.* 3.

ritia,

ritiâ, mucoſâ & imperfectâ *Hypoſtaſi* ſæpè, quaſi ex Polline farraceo (Ὑπόςασις Κριμνώδης Hippocratis:) quo Sedimentum perfectius, eo major Spes ſalutis effulſit. Lingua, non arida valdè, glutinoſo quodam & ſubfuſco obducta fuit Mucore. Sub morbi Finem *Diarrhœa*, aut cruenta nonnunquam *Dyſenteria* (præſertim ſi Vomitus non fuerat Initio Arte promotus) urgebat maximè, imò quibuſdam erat exitio. Rubræ autem *Petechiæ*, Puſtulæ *miliares*, rubræ urentes, aut graves erumpentes ſudores, morbum *ſæpiſſimè* ſolvebant penitùs.

Venæ Sectio rarò, niſi Morbi Initio, profuit; Vomitoria verò erant pernéceſſaria: *epiſpaſtica* dein frequentia, & gradatim admota, lenia intereà *Cardiaca* Cinnabar, *Paregorica*, ſero Lactis Canarienſi & Potione dilutâ, ſubacidâ, largiùs epotis, fuere valde utilia. Quamprimùm Coctionis Signa, Urinâ nempe ſubſidente & remittente Febre, apparebant, Cortex Peruvianus juvabat apprimè. Sin autem Statu Morbi Coma, aut Delirium, acceſſerint, Opus fuerit extemplo Cucurbitulis ſcarificatis, Humeris Cervicibuſque affixis, Sanguinem detrahere, applicando mox *Epiſpaſtica* ponè utramque Aurem præcipuè, aut Capiti deraſo; injecto protinùs *Enemate* laxante.

Utcunque lenia Purgantia, ex Rhabarbaro potiſſimùm, Morbi reliquias putridas ſub Finem expurgabant percommodè; *Draſtica* tamen, aut *Aloëtica*, peſtiferos omninò habuerunt Effectus: quorum nempe Uſu intempeſtivo vim magnam Sanguinis dejectam vidimus & horrenda excitata Tormina: imò poſt *Catharſin*, etſi valdè lenem, Hauſtus *paregoricus* erat omninò neceſſarius.

Quamplurimi hoc Morbo correpti fuerunt, pauci verò periêre.

AUGUSTO.

Parùm utique Pluviæ durante Auguſto; Initio quidem & ſub Finem aliqua decidit, tunc quoque è madido Noto craſſus influxit & valdè humidus Aër. A x° ad xxiv fervida ac aprica Tempeſtas, Subſolano plerumque afflante placidè. Haud inſignis erat elevatio, aut depreſſio, *Barometri* hoc Menſe

Pluvia 1. 3. 5. $\overset{/}{6}$. 9. 24. $\overset{//}{26}$. 27. $\overset{/}{29}$. 31. = 1,002. Dig. Dec.

Magna ſæpè Roratio Menſe medio. Tonitru è longinquo ab Occidente 20. 23.

☿ Altitud. maxim. 16. 29,9. E b N 1.
——— minim. 6. 29,2. W N W 2. } media 29.6.

Dies frigid. 8. 37. N N W 1.
— fervid. 23. 18. Malacia. } media Therm. Altit. $28\frac{8}{10}$.

Febris *epidemica* perdurat adhuc: medio autem Menſe Puſtulæ rubræ, *miliares*, longè erant frequentiores quàm Menſe proximè elapſo. *Variolæ* mali admodùm moris ſæviunt. Scabies jam plurimos infeſtat, eos præcipuè, qui ab *epidemicâ* Febre convaluerant.

SEPTEMBRI.

Hoc Menſe ruebant Vapores, quos fervor Æſtatis excitaverat, in Pluvias nempè graves & perpetuas reſoluti; Aër interim erat maximè craſſus ac humidus: rara Apricitas, *Barometer* demiſſus valdè, Vulturnus fere aſſiduè à ſecundo Die ad decimum ſextum, iſque non rarò vehemens; exin ad Finem uſque Libs furens ſæpè.

Pluvia $\overset{///}{2}$. $\overset{/}{4}$. $\overset{//}{6}$. $\overset{///}{12}$. 15. $\overset{////}{16}$——$\overset{//}{19}$. $\overset{//}{21}$. $\overset{/}{22}$. $\overset{//}{23}$.——$\overset{////}{}$——$\overset{///}{30}$.
Dig. Dec.
= 6.498.

Procella 8. Nocte. S E b S—21. S S W.—22. W S W. Turbo 10. E b N. *AB*. 12. E b S.

☿ Altitud. maxim. 3. 29,5. E b N 1.
——— minim. 16. 28,7. S S E 3. } media $29.2\frac{14}{24}$.

Dies frigid. 23. 42. W S W 2.
— tepid. 1. 28. W 1. } media Therm. Altit. $32\frac{14}{24}$.

Variolæ adhuc malignæ graſſantur maximè cum Maculis purpureis, ſæpè etiam nigris, interſperſis: Statu morbi Puſtulæ nigreſcunt, aut crudo diffluunt *Ichore*. Cruſtæ nigræ diu admodùm, etiam convaleſcentibus, adhæreſcunt; *Criſis* in *Confluentibus* difficillima, nec Febri ſæpè Finis eſt niſi poſt xvii, ſæpe non niſi poſt xxi, Diem; Vermibus perſæpè ex Alvo dejectis.—(B) Febris *epidemica* etiamnum perdurat, rariùs autem.

OCTOBRI.

OCTOBRI.

Initio Pluvia, tunc Apricitas, ſurgente *Mercurio*; derepentè autem cecidit: à xv ad xxiv Pluvia perpetua. Vento ſubinde ex Plagis auſtralibus furente: à xxiv tamen ad ipſum Finem inter Boream & Vulturnum conſtitit, parcâ cadente Pluviâ.

Pluvia $\overset{////}{1}$——$\overset{///}{5}$. 6. 9. $\overset{/}{11}$. 12. 15. $\overset{/}{16}$——$\overset{//}{19}$. $\overset{//}{20}$. $\overset{////}{22}$. $\overset{/}{23}$.——26. 31. = 3.985. Dig. Dec.

Procella 11 Nocte. S W—gravis cum Fulgure & Tonitru 19 Nocte. S S W—mane E S E. Grando 12. 20. 21. *AB*. 14. N W. 1.

☿ Altitud. maxima 8. 30,0. Malacia.
——— minima 19. 29,0. S S W 4. } media $29.4\frac{26}{27}$.

Dies frigid. 14. 55. N W b W 1. Pruina mane.
— tepid. 9. 34. S W 3. } media Therm. Altitud. $43\frac{18}{27}$.

Sæviunt adhuc *Variolæ epidemicæ*, non hìc ſolùm, ſed undique ferè; eæque ſæpè malignæ & atræ, quarum Cruſtæ nigræ, diu adhærentes, Faciem deturpant maximè.

Febris *ſecundaria* ſolito vehementiùs urget, ac perdurat diutiùs; non rarò ad vigeſimum uſque Diem & ultrà, pluresque ſub Tartara mittit. Ad hanc verò arcendam nihil ſucceſſit feliciùs, nihil optatius, repetitis *Catharticis*, adjecto interdum Calomelane; *Paregoricis* verò interpoſitis ſubinde. Hoc non ſolùm in cariſſimis meis Liberis expertus ſum, ſed in quamplurimis aliis, fauſtiſſimo utique Eventu; ſane vix ulla alia Medicina profecit.

Qui vult de hoc Argumento plura, adeat Epiſtolas viri, dum viveret, undique perdocti JOANNIS FREIND; nec non illuſtriſſimi RICARDI MEAD, aliorumque doctiſſimorum Medicorum, unâ conſcriptas: etiamque, ſi non pigebit, quæ & * ipſe de hâc Re olim diſſerui.

Vix quicquam profectò in his *Variolis* magis funeſtum obſervavi, quàm Rigores accedentes, aut Horrores, in ipſâ Morbi Ἀκμῇ: Symptomata

* *Act. Philoſophic. Anglic.* N°. 390.

tomata utique in iſto Morbo, iſto Tempore, atro ſemper Carbone notanda!

Febris lenta, *nervoſa*, jam fere ceſſavit penitùs.

NOVEMBRI.

Totus Menſis fuit procelloſus admodùm, ac maximè pluvioſus; Libs ſæpe furebat & Auſter: hinc *Baroſcopium* ſubſedit plurimùm. Maximæ ſunt Inundationes undique.

Pluvia $\overset{/}{\overline{1}}$. $\overset{//}{\overline{2}}$—$\overset{///}{\overline{4}}$. 6. $\overset{////}{\overline{7}}$. $\overset{/}{\overline{8}}$. $\overset{//}{\overline{9}}$. $\overset{//}{\overline{11}}$—$\overset{//}{13}$—$\overset{/}{\overline{16}}$. $\overset{//}{\overline{18}}$. $\overset{/}{\overline{19}}$. 20. $\overset{///}{\overline{23}}$. $\overset{////}{\overline{24}}$. $\overset{/}{\overline{25}}$. $\overset{//}{\overline{26}}$. 27. $\overset{/}{\overline{30}}$. = Dig. Dec. 6.333.

Procella 2. SSW—6. Nocte. SW—18. & 19. Nocte. SW—24. Nocte. SbW—27. multo mane WNW. Magnum Lumen boreale 5° H x. p. m. WNW 1.

☿ Altitud. maxim. 22. 30,2. WNW 1. } media 29.4$\frac{26}{29}$.
——— minim. 25. 28,7. SW 3. }

Dies frigid. 21. 56. NW 1. } media Therm. Altit. 47$\frac{14}{29}$.
— calid. 3. 40. SSW 3. }

Variolæ epidemicæ adhuc.——Febricula *catarrhalis* cum importunâ Tuſſi, levi *Dyſpnœâ Anorexiâ*, Languore & Doloribus *rheumaticis*, ſævit paſſim; cum autem ſolito vehementior eſt, in notham abit Pleuritidem, aut Peripneumoniam: at ex facili abigitur plerumque Miſſione Sanguinis, ac *Emetico* leni; unum, alterumve, poſteà applicando *Epiſpaſticum*, & tunc exhibendo Diluentia blanda *Sudorifera*, *Papaverina*, &c. inter quæ, Sp. Volat. Oleoſ.—C. C. Elix. Aſthmat. ex ſero Lactis Canarienſi diluto, tepido, profuerunt maximè.

DECEMBRI.

Perduravit nimboſa valdè & pluvia Tempeſtas Diem aduſque decimum Decembris, Libanoto fremente; inde verò fortis ab Oriente Ventus *Mercurium* erexit plurimùm, ſudo nonnunquam conſequente: à decimo nono deflexit rurſùs ad Auſtrum per aliquot Dies, & multa Pluvia cecidit. Ad Finem Menſis Apricitas. Aër per totum craſſus max-

maximè & humidus, ac ſolito tepidior, nempe ut in ſuperiore Menſe fere.

Pluvia $\overset{//}{1}$—$\overset{//}{3}$—$\overset{//}{5}$—$\overset{///}{7}$—$\overset{//}{9}$. 11—$\overset{/}{13}$. 18—$\overset{//}{20}$. 21. $\overset{//}{23}$. $\overset{//}{24}$. 25. 28.
Dig. Dec.
= 4.180.

Grando vehemens 3. a. m. Nix. 16. E N E 1. Gelu 15. 16. Procella 3. Nocte. S W—5. S S W Permagnus Maris Æſtus 8. S S W 3.

☿ Altitud. maxim. 16. 30,2. E N E 1. } media $29.6\frac{2}{30}$.
——— minim. 1. 29,0. S W 3. }

Dies frigid. 16. 63. } media Therm. Altitud. $51\frac{17}{30}$.
— tepid. 8. 44. S 2. }

Tuſſes, Febris *catarrhalis* & *Variolæ* adhuc *epidemicæ*: Mania ſolito frequentior.

Tota Pluviæ Quantitas, Anno MDCCXXIX. Dig. Dec. 33.055.

Notæ breves.

(A) Haud rarò equidem notavi, verno præſertim Tempore, Glaciem, etſi *Thermometrum Hauksbeianum* fuit ad 55 ſolùm; mediâ autem Hyeme nullam, cùm tamen ad Gradum 65 & ultrà deſcenderit: quod quidem, Februario elapſo, Diem inter decimum ſeptimum & vigeſimum primum contigit: tunc enim vix ulla, vel leviſſima, Glacies erat, quamvis *Atmoſphæra* erat valdè frigida, Ventuſque fortis ab Oriente Spiritum *Thermometri* depreſſerat ad 67 uſque.—Notante clariſſimo Cyrillo Act. Philoſoph. Anglic. N°. 424 & 430; cùm Spiritus Therm. Haukſbeian. eſt ad 55 tantùm, Gelu adeſt Romæ plerumque.—† Gradus adeò Frigoris, quo Glacies producitur, non videtur fixus & certus: quod ſanè haud leve Argumentum eſt Congelationem non à ſolâ Privatione Motûs, aut Caloris, pendere ‡.

† Vide *Prolegom.* p. xii. ‡ *Ibid.* p. xii.

(B) Annon

(B) Annon humida calidaque Temperies Aëris, Æſtate prægreſsâ, Fibras relaxando plurimùm Sanguinem atque Lympham ad Lentorem nimium diſpoſuerat? Olea verò Saleſque Corporis ad Acrimoniam juſto majorem? Idque præcipuè cùm & iſtis acceſſerit *Atmoſphæræ* Preſſura ſolito plerumque minor? Eſtne ergo manifeſta ſatis Febris hujus, & *Variolarum* malignarum, unà graſſantium, Cauſa?

Per talem *Atmoſphæræ* Conſtitutionem Morbi contagioſi haud dubio propagantur maximè; tunc enim Latrinæ, Mephitides & putrida omnia, longè pejùs fœtent: imò Animalium Caro, bubula ſcilicet, aut ovilla, longè citiùs corrumpitur quàm ſicco durante, ac frigido, Aëre, qui impura & morbida *Effluvia* excitat altiùs diſſipatque. Cùm verò circumvolitent, imò quaſi Terræ Superficiem circumvallent, Quantitate multò majore hauriuntur, non ſolùm ipſo cum Spiritu, ſed & per omnes etiam Corporis *Poros:* neque enim jam *Atmoſphæræ* Pondus idoneum, & debita Fibrarum Vis, ſatis validè impellunt Humores, aut Contagia propellunt; quo plus Virûs autem excipitur, eò pejores edit Effectus. Frigida contrà, vel procelloſa, Tempeſtas, aut Contagem arcet, aut peſtilentem diſpellit Auram.

Quinetiam perdurante Aëris Conſtitutione calidâ, ac humidâ, Humores ipſi Corporis Lentorem nimium contrahunt & Acrimoniam: unde Contagii Vim tunc accipiunt promptiùs. Multum utique facit inſtans Sanguinis ſtatus ad promovendum, aut arcendum, Veneni Effectum. Hunc Vipera mordet, aut rabidus Canis, illumque itidem; alterum cita mors abripit, alter vix quidem ægroteſcit. Hinc hyberna Frigora non ſolùm Febribus contagioſis obſtant, quatenùs Aërem faciunt puriorem, ſed & fibras Fluidaque Corporum noſtrorum corroborando minùs obnoxia Peſtilitati reddunt: atque ideò quoque Medicamen, quod hoc efficere poteſt, quale quidem eſt Cortex Peruvianus cum *Alexipharmacis* idoneis & *Stomachicis*, optimum proculdubio *Prophylacticum* erit. Ego uti ſoleo Tincturâ Quinquinæ cum Cortice Aurantiorum Hiſpalenſium & Radice Serpentariæ Virginianæ ex Vino Hiſpanico, aut Spiritu Vini Gallici.

CONSTI-

CONSTITUTIO

Aëris & Morbis Epidemicis,

ANNO MDCCXXX.

JANUARIO.

INCIPIENTE Anno inſignis *Barometri* Altitudo ſudum fecit Cœlum &, Boreâ aſſiduè perflante, frigidum: *Atmoſphæra* interim fuit tenuis & ſicca, at nonnunquam glacialis quædam Nebula omnia Gelu quaſi incruſtabat, Die duodecimo potiſſimùm. Sub Finem Menſis, vergentem ad Occaſum Vento decidit *Mercurius*: ad ipſum verò Finem reſurgebat, quod Serenitatem reduxit & Gelu.

Pluvia 14. 17. 20—24. 27. 28. 29. Nix 4 = 0.666. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 10. 30,6. E N E 1. } media 30.0 $\frac{5}{10}$.
——— minim. 28. 29,4. S W 3.

Dies frigid. 12. 70. Malacia. } media Therm. Altitud. 59.
— tepid. 28. 52. S W 3.

Variolæ ſæviunt adhuc, haud tamen ita lethales: Febris *catarrhalis* plures adhuc infeſtat. Paroxyſmi graves aſthmatici frequentes.

FEBRUARIO.

Durante Februario Ventus ab Occidente, aut Meridie, frequens Pluviam demiſit & *Baroſcopium*; exeunte autem Menſe Aquilo Glaciem, Grandinem, Nivem, miro quodam Modo; pulchrâ nempe Apricitate intercurrente ſubinde, maximâ cum Aëris Tenuitate & Siccitate, induxit: delabente tamen uſque *Barometro*.

Pluvia 2—4—6. 8. 11. 13. 15. 16. 18. 20. Nix 8—perpetua 27.

Grando 14. 24 = 2.315. Dig. Dec. Lumen boreale permagnum 23. 9. H. 9. p. m. N b E 1.

☿ Altitud. maxim. 1. 30,1. E b N 1. } media $29.5\frac{23}{28}$.
——— minim. 27. 28,8. E N E 2. }

Dies frigid. 1. 66. E b N 1. } media Therm. Altitud. $52\frac{15}{28}$.
— tepid. 20. 48. W 1. }

Variolæ adhuc *epidemicæ*, ſed diſtinctæ, & rarò mortiferæ: Pleuritis & Peripneumonia paſſim. Morbi colici graves ſub Finem Menſis, ab eâdem fortè (A) Cauſâ, quæ fuit Pleuritidis; utriſque enim Miſſio Sanguinis profuit maximè; Cruorque æquè viſcidus ex Colicis, ac ex *Rheumaticis*, aut Pleuriticis effluxit. Lenia tantùm & *antiphlogiſtica Purgantia* juvabant, nocebant prorsùs *Draſtica* & Medicamenta calidiora; imo horrenda ſæpe excitabant Tormina, ac Urinam ſupprimebant penitus: *Clyſmata* utique & Fomenta emollientia inveni utiliſſima.

MARTIO.

A quarto Martii Die octavum aduſque Auſter nimboſus Mercurium maximè depreſſit, plurimâ ruente Pluviâ; inde ad decimum quintum nulla, niſi decimo, afflante plerumque Favonio: tunc cadente rursùs Barometro Pluvia quoque deſcendit uſque ad vigeſimum primum: ſub Finem verò reſurgebat Barometer, licet Ventus variabat quotidie.

Pluvia $\overset{''}{3}$. $\overset{''}{4}$. $\overset{'}{5}$. $\overset{'}{6}$. $\overset{'''}{7}$. 10. 15. $\overset{''}{17}$. $\overset{''}{18}$. $\overset{''}{19}$—$\overset{''}{21}$. $\overset{'}{25}$. 26. 28. 29.
Dig. Dec.
Grando 5. 23. = 3.432.

Levis *AB*. 9. H. 11. p. m. Malacia. Procella graviſque Pluvia 6. ſera Nocte. S S W.

☿ Altitud. maxim. 31. 29,9. N 1. } media $29.4\frac{12}{31}$.
——— minim. 7. 28,5. S b W 3x. }

Dies frigid. 1. 63. N N W 1. } media Therm. Altitud. $49\frac{22}{31}$.
— tepid. 13. 42. Malacia. }

Variolæ adhuc *epidemicæ*, at Ruri maximè. Morbi colici graves paſſim; necnon Peripneumoniæ Affectibus *nervoſis* ſtipatæ, ſub Finem Menſis præcipuè.

APRILI.

APRILI.

Ab ipſo Initio Aprilis ad decimum octavum Diem varia fuit Cœli Facies ac Tempeſtatis, variante paululùm ſubinde *Baroſcopio:* tunc Subſolani Afflatus Nubes diſpulêre & Pluviam, *Atmoſphæra* quoque ſicca facta eſt & tenuis valdè.

Malacia interfuit frequens hoc Menſe, plurimo tum Noctu decidente Rore.

Pluvia $\overset{/}{3}$. $\overset{/}{7}$. $\overset{/}{9}$. $\overset{//}{11}$. 13. $\overset{//}{16}$—18 = 1.258. Dig. Dec.

Tenuis Glacies mane 20. E b N 1. Levis *AB*. 1. Malacia—3. W N W 1.

☿ Altitud. maxim.	20.	30,1.	E b N 1.	} media $29.7\frac{10}{29}$.
——— minim.	17.	29,3.	W S W 2.	
Dies frigid.	4.	52.	N W b W 2.	} media Therm. Altitud. $43\frac{6}{29}$.
— tepid.	28.	37.	Malacia.	

Morbus colicus & *Variolæ* adhuc paſſim. Febres *nervoſæ*, remittentes, intermittentes, levi ſæpè Delirio accedente, frequentes. Tumores Capitis *eryſipelatoſi*, medio præſertim Menſe: ſub Finem Tuſſes, Pleuritides, Peripneumoniæ, & veræ, & nothæ.

MAIO.

Fremuit ab Oriente, aut Septentrione, Ventus, accedente magnâ *Atmoſphæræ* ſiccitate, donec octavo Die, ſtagnante Aëre, Pluvia decidit: ab undecimo ad viceſimum incerta admodùm & pluvia Tempeſtas, declinante *Barometro*, humidoque facto Aëre; dehinc, etſi Pluvia fuit parca, Tempeſtas haud aprica ſequuta eſt.

Pluvia $\overset{/}{8}$. 11. $\overset{/}{13}$. $\overset{/}{14}$. 15. $\overset{/}{17}$. $\overset{//}{18}$. 19. $\overset{/}{23}$. 25. 28. = 1.604. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim.	1.	29,8.	E b N 3.	} media $29.5\frac{7}{30}$.
——— minim.	19.	29,0.	S 2.	
Dies frigid.	3.	46.	N. b E 2.	} media Therm. Altitud. $37\frac{21}{30}$.
— tepid.	31.	30.	N W 1.	

Febres intermittentes & remittentes cum profuſis Sudoribus jam graſſantur, quibus, in Paroxyſmis, accedit ſæpiſſimè aut Delirium, aut *Diarrhœa:* hæ, vel ex levi Errore, in continuas malignas, *nervoſas*, tranſibant haud infrequenter. Crebræ quoque hoc Menſe fuere Febres *rheumaticæ*, pleuriticæ, peripneumonicæ; facilè autem & abundè (B) expectorabant Sputa flava, ſubrubicunda, eaque brevi *judicatoria*; adeò ut, niſi ipſo Morbi Initio, Venæ ſectionem, ſaltem repetitam, haud deſiderarent.

JUNIO.

Prævaluit hoc Menſe Ventus occidentalis, nunc ad Auſtrum, nunc ad Septentrionem flectens; & medio & exeunte Junio Aër valdè humidus: nulla fuit notabilis *Barometri* elevatio hoc Menſe.

Pluvia 6—$\overset{\prime\prime}{9}$. $\overset{\prime\prime}{10}$. $\overset{\prime}{11}$. $\overset{\prime}{12}$. $\overset{\prime\prime}{15}$. 17. 18. 24. 26—28. = 1.715. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 1. 29,8. N W 1. ⎫ media $29.5\frac{16}{30}$.
——— minim. 15. 29,1. S W 1. ⎭

Dies frigid. 10. 41. W N W 1. ⎫ media Therm. Altitud. $83\frac{3}{30}$.
— calid. 28. 28. Malacia. ⎭

Jam ferè vaneſcunt penitùs Febres συνεχέες: vix ullæ niſi de Languore Virium Querelæ, quod inter omnes.

JULIO.

Spiravit uſque ab Occidente Ventus, is verò lenis, & paulò magis vergens ad Auſtrum, toto Julio, Malaciâ ſæpe interveniente: eadem pene, quæ in ſuperiore Menſe, Tempeſtas, ni quòd *Atmoſphæra* magis humida eſſet, tepida & nebuloſa, ſub Finem Menſis præſertim.

Pluvia $\overset{\prime}{1}$. $\overset{\prime\prime\prime\prime}{7}$. 8. 10. 16. 25—$\overset{\prime}{28}$. $\overset{\prime\prime\prime}{29}$. 31. = 2.050. Dig. Dec.

Tonitru è longinquo 1. Fulgur & Tonitru cum graviſſimâ Pluviâ 7. W. 1.

☿ Altitud. maxim. 15. 29,9. Malacia. ⎫ media $29.6\frac{2}{31}$.
——— minim. 29. 29,3. W S W 2. ⎭

Dies frigid. 2. 40. N N W 3. ⎫ media Therm. Altit. $31\frac{17}{31}$.
— calid. 22. 27. Malacia. ⎭

Variolæ

Variolæ mali admodùm Moris per totam fere Cornubiam: maximæ de Languoribus Querelæ undique, ac plurimi *hyſterici* & *hypochondriaci* Paroxyſmi. Exeunte Menſe Icterus frequens valdè, ac plures Febres lentæ aliquæ *miliares*. Jam Lues bovina graſſatur.

AUGUSTO.

Ab initio Auguſti ad Diem decimum ſeptimum Ventus fuit varius, plerumque verò ab Occidente; tunc orſus eſt Aquilo, ſudo conſequente Cœlo: inde Boreas, aut Vulturnus ad ipſum Finem. Aër fuit hoc Menſe humidus ſæpe & nebuloſus; à decimo ſeptimo tamen ad viceſimum tertium ſatis ſiccus.

Pluvia $\overset{/}{1}$. 6. 9. $\overset{//}{14}$. 15. 23. $\overset{//}{26}$. 27. 29. $\overset{///}{30}$. = 1.538. Dig. Dec.
Magna *AB*. 28. E 2. Fulgur & Tonitru è longinquo 26.

☿ Altitud. maxim. 18. 30,0. N 1. } media 29.6.
——— minim. 26. 29,2. S S E 2. }

Dies frigid. 24. 39. E N E 1. } media Therm. Altit. $29\frac{10}{31}$.
— calid. 12. 22. Malacia. }

Morbus regius frequens etiamnum cum Febriculâ & gravi nonnunquàm *Hæmorrhagiâ*. *Variolæ* adhuc in Vicinia Cornubienſi; perpauci aliter Morbi.

SEPTEMBRI.

Multa Pluvia decidit inter quartum & decimum quintum Diem Septembris, Vento interim variante quotidiè; poſt id Tempus Eurus ferè perpetuus, at Pluviæ parum, quamvis Cœlum fuit plerumque nubilum, & Aër ſæpè valdè humidus. Maxima Roratio à decimo ſeptimo ad viceſimum quartum.

Pluvia 4. $\overset{/}{5}$—$\overset{//}{10}$. $\overset{//}{11}$. $\overset{/}{12}$—15. 26 = 2.068. Dig. Dec.
Levis *AB* 24. E b S 1—27. N N W 1—magis lucidum 26. Malacia.

☿ Altitud. maxim. 18. 30,0. E 1. } media $29.5\frac{23}{29}$.
——— minim. 11. 28,8. S W 3. }

Dies frigid. 18. 45. Pruina. } media Therm. Altitud. $34\frac{14}{29}$.
— tepid. 6. 29. S 2 }

Plures *Apoplexiâ* & *Paralyſi* correpti ſunt. Mulieres multæ Tumore Crurum *eryſipelatoſo* vexantur: Tuſſes & Coryzæ ſub Finem frequentes.

OCTOBRI.

Perflavit Diem aduſque octavum Ventus orientalis violenter, quarto autem & quinto vehementiſſimè; adeò ut omnes fere Arbores, ictas quaſi Fulmine, Foliis ſpoliaverit; imò plures evertit funditùs. Poſteà multo lenior ab Occaſu, aut Meridie, ſucceſſit Ventus, Finem aduſque durans, multâ interim ruente Pluviâ. (C) Tantos excitavit Vapores Procella Menſis initio, ut reddita eſſet inde Atmoſphæra maximè humida; Frondes Arborum Guſtu valde ſalſas deprehendi ad tertium & ultra à Littore Lapidem: adeò Mare perturbavit.

Pluvia 6. $\overset{/}{7}$. $\overset{/}{8}$—10. $\overset{//}{12}$. $\overset{/}{14}$. $\overset{//}{17}$. $\overset{///}{18}$—$\overset{//}{23}$—25. $\overset{//}{28}$—$\overset{//}{30}$ = 3.372. Dig. Dec.
Procella 3 E 4_x—4. E 4^x—5. E b N. 4^x.

☿ Altitud.	maxim.	16.	29,8.	W. 1.	media $29.4\frac{3}{30}$.
———	minim.	5.	29,1.		
Dies frigid.	6.	53.	E 3.		media Therm. Altitud. $41\frac{5}{20}$.
— tepid.	15.	38.	Malacia.		

Multæ Tuſſes & Affectiones *rheumaticæ* toto hoc menſe, at ferè ſine Febre. Morbi colici, *Diarrhœâ* plerumque comitante, quamplurimos invadunt; at longè vehementiùs cùm ſine *Diarrhœa*. Aſthma, & notha Pleuritis, paſſim.

NOVEMBRI.

Initio Menſis horrida Tempeſtas; primo Die Fulgur cum Tonitru vehemens, graviſſimâ ruente Pluviâ, Libs porrò ſæviſſimè perfurebat; ab octavo autem magis læta Rerum Facies, *Mercurio* reſurgente, ac Favonio flante: decimo ſexto tamen Libs recurrit nimboſus & pluvius admodùm; Aër interim maximè humidus. A viceſimo ſexto Septentrio perpetuus, qui *Barometrum* reddidit elatum valdè, Aëremque ſiccum, accedente Gelu.

Pluvia

Pluvia 1—3—5. 6. 8. 10. 11. 15. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 27. = 4.480. (Dig. Dec.)

Procella 1. S W 4^x—2. S W 4^x—3. S W b S 4$_x$.—17 S W 4. Nix multa 25. p. m.

☿ Altitud.	maxim.	30.	30,4.	N 1.	media 29.7$\frac{3}{29}$.
———	minim.	3.	28,9.	S W b S 4$_x$.	
Dies frigid.		30.	65.	N 1.	media Ther. Altit. 48$\frac{28}{29}$.
— tepid.		22.	41.	W 1.	

Morbi colici plures cum affectibus *rheumaticis:* Gravedines & *Catarrhi* frequentes: *Synochus* putrida paſſim.

DECEMBRI.

Permagna fuit *Barometri* Altitudo Menſe Decembri, Septentrione, Boreâ, aut Euro, afflantibus aſſiduè.

Incipiente Menſe rigidum Gelu, tunc quoque, ac ſæpe pòſt, ſerenitas: à vigeſimo primo ad Finem uſque Aër valde humidus, Pluviâ ſubinde cadente.

Pluvia 8. 10—12. 16. 23. 25. 26—28. 31. = 1.190. (Dig. Dec.)

☿ Altitud.	maxim.	3.	30,5.	N b E 2.	media 30. 0$\frac{21}{28}$.
———	minim.	23.	29,5.	S S E 2.	
Dies frigid		2.	68.	N N E 1.	media Therm. Altitud. 58$\frac{24}{28}$.
— tepid.		27.	50.	Malacia.	

Colica fuit frequens hactenus; *Rheumatiſmi* porrò cùm Inflammatione multò majore, quàm anteà: Tuſſes ſiccæ, laborioſæ cum Tumore Faucium; Peripneumonia paſſim, ſub Finem verò Menſis præcipuè. Febres lentæ, *nervoſæ,* per Viciniam, at in Oppido rariùs.

Tota Pluviæ Quantitas, quæ hoc Anno decidit, fuit 25.698. (Dig. Dec.)

Notationes

Notationes aliquæ.

(A) Nihil ſanè in Artem medicam peſtiferum magis unquam irrepſit, quàm generalia quædam nomina Morbis imponere, iiſque aptare velle generalem quandam Medicinam. Ita videlicet omnis Dolor Ventris Morbus colicus nuncupatur protinùs; indito ſic Nomine, quid ultrà Empirici, Balatrones, id Genus omne, quàm Arcanum quoddam porrigere, aut *Pharmacopœiæ* cujuſdam Indicem evolvendo, quærere quid ibi ad Colicen? Quid inde? Elixir Salutis, Tinctur. ſacra, Pil. Coch. min. vel è Duob. aut tale quid, exhibetur illicò; ſeu inflammata ſint Inteſtina, ſeu conſtricta *Spaſmo*: unde ſæpe Toxica potiùs, quàm Remedia, fiunt.—Prudentis autem eſt Medici primò æſtimare Morbi Cauſam, eumque deinde ſolvere tentare.——Adeò nimirum ubi ſævit abdominis Dolor vehemens, fixus Pulſans, & acris Calor adeſt, pulſuſque velox & tenſus, non protinùs exhibenda ſunt acria *Cathartica*: quò plùs enim proceditur, *draſtica* urgendo *Pharmaca*, eo vehementiùs furit Morbus, donec ſupervenit tandem *Ileos* crudelis, *Sphaceluſque* demùm lethalis. Sed ante omnia, Sanguis mittendus eſt, nec parcè nimis: pòſt enim Alvus vel leni reſpondebit *Cathartico*, obſerata ſecùs validiſſimo. Ubi verò Pituita tenax & acida dominatur, & colicos producit Dolores, Res longè aliter ſe habet.

(B) In Morbis utique pulmonariis, ubi Excreatio facilis & expedita eſt ſatis, adeò non juvat Sanguinis Miſſio, ut eam ſæpe ſupprimat omninò: nullo ideò Modo indicatur ex Uſu fore, niſi evidens adſit *Plethora*, aut vehemens aliquis Dolor, aut *Dyſpnœa* gravis, aut ſinceri Sanguinis Sputum, urgeat. Audi Coum Senem, Πτύελον χρὴ ἐπὶ πᾶσι τοῖσιν Ἀλγήμασι τοῖσι περὶ τὸν Πλεύμονα καὶ τὰς Πλευρὰς, ταχέως τε ἀναπτύεσθαι καὶ εὐπετέως. Hippocrat. Prognoſtic. vide & ibidem paulò infra: porrò Coac. Prænotion. 13. Sect. de Pleuritide & Peripneumoniâ, ex editione Dureti: perpende etiam, quæ Ballonius in Epidemic. de hâc Re optimè conſcripſit; ſi is non eſt, quæ ex eo & Dureto diligenter congeſſit Baglivius. Appendic. ad Pleuritidem. Tyroni certè

3

certè medico conſulo, ut non audeat tractare Pectoris Morbos, antequam iſta probè perlegerit.

(C) Plures utique Vapores excitat Procella quàm vel Sol ardentiſſimus, potiſſimùm ſi à Mari venit: hinc poſt Procellas graviores Atmoſphæra plerumque redditur nebuloſa valde, & graves corruunt pluviæ; condenſatis ſcilicet modò Vaporibus, quos Vehementia Tempeſtatis diſperſerat undique.

Minutiſſimæ quidem Aquarum Particulæ, ſub Formâ Vaporis, per Aërem diffuſæ ſe mutuò fugere videntur; at Frigore condenſatæ, vel adverſis concurrentibus Ventis congeſtæ, aut Montibus impactæ obſtantibus, in mutuos Amplexus ruunt & decidunt illicò.

CONSTI-

CONSTITUTIO AËRIS, &c.

ANNO MDCCXXXI.

JANUARIO.

CUM novo Anno frigidiſſima Tempeſtas invaſit; omnia conſtricta Gelu, Nive omnia plena! Aſperam autem lenivit Brumam continua fere & pulchra ſerenitas. Venti aquilonares dominati ſunt per totum Januarium, perdurante ad Finem uſque rigidiſſimo Gelu; Aër intereà fuit valdè purus & ſiccus. Exeunte Menſe (A) *Barometer* decidit plurimùm, quod demirabar utique; quoniam ex iiſdem Plagis flare perſtabat Ventus: hoc verò accidebat forſan ob Copiam nivis aliis in Locis delapſæ.

Nix 2. $\overset{\prime}{3}$. $\overset{\prime}{4}$. 5. $\overset{\prime\prime}{24}$. 26. Grando nivoſa 30. 31. Imbres 11. 12 Dig. Dec. = 0.622.

Fortè vix Dimidium Nivis collectum fuit; Nix nempe in Excipulo congelata, ibique reſtans, Locum haud dedit ſuccedenti, adeò ut plurima eſſet difflata.

☿ Altitud. maxim.	12.	30,3.	N E 2.	media $29,9\frac{2}{22}$.
——— minim.	28.	29,1.	N 1.	
Dies frigid.	31.	76.	N 2.	media Therm. Altitud. $66\frac{9}{22}$.
— tepid.	21.	58.	Malacia.	

Sævit Morbus colicus uſque cum acerbo ſæpe Dolore *Rheumatico.* Tuſſes ſiccæ, laborioſæ, & Acceſſiones graves *Aſthmaticæ,* frequentes, cum Tumore Faucium *anginoſo* ſæpiſſimè: his maximè profuit *Hydromel* tepidum, Serum Lactis *Canarienſe* dilutius cum Elix. Aſthmat. aut Pil. Mathæi; interpoſito nonnunquam Oxymelite Scillino, & ap-

plicatis

plicatis Humeris Cervicibuſque *Veſicatoriis.* Cruciavit plurimos plurimùm Arthritis. Variolæ paſſim in Cornubiâ.

FEBRUARIO.

Initio Februarii reſurrexit *Mercurius*, at Frigus remiſit; octavo & nono, ab Auſtro Procella *Barometrum* depreſſit plurimùm: à decimo octavo ad Finem uſque Venti Septentrionales Nubes abegerunt, nullâ omnino decidente Pluviâ; ſurgente iterum *Baroſcopio*.

Pluvia 3. 4. 10. 11. 13. 14. 15. 16. 18. Nix 20. Grando gravis 1. = Dig. Dec. 1.706.

Lumen boreale parvum 19. H. 10. p. m. N b E 1.

☿ Altitud. maxima	2.	30,3.	E N E 1.	} media 29.6 18/27.	
——— minima	9.	28,9.	S S E 4.		
Dies frigid.	1.	73.	N N W 1.	} media Therm. Altitud. 57. 17/27.	
— tepid.	10.	53.	W 1.		

Tuſſis *Aſthmatica* frequens adhuc. Pleuritides & Peripneumoniæ haud paucæ. Morbus *anginoſus (the ſtrangles)* dictus) inter Equos ſævit plurimùm.

MARTIO.

Statio *Baroſcopii* toto Martio fuit valde ſublimis Ventus fermè aſſiduè borealis, Malaciâ tamen ſæpiſſimè intercurrente: Aër purus & maximè ſiccus, exeunte Menſe præſertim: Pluvia parca admodùm, at pulchra plerumque Serenitas.

Pluvia 4. 12. 18. 27. = Dig. Dec. 0.140.

☿ Altitud. maxim.	2.	30,4.	Malacia.	} media 30.0 20/31.	
——— minim.	12.	29,7.	Malacia.		
Dies frigid.	1.	62.	N b W 1.	} media Therm. Altitud. 50 6/31.	
— tepid.	14.	45.	N N W 2.		

Tuſſes adhuc & Angina valde frequens inter Equos. Graves Arthriditis Paroxyſmi, ſævi quoque *Rheumatiſmi.*

(B) Pleuritides, Peripneumoniæ, Pleuro-peripneumoniæ; Tuſſes ſiccæ, aſthmaticæ, laborioſiſſimæ, ſunt valdè *epidemicæ*; perparcè admodùm expuunt Ægroti, anhelant maximè; multi moriuntur.

APRILI.

Boreas, iſque ſæpè velox valdè, à primo ad duodecimum Diem Aprilis perflavit; Tempeſtas intereà fuit admodùm ſerena &, pro Anni Tempore, frigida maximè & ſicca: à decimo tertio ad viceſimum Libs, aut Favonius, Pluviâ cadente & *Mercurio*: recurrebat dein ad Orientem Ventus, viceſimo ſecundo & tertio valde procelloſus, magis pòſt vergebat ad Auſtrum, humeſcente *Atmoſphæra*.

Dig. Dec.
Pluvia 13. $\overset{///}{15}$. $\overset{/}{16}$. $\overset{/.}{18}$. 19. 23. 24. 26. 28. = 1.254.
Gelu 7. 10. 11. Tonitru 18. Permagna *AB*. 26. 10. p. m. N. W 1.

☿ Altitudo maxima 7. 29,9. E N E 3. } media 29.5.
——— minima 16. 28,8. S S W 3. }

Dies frigid. 10. 62. N E b N 2, rigidum Gelu. } media Therm.
— tepid. 28. 43. E S E 2. — —— } Altitud. $48\frac{2}{2}\frac{1}{8}$.

Jam morbus inter Equos evaneſcit. *Variolæ* paſſim: Pleuritides & Peripneumoniæ frequentiſſimè ſæviunt, ob Humorum Tenacitatem & difficilem Exſcreationem Morbus evadit valde periculoſus; ubi verò expuitur facilè, brevi ſedatur; præcipuè ſi Sputa miſta ſunt rufo quodam Sanguine: Spumantia ſanè & aquoſa minimè laudo.

MAIO.

Hoc Menſe Subſolanus, aut Vulturnus, flabant majore ex parte, Libs aliquando, Caurus ſæpiùs; ad Finem verò fremebat Aquilo: à decimo nono ad triceſimum primum Aër erat maximè ſiccus.

Dig. Dec.
Pluvia 4. 5. 6. 8. 10. 16. 17. 22. $\overset{/}{24}$. = 0.634.
Fulgur & Tonitru 22. 24. Malacia.

☿ Altitud. maxim. 30. 30,1. N N E 3. } media 29. 7.
——— minim. 6. 29,3. S E 1. }

Dies frigid. 1. 48. S E 1^{x}. } media $36\frac{8}{31}$.
— tepid. 23. 28. N W 1. }

Morbi

Morbi Pectoris adhuc. *Variolæ ſporadicæ*; paſſim *Eryſipelas*: Iſchias ſolito frequentior: Tempeſtas autem utplurimùm ſalubris eſt.

JUNIO.

Procedente Junio Aër fuit valdè ſiccus, Ventus ſubſolanus, aut arctoüs, Malaciâ non raro intercurrente; ſenſim autem delapſus eſt *Mercurius*, Aërque factus eſt ſenſim humidior. A viceſimo Libs plerumque regnavit, *Atmoſphæræ* Temperiem, ut ſolet, reddens humidam valdè, nebuloſam, atque etiam frigidiorem.

Dig. Dec.
Pluvia 10. 16—$\overset{//}{19}$. $\overset{///}{20}$. $\overset{/}{23}$. $\overset{//}{24}$. 25. 26. 28 = 2.148.

☿ Altitud. maxim. 1. 30,0. E 2.
——— minim. 20. 29,1. W S W 1. } media $29.4\frac{25}{26}$.

Dies frigid. 7. 38. N 1.
— tepid. 20. 29. } media Therm. Altitud. $32\frac{5}{26}$.

Variolæ epidemicæ eæque ſæpè mali moris; ſub *Criſin* aut Humore crudo plenæ, aut nigram exhibentes Faciem. Eryſipelas frequens, cæteroquin Menſis fuit ſaluber ſatis.

JULIO.

Haud notabilis fuit *Barometri* Aſcenſus, aut Deſcenſus, hoc Menſe; Ventus inconſtans, Malacia porrò interveniebat ſæpiſſimè, multo decidente Rore: Aër utplurimum ſiccus fuit & non raro valde calidus, præſertim exeunte Menſe.

Dig. Dec.
Pluvia $\overset{//}{7}$. 8. $\overset{/}{15}$. 16. $\overset{//}{20}$—23. $\overset{//}{25}$. 31 = 1.300.
Fulgur & Tonitru 31. p. m. S S E 1_x.

☿ Altitud. maxim. 10. 29,8. Malacia.
——— minim. 31. 29,3. S S E 1. } media $29,5\frac{15}{29}$.

Dies frigid. 19. 37. E N E 1.
— calid. 30. 21. Malacia. } media Therm. Altitud. 27.

Crebræ adhuc *Variolæ*: Febres intermittentes, tertianæ potiſſimùm, ſub Finem Menſis, at Ruri maximè.

AUGUSTO.

Ventus ab Exortu perflavit toto Auguſto ferè, Initio ad Septentrionem declinans, *Barometro* tamen haud multùm ſurgente : ſub Finem Vulturnus plurimos attulit Vapores & Pluviam.

Pluvia 1—3. 9. 10. $\overset{////}{\overline{21}}$. $\overset{/}{\overline{22}}$. 23. $\overset{/}{\overline{25}}$. 26. $\overset{///}{\overline{27}}$. 28. 31. = 1.988. (Dig. Dec.)
Levis *AB*. 16. N b E 1. Fulgur & Tonitru 9—21. E S E 2.

☿ Altitud. maxim. 12. 29,9. N E 1. } media 29. $\frac{12}{30}$.
——— minim. 26. 29,0. E S E 2. }

Dies frigid. 12. 38. } media Therm. Altitud. 29.
— calid. 8. 22. N 1. }

Sævæ *Variolæ*, & Febres *miliares* rubræ, *epidemicæ* ; Tuſſes *convulſivæ* inter Pueros.

SEPTEMBRI.

Ineunte Septembri Libs, aut Favonius ; ab undecimo Eurus ferè perpetuus ; Malacia frequens autem medio Menſe cum Roratione maximâ : ad Initium & ad Finem Aër erat valde humidus.

Pluvia $\overset{/}{\overline{1}}$. 2. 4. 6. 8. 18. $\overset{//}{\overline{23}}$. 24. 26. $\overset{//}{\overline{27}}$. $\overset{/}{\overline{28}}$—30 = 1.300. (Dig. Dec.)
Levis *AB*. 13. Malacia, permagna autem 27. H. 10. Malacia.

☿ Altitud. maxim. 11. 30,0. E 1. } media 29.5 $\frac{19}{25}$.
——— minim. 27. 29,2. S S E 2. }

Dies frigid. 9. 42. W N W 1. } media Therm. Altitud. 52 $\frac{21}{25}$.
— tepid. 1. 30. S W 1. }

Variolæ paſſim. Febris *miliaris* cum pravis admodùm Symptomatibus haud infrequens. Choleræ plurimæ.

OCTOBRI.

Principio afflavit Zephyrus, Malaciâ ſæpe interpoſitâ ; ortus eſt Vulturnus undecimo, qui duravit fere ad Diem vigeſimum ſeptimum, flante tamen Borea à viceſimo ad viceſimum ſecundum : ad Finem Libs infremuit, labente plurimùm *Baroſcopio*.

Pluvia

Pluvia 6. 9. $\overset{\prime\prime}{13}$. $\overset{\prime\prime}{14}$. $\overset{\prime\prime}{15}$. 16. $\overset{\prime}{24}$. 25. 27. $\overset{\prime\prime}{28}$—$\overset{\prime}{30}$. 31 = 2.366. Dig. Dec.

Fulgur & Tonitru 14. Veſperi, Malacia.

Cholera adhuc, Febre ſæpè comitante, & non rarò Eruptione *miliari* ſalutiferâ; colicus inſuper Morbus jam graſſatur.

NOVEMBRI.

Per Initia Novembris *Barometri* Statio fuit humilis, etſi Eurus Zephyro ſucceſſit, qui ſpiravit à quinto ad duodecimum; à decimo tertio ad viceſimum tertium Corus, aut Favonius, ſurgente *Mercurio*: inde Boreas, Finem aduſque perflans Nubes diſpulit, Aërem ſiccavit plurimùm, rigidumque Gelu induxit.

Pluvia $\overset{\prime}{1}$—$\overset{\prime\prime}{4}$. $\overset{\prime}{5}$. $\overset{\prime}{7}$. $\overset{\prime}{8}$. $\overset{\prime\prime}{9}$. 10. 14. 18. 20. 22. Nix 28 = 2.356. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 26.30,2. N E 3. } media $29.6\frac{2}{29}$.
——— minim. 8.28,7. S E 3.

Dies frigid. 30. 66. N N E 1. } media Therm. Altit. $50\frac{10}{29}$.
— tepid. 3. 40. W 1.

Menſis minimè morboſus: nihil niſi morbus colicus, iſque fere à *Pomaceo* novello.

DECEMBRI.

Alta fuit *Barometri* Statio toto fere Menſe, flante plerumque Cauro, aut Aquilone; Libs verò interdum Nubes atque Pluviam invexit. Gelu, idque rigidum; à decimo nono ad viceſimum ſextum, Boreâ furente; Aër intereà pro Anni Tempore fuit ſicciſſimus.

Pluvia 2. 5—$\overset{\prime\prime}{8}$. 10. 13. 15—17. 25. 28—30. Grando 7. Nix 26 = 1.452. Dig. Dec.

Levis *AB*. 19. N 1. Procella 13. ſerâ Nocte. N W.

☿ Altitud. maxim. 1. 30,2. N N W 1. } media $29.8\frac{8}{28}$.
——— minim. 6.29,4. W b S 2.

Dies frigid. 25. 67. N E 1x. } media Therm. Altitud. $56\frac{12}{28}$.
— tepid. 12. 49. W N W 1.

Morbus colicus adhuc *epidemicus*; Gravedines frequentes.

Tota Pluviæ Quantitas hoc Anno fuit 17.266. Dig. Dec. at magna pars Nivis, Menſe Januario, amiſſa fuit.

NOTATIONES.

NOTATIONES.

(A) Haud exiguum ſæpe, ac ſubitum, *Mercurii* Deſcenſum notavi, cum inſtantis *Atmoſphæræ* Facies nulla hujus Indicia prodiderit; ſed inquirendo diligentiùs, aut vehementes Imbres corruiſſe, aut Fulmina, inter finitimos reperi: unde circumfuſus Aër ad Æquilibrium reſtituendum illuc ruebat confeſtim.

(B) Ortum duxiſſe videntur hi Morbi *inflammatorii* à diuturnâ Frigiditate Aëris ac Siccitate, quæ Fibras tenſas nimiùm & Sanguinem plus juſto denſum effecerant. Notavit olim Hippocrates, quod aquilonia Tempeſtas Tuſſes moveat, ac dolores Lateris & Pectoris excitet, Aphoriſm. v. Sect. 3. Ego verò obſervavi ſæpiſſimè, quòd quo ſicciora fuere Tempora, eo parcior Exſcreatio, ac Pectoris Purgatio difficilior evenit; quod tamen in Morbis pulmoneis permagni haud dubio momenti eſt: vix utique fœliciter ſolvitur Peripneumonia ſine largâ Sputorum ejectione. Nec id magis promovet aliquid quàm larga & frequens Potatio tepidi alicujus Liquoris *antiphlogiſtici,* nitroſi, leniterque detergentis; præcipuè poſt debitam Sanguinis Miſſionem: quòd ſi minùs ex Voto procedat, Gummi Ammoniacum, Scillitica, Oleoſa, Detergentia, *Mercurialia* idonea, & nonnunquam etiam *Volatilia,* adjicienda ſunt. At bibere affatim tepidè, imò calidè, perpetuum eſſe debet, durante præſertim magnâ *Atmoſphæræ* ſiccitate: quod & Vapore Pulmones fovet & relaxat, & Sanguinem ſatis fluidum conſervat. "Fervida hæc Liquorum Potio (ait Baglivi) eſt mihi in Secretis "pro diſſolvendis pertinacibus Viſciditatibus in Pleuritide epidemica "& malignâ, nec non in aliis Pectoris Morbis, à tali Cauſâ pendentibus."

At ſi nimia fuerit in Pulmones Deſtillatio, eaque cruda & acris, eam lenire oportet *Opiato* idoneo, quale eſt Syrupus è Meconio, Laudanum, Elixir aſthmaticum, Pilula Mathæi, *&c.* Curſumque Humoris avertere debemus *Epiſpaſticis* admotis; idque præcipuè Suris internis, modò magna adſit *Dyſpnœa* & *Anacatharſis* difficilis: ſunt

enim ſalutifera maximè. Vel ipſe Medicinæ Parens Abſceſſus ad Tibias ortos in Morbis etiam vehementibus Pulmonis utiles pronunciavit: *αἱ δὲ Ἀποςάσιες αἱ ἐς τὰ Σκέλεα, &c.* Hippocrat. Lib. Prænotion. Quantus ſanè Conſenſus eſt has inter Partes ab hoc uno elucet ſatis; quod, qui ex Aſthmate veteri Tumore Pedum hydropico laborant, Aſthmate liberentur: ſponte autem evaneſcente Tumore, vel Arte repulſo, protinùs anhelant.

Sed ut in Peripneumonicis movere Sputa opportunum eſt maximè, id in ſimplice Pleuritide moliri ineptum eſt prorsùs. Nihil enim hic æquè juvat ac larga, frequens, & matura Sanguinis Miſſio, interpoſitâ quoque multâ, diluente, emolliente Potione; hæc enim Sanguinem diluit & fovet, dum Fibras nimis rigidas relaxat, tandemque coacta reſolvit; præcipuè Nitro & Camphorâ rectè aſſumptis; quibus & ſubinde rectiſſimè adjungitur Papaveris Lacryma, ad compeſcendam nempe Doloris Vehementiam: huic enim ineſt etiam relaxandi Vis maxima, adeoque in omnibus Morbis, ex nimia *ſtricturâ* (ut Methodici loquuntur) ante omnia juvat. Hinc eſt quod rapidum nimis Sanguinis Curſum reprimit, & morbidæ materiæ *Pepſin* promovet maximè: hinc vides plerumque poſt Opii Uſum Sedimentum in Urinis copioſum.

Vera ſanè Pleuritis haud magis *Bechica*, *Ecclegmata*, atque id genus alia, poſcit quàm Inflammatio Cruris, aut ipſa Podagra: longè profectò magis proficimus Fomentis idoneis; hæc enim ſæpiſſimè levant Dolorem, Morbumque evocant.——Imò in pertinace ac ſævo Dolore Cucurbitulæ, atque etiam ipſæ ſcarificatæ, juvant maximè, aliis vix aliquid proficientibus. Sic Celſus, Capit. de Laterum Dolore. "Confugiendum ad Cucurbitulas eſt antè ſummâ incisâ Cute." Sic Aretæus Cappadox, *ἐπιδηλοτάτη γὰρ ἐπὶ τῶν Πλευριτικῶν ἡ ἀπὸ Συκίης Ὠφελείη*, Cap. de Curatione Pleuritid. Quidni & *Epiſpaſtica* quandoque in graviore Caſu admoveantur? Veteres ſanè frequenter Sinapi ſuper Pectus imponebant.——Vivit adhuc & viget bonus quidem ad ſacra Miniſter, qui, multis abhinc Annis, Pleuritide ſæviſſimâ

cor-

correptus erat. Hunc nihil prælarga, eaque quater repetita, Sanguinis Detractio juvabat, Anodyna & Fomenta parum, brevi recurrente vehementer Dolore: tandem levi Scarificatione factâ, leniterque Cucurbitulis extracto Cruore, *Veſicatorium* ſuperimponi juſſi. Quid fit? intra perpaucas Horas evanuit omninò Dolor, neque poſteà recurrit. Fateor equidem quod Ulcuſcula paulo difficiliùs ſanarentur; ſed quid iſtud, ubi Mors aliter brevi fuerit pro Remedio?

Quandoquidem ergo tanta ſit differentia Pleuritidem inter & Peripneumoniam, non erit alienum forſan *diagnoſtica* utriuſque Signa deſcribere.

Proprium eſt Pleuritidis incipere à Rigore, quem mox Calor ardens excipit; hiſque confeſtim accedit Lateris Dolor vehemens, pungens, nunc ad Spinam, ad Claviculas ſæpe, nonnunquam ad anteriora Pectoris, tendens: dum verò hæc vigent, inſignis adeſt Pulsûs Durities, Chordæ admodùm tenſæ vibrantis adinſtar. Hæc quidem Pleuritidis Signa *pathognomoni* κῶτα]α prorsùs agnoſco; Tuſſis utique, Pace dixerim Galeni, haud rarò abeſt omnino.

Peripineumonia, ut ex Hippocrate Celſus, plus Periculi quàm * Doloris habet. Pulmonum Gravitas ac *Dyſpnœa,* Pectoris Oppreſſio, & Spiritus ex Ore fervens, purulentorumque Rejectio, Febre comitante ac Tuſſi, propria & minimè fallacia ſunt Peripneumoniæ Indicia.

Fateor equidem quod hi Morbi, longè frequentiùs quàm vulgo putatur, aut invadunt unà, aut invaleſcenti Pleuritidi Peripneumonia quoque accedit: ideò Riolanus horum conjunctionem rectiſſimè nominavit *Pleuripneumoniam.*——Perpende modò utriuſque Morbi Sedem, ita Rationem ex facili videbis cur hoc evenit ſæpiſſimè. Exeunt namque ex *Aortâ* ad Angulos pene rectos Arteriæ *intercoſtales,* ex quibus pleuriticæ; exeunt ex eâdem ad eundem ferè Modum Arteriæ *Bronchiales,* Pulmonis Subſtantiam irrigantes. Jam ergo cùm multo

* Ἀπονίη ἦν μῦνος Φλεγμονὴ Πνεύμων, ἄπονος γὰρ ἡ Φύσις αὐτέυ. Aret. Cappad. Capit de Peripneum.

abun-

abundat Glutine Sanguis, & Vaſa, ſolito magis elaſtica, Humores validiſſimè propellunt, Pars magis viſcida Sanguinis, utpote levior ad Aortæ Latera urgetur, dum fluit mobilior puriorque per Axim Canalis; proinde & in Vaſcula Pleuræ & Pulmonis, modo deſcripto ab Arteriâ magnâ producta, impellitur: unde Sanguis maximè craſſus, parumque idoneus harum Arteriarum Ramuſculos permeare, Obſtructiones ibidem ac Inflammationes creat. Quis adeò non videt, ita non mirandam eſſe Peripneumoniam cum Pleuritide conjunctam, ut mirum magis videatur, cur uterque Morbus, eâdem urgente Cauſa, non ſemper concurrit ſimul; eòque magis cùm Lobi Pulmonum Pleuræ coaleſcant, quod non rarò, cæterà ſanis, accidit?

In ipſo quidem Initio omnis Peripneumoniæ Sanguis rectiſſimè mittitur ex magno Vaſe, per magnum Vulnus, ut Quantitas & Vis ejus minuantur, & Locus adſit Diluentibus; ac ne, dum urget uſque Inflammatio in extremis *Bronchialibus* Arteriis, ipſi etiam Ramuſculi Arteriarum pulmonalium inde compreſſi, obſtructi quoque brevi fierent, unde ſæviſſima oriretur Peripneumonia, jugulans ocyſſimè; potiſſimùm ſi multæ *Arteriolæ pulmonales* affectæ ſint: quo in Caſu vix aliquid proficiat niſi largiſſima Sanguinis Detractio, imò ferè ad Deliquium uſque.——Pro Ratione autem majoris, aut minoris, reſpirandi Difficultatis, major, minórve, Cruoris Quantitas emitti debet. Pulſus enim haudquaquam in hoc Morbo hujus ſatis fidus eſt Index; quandoquidem ſæpè ob impeditum Sanguinis Curſum mirè turbatur: imò qui vix ſentiendus erat ante Venæ Sectionem, ſæpè pòſt validè pulſat.—Haud tamen tutò mittitur poſt Diem quartum; utique ſi Sputa ſubflava, rubeſcentia, copioſa, liberè rejiciuntur. Vide Notationem (B) Anno MDCCXXX.

Hæc pauca curſim de Pectoris Inflammationibus protuli; qui vult plura, eaque perfecta omninò, perlegat diligenter conſummatiſſimos Boërhaavii Aphoriſmos Capit. de Peripneumoniâ, *&c.*—At proh Dolor, dum hæc ſcribo, ad Deos abit Vir immortalis, *quem Sæcula nulla tacebunt!*

CONSTITUTIO AËRIS, &c.

ANNO MDCCXXXII.

JANUARIO.

MENSIS Januarii Principio afflavit Aquilo, & Sudum fecit & Gelu rigidum, *Atmoſphæram* quoque maximè ſiccam. Totum hoc pulchrum Ventus à Meridie brevi ſubvertit; imò xv & xvi graviſſima ruebat Pluvia, inde Malacia perpetua ferè ad Diem viceſimum ſecundum: pòſt varia admodum, at plerumve pluvia Tempeſtas, cadente *Mercurio*.

Pluvia 8. 11. 15. 16. 17. 19. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29.
Dig. Dec.
= 3.564.

Lumen boreale parvum. 18. Malacia.

☿ Altitud. maxim. 21. 30,0. Malacia. } media 29.6.
——— minim. 27. 28,9. S W 3.

Dies frigid. 9. 70. N 1. } media Therm. Altit. $58\frac{5}{20}$.
— tepid. 26. 50. S W 2.

Morbus colicus paſſim: Tuſſes, Raucedines, Gravedines & Tumores Faucium valde frequentes.

FEBRUARIO.

Toto hoc Menſe Ventus occidentalis prævaluit, aliquandò ad Septentrionem, ſæpiùs ad Auſtrum flectens, continuâ quaſi cadente Pluviâ, haud tamen gravi: nullum Gelu.

Pluvia 2. 4—7—10. 11. 12. 14. 16. 19. 21—23. 25. 26. 28.
Dig. Dec.
= 2.924.

Levis

Levis *AB*. 7. W 1. Procella 6. multo mane. S S W 4_x.—10. Nocte S W b W.

☿ Altitud. maxim. 13. 30,1. W N W 1. } media $29,7\frac{3}{20}$.
——— minim. 7. 29,1. W 1.

Dies frigid. 8. 56. W N W 1. } media Therm. Altitud. 49.
— tepid. 4. 44. S S W 2.

Iidem, qui in precedente Menſe, Morbi, at ſeveriores: (A) Tuſſes *convulſivæ* frequentes inter Pueros.

MARTIO.

Incerta fuit durante Martio Tempeſtas; nunc nimboſa, ſæpè tranquilla, Vento variante ſæpiſſimè plerumque vero è Septentrione. Initio & paulo ante Finem *Barometri* Statio erat ſatis alta, Aërque ſiccus & purus; medio autem Menſe, eoque deſinente, concidebat *Mercurius* & Pluvia multa.

Pluvia $\overset{/}{1}$. 2. 5. 6. 7. 9. $\overset{///}{12}$. 13. $\overset{//}{14}$. $\overset{//}{18}$. 27. $\overset{///}{28}$—$\overset{//}{31}$. Nix 10.
$\overset{//}{11}$. = 3.174. Dig. Dec.

Fulgur & Tonitru 28. p. m. Procella 2. Nocte, W N W—gravis 29. mane, S E 4^x.

☿ Altitud. maxim. 4. 30,2. Malacia. } media $29.6\frac{1}{30}$.
——— minim. 30. 28,8. E S E 3^x.

Dies frigid. 11. 64. N b W 1, rigid. Gelu } media Therm. Altit. $49\frac{26}{30}$.
— tepid. 20. 43. Malacia.

Tuſſes & Gravedines adhuc: Pleuritides, *Rheumatiſmi*, Peripneumoniæ, præcipuè verò nothæ, ſæviunt paſſim: *Variolæ Sporadicæ*.

APRILI.

Barometer haud fuit elatus per totum Aprilem, quamvis Aquilo ſpiravit nonnunquam, ac Malacia interfuit ſæpè: Medio & Fine Menſis Aër liquidus erat & valde ſiccus: à decimo octavo ad vigeſimum quartum humidus, perflante Auſtro.

Pluvia 1. 3. 7. 10. 15. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 25. 27. = Dig. Dec. 2.196.

☿ Altitud. maxim. 28. 29,7. N 1. }
——— minim. 25. 29,2. S b. W 3. } media 29.4$\frac{16}{29}$.

Dies frigid. 16. 53. Malacia. }
— tepid. 27. 38. E S E 1. } media Therm. Altitud. 44.

Iidem uſque regnant Morbi: *Variolæ* in Viciniâ *epidemicæ.*

M A I O.

Subfrigida fuit *Atmoſphæra* hoc Menſe, à decimo ſexto ad viceſimum ſecundum ſicca valde & ſuda: Ventus tamen ex Plagis auſtralibus *Baroſcopium* depreſſit.

Pluvia 1. 3. 5. 8—12. 22. 23. 25. 26—28. 30 = Dig. Dec. 2.424.

☿ Altitud. maxima 21. 29,7. N W 1. }
——— minima 27. 28,8. S S W 3. } media 29.4$\frac{23}{31}$.

Dies frigid. 21. 50. N W 1. }
— tepid. 16. 36. Malacia. } media Therm. Altitud. 40$\frac{26}{31}$.

Cholera Morbus paſſim; *Diarrhœæ* frequentes.

Ferox Tuſſis plures cruciat Infantes ac Pueros, eoſque ſæpè in Spaſmos adigit.

J U N I O.

Ab Initio Junii ad Diem uſque decimum octavum vix ulla Pluvia, Aër interim fuit maximè ſiccus & purus admodùm, at ſæpè frigidulus. A Die quinto ad duodecimum Eurus, aut Malacia: à decimo nono ad vigeſimum ſecundum gravis Pluvia, Zephyro flante; Septentrio autem pòſt *Barometrum* erexit. Permagna Roratio hoc Menſe, ſub Finem præſertim.

Pluvia 17. 19. 20—22. 24 = Dig. Dec. 1.270.

☿ Altitud. maxim. 26. 30,0. N N W 1. }
——— minim. 10. 29,2. Malacia. } media 29.6$\frac{3}{29}$.

Dies frigid. 2. 40. N W 1. }
— calid. 28. 26. N 1. } media Therm. Altit. 31$\frac{12}{29}$.

Febres *miliares* compoſitæ & *Rubeolæ* paſſim.

JULIO.

JULIO.

Ad Principium & ſub Julii Finem Aër fuit valde ſiccus; Ventus enim è Septentrione ſpiravit, ſed lenis admodùm: ab octavo autem ad decimum quartum Pluvia multa, flante Noto. Frequens currente menſe Malacia & Ros plurimus.

Pluvia 8. $\overset{////}{9}$—$\overset{//}{11}$—$\overset{///}{13}$—$\overset{/}{14}$. 22. $\overset{/}{27}$. 28. = 2.288. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 1. 29,8. Malacia. — minim. 12. 29,0. S S E 2. } media 29.5$\frac{13}{31}$.

Dies frigid. 14. 38. S S W 1. — calid. 31. 24. N N W 1. } media Therm. Altitud. 29$\frac{19}{31}$.

Tempeſtas maximè ſalubris.

AUGUSTO.

Ineunte & exeunte Auguſto Ventus ab Oriente *Atmoſphæram* ſiccavit plurimùm; inter nonum & viceſimum ſextum varius fuit, nunc ſcilicet ad Auſtrum, nunc ad Septentrionem. Parum admodùm Pluviæ hoc Menſe decidit, at immenſa Vis Roris.

Pluvia 9—12. 19. $\overset{/}{23}$. = 0.362. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 30. 29,9. E b N 2. — minim. 12. 29,2. S 2. } media 29.5.$\frac{16}{30}$.

Dies frigid. 31. 38. E b N 1. — calid. 19. 23. S 2. } media Therm. Altit. 28$\frac{22}{30}$.

DiarrhϾ frequentes: Febres intermittentes paſſim.

Morbilli jam ingruunt, Fine nimirum Menſis. Tuſſes plures jam vexant Equos.

SEPTEMBRI.

Diem adusque decimum Septembris *Mercurii* Statio fuerat ſublimis, Boreas interim ocyùs afflans *Atmoſphæram* reddiderat maximè puram: à decimo autem ad viceſimum quintum Libs, aut Caurus, multâ cum Pluviâ; inde Eurus.

Pluvia $\overset{///}{11}$. $\overset{///}{12}$.—$\overset{/}{15}$. $\overset{////}{17}$. 18. 19. 21. 23. $\overset{///}{27}$. = 3.050. Dig. Dec.

Procella 26. Nocte, E S E. Tonitru Nocte 12. S W 1.

[☿ Altitud.

☿ Altitud. maxim. 2. 30,1. N E 2.
——— minim. 13. 29,0. W N W 2. } media 29.6.

Dies frigid. 30. 45. E 3.
— tepid. 10. 29. S W 2. } media Therm. Altitud. 35.

Morbilli *epidemici.*—Angina tuſſiens undique inter Equos (dicta *the Strangles)* quæ plurimos ſuffocat prorsùs.

OCTOBRI.

Graviſſima ſæpè & perpetua ferè Pluvia decidit menſe Octobri, nimbis ab Auſtro unà furentibus, plurimùm etiam ſubſedit *Baroſcopium :* id verò ſub Finem erexit Ventus aquilonius, Aëremque ſiccavit.

Pluvia 2—5. 7—9. 11. 12. 14—16. 17. 19. 20. 21.—23. 24—26. 28. Dig. Dec. = 6.342.

(marks over the days as printed: 2 //, 5 //, 7 ///, 9 //, 11 ///, 12 /, 14 //, 16 //, 19 ////, 20 ///, 21 /, 23 ///, 24 /, 26 /, 28 //)

Procella 14. p. m. Fulgur & Tonitru 22 mane. S b E 2.

☿ Altitud. maxim. 30. 29,8. N N E 1.
——— minim. 14. 28,7. S W 4. } media 29.2$\frac{26}{29}$.

Dies frigid. 31. 52. E b N 1.
— tepid. 1. 34. E 1. } media Therm. Altitud. 38$\frac{5}{29}$.

Tuſſes, Coryzæ & *Morbilli* maximè *epidemici.* Jam morbus Equorum ſævit maximè.

NOVEMBRI.

Aër fuit valde ſiccus & tenuis, Ventuſque ab Oriente, aut Septentrione, toto Novembri, iſque à ſexto Die ad decimum furibundus : à viceſimo ad Finem uſque omni mane permagna Pruina & Gelu, dum lenis Aquilo ſpirabat.

Pluvia 1. 2. 10—12. 16—18. 19. 30. Dig. Dec. = 0.584.

(mark over 19 as printed: /)

Turbo aquilonalis 6. H. 9. nocturnâ.

☿ Altitud. maxim. 25. 30,4. N E b N 1.
——— minim. 12. 29,4. E S E 1. } media 29.9.

Dies frigid. 29. 63. N E 1.
— tepid. 1. 48. E b S 1. } media Therm. Altitud. 55$\frac{18}{30}$.

Morbilli adhuc, & Morbus epidemicus inter Equos.

DECEMBRI.

Perſtitit uſque ad decimum Ventus aquilonius, hinc Subſolanus: à decimo ſexto ad Finem uſque Libs, aut Auſter, permultâ ruente Pluviâ, ac ſubſidente plurimùm *Mercurio*. *Atmoſphæra* Initio valde ſicca erat & frigida rigido cum Gelu; à decimo ſexto autem tepida, nebuloſa & humida.

Pluvia 4. $\overline{13}^{\,\prime\prime}$.—$\overline{16}^{\,\prime}$. 18. $\overline{19}^{\,\prime\prime\prime}$. $\overline{20}^{\,\prime\prime\prime\prime}$—22. $\overline{23}^{\,\prime}$. $\overline{24}^{\,\prime}$. $\overline{25}^{\,\prime\prime\prime}$. $\overline{26}^{\,\prime\prime}$. 27. $\overline{29}^{\,\prime}$. $\overline{30}^{\,\prime\prime}$. 31. = Dig. Dec. 4.918.

Fulgura 20. 21. Nocte. Procella 29 Nocte S 4. Nix 10. E b N 1.

☿ Altitud. maxim. 2. 30,2. N E 1. } media 29. $5\frac{20}{28}$.
——— minim. 31. 28,8. S W 2. }

Dies frigid 8. 66. N E 2. } media Therm. Altitud. $54\frac{13}{28}$.
— tepid. 25. 44. S 1. }

Tuſſes, Gravedines, Anginæ, valde frequentes. Lues equina adhuc graſſatur, ſed imminuta valde eſt.

Tota Quantitas Pluviæ, Anno MDCCXXXII. = Dig. Dec. 33.096.

De Pertuſſi *Puerorum*.

(A) Ingens adfert Solamen (inquit *Sydenham*) Venæ Sectio *Pertuſſi* Infantum, in quâ Remedia quælibet, Pectori dicata, longo poſt ſe linquit Intervallo: Idem hoc ſentit *Harris* de Morb. acut. Infant.—Oleoſa utique & mucoſa Medicamenta damno prorsùs; quippe quæ Morbum augent, non abigunt certè: iis utcunque Praxis vulgata utatur.

Quæ mihi adeò magis eſſe ex Uſu, longâ probavi Experientiâ, ſequuntur.—Sive evidens *Plethora* adſit, ſive Sputum Sanguine tinctum, Venæ Sectionem præcipio ſemper; idque præcipuè, ſi Febricula, quòd ſæpe fit, urget, aut Vultus inter tuſſiendum fere nigreſcit: hanc inſuper repeto nonnunquam, pro Ratione ſcilicet Virium & Ætatis. Mox

Mox levem moveo Vomitum Syrup. Flor. Perſicor. Oxymel. Scillitic. Infuſ. aut Decoct. Ipecacuanhæ.—Tuſſis enim, partim ſaltem eſt, à Stomacho, ut monuit olim *Waldſchmidt*; nam vix unquam ceſſat Tuſſis *convulſivæ* Paroxyſmus antequam irritans Pituita tenax Vomitu rejicitur: imò tanta ſæpe eſt illuviei Copia, ut Vomitionem terve, quaterve, proritare neceſſe ſit.

Solvenda porrò ſubinde eſt Alvus, at lenibus tantùm utendum eſt *Catharticis*, nempe Rhabarbaro, Mercurio alkalizato, Calomelane. Proluvies namque mucoſa hoc modo expurgatur, adeoque nec *Chylum* inquinat, nec, Vaſa Lactea ſubeundo, Sanguinem. Nocet utique aſtricta nimiùm Alvus: nam Febriculam infert, aut Dyſpnœam aggravat maximè.—Nec ſolùm Evacuantibus opus eſt, exhibenda ſunt etiam quæ & Nervos & Stomachum confirmare valent, ac Lentorem Sanguinis attenuare. Hoc Opus abſolvunt optimè *Mercurialia*, & Cortex Peruvianus, *Stomachicis* idoneis adjectis. Spiritûs intereà Difficultas & Pectoris Oppreſſio Solutionem Gum. Ammoniac. Expreſſionem Milleped. aut tale quid deſiderant ſæpe; Vehementiam autem Tuſſis interdùm compeſcere licet Elix. Aſthmat. le Mort. è Syrup. Diacod. quod quidem eſt optimum, ac tutiſſimum, in hoc morbo *Anodynum*. Atqui ſi humor acris admodùm in Laryngem, aut Pulmones deſtillat, eum oportet avocare admoto Cervicibus *Epiſpaſtico*.

His cedit Remediis facilè hic Morbus, alias ſæpè contumax admodùm; nec niſi Tempore & Mutatione Cœli fugandus: decantata ſanè Muliercularum *Specifica* (quantum ego unquam obſervavi) meræ ſunt Quiſquiliæ: imò Muſcus pyxidatus, modò ſi quid valeat, propter Vim aſtringentem, adeoque corroborantem, & ad Naturam Corticis Peruviani aliquanto accedentem, valet. Nobile namque hoc Indiæ *Pharmacum* non ſolùm lentos attenuat Humores, ſed & totum *Syſtema* Fibrarum confirmat; atque ſic utraque Facultate agendo Febres intermittentes diſcutit.—Atqui periodica hujus *Pertuſſis* Acceſſio, haud minùs certa ſæpe quàm vel Intermittentium Paroxyſmus, non multum abeſſe ab earum Indole hunc Morbum indicat: hoc magis etiam probabile videtur, quod uterque Morbus, eâdem plerumque Tempeſtate, graſſatur, ab eâdem propè Cauſâ pendet, & iiſdem fere curatur Remediis.

CONSTITUTIO

Aëris & Morbis Epidemicis,

ANNO MDCCXXXIII.

JANUARIO.

INGREDIENTE Anno Pluvia frequens *Atmoſphæram* humidadavit, Vapores autem paulò pòſt Ventus ab Oriente diſcuſſit, à decimo ſexto ad viceſimum quintum durans, ſurgente *Barometro.* Perpaululum hoc Menſe Gelu, imò exeunte eo Aër erat valdè nebuloſus & pro Anni Tempore tepidus.

Pluvia 1—$\overset{\prime\prime}{4}$. 5. $\overset{\prime\prime}{7}$. $\overset{\prime\prime\prime}{8}$. $\overset{\prime}{9}$. 15. 22. $\overset{\prime\prime\prime}{29}$. 30. 31 = 2.384. Dig. Dec.

Procella 7. Nocte. S. Gelu 14. N W 1—21. E N E 2.

☿ Altitud.	maxim.	24.	30,2.	E 1.		media $29.7\frac{20}{31}$.
———	minim.	8.	29,3.	S W	3.	

Dies frigid.	21. 62.	E N E	2.	media Therm. Altitud. $51\frac{25}{31}$.
— tepid.	28. 47.	S 1.		

Tuſſes, Coryzæ, *Morbilli* frequentiſſimi.

FEBRUARIO.

Flavit ab Occidente Ventus toto Februario, ad Auſtrum vergens ſubinde, non raró etiam ad Septentriones: Aër intereà fuit humidus & algidus, at non æquè craſſus ac elapſo Menſe.

Pluvia $\overset{\prime\prime}{1}$—$\overset{\prime}{4}$—$\overset{\prime\prime}{6}$. $\overset{\prime}{7}$. 8. $\overset{\prime}{11}$. 14. 17—$\overset{\prime\prime\prime}{20}$. $\overset{\prime\prime\prime\prime}{22}$. $\overset{\prime\prime}{24}$—$\overset{\prime}{28}$. = 37.34. Dig. Dec.

Procella 1 Nocte. S. W. Levis *AB*. 2. H. 10. N N W 1.

☿ Altitud.	maxim.	15.	30,0.	N N W	1.	media $29.6\frac{10}{20}$.
———	minim.	4.	29,2.	S W	2.	

Dies frigid.	10. 60.	N W	1.	Gelu & maxima Pruina.	media Ther. Altit. $53\frac{12}{26}$.
— tepid.	7. 49.	S S W	2.	——— ——— —	

Morbilli plures Infantes Puerosque peremerunt; declinante nempe Morbo, quaſi Peripneumoniâ ſuffocatos: nihil profuit ferè niſi tempeſtiva Sanguinis Miſſio.

Hoc Tempore hanc Regionem infeſtavit Morbus, omnium quotquot ego ſaltem memini antehac maximè *epidemicus*; omnes pervaſit Domos, Pauperum Tabernas Regumque Turres: vix unus, aut alter, Rure, vel in Urbe, Senex, aut Puer, robuſtus, aut infirmus evaſit.—Quandoquidem ergo tanta fuit ejus in omnes Vis (idque profectò citius, tardiuſve, per magnam Terrarum partem) è Re fore duxi accuratam Morbi, prout hìc ſe habuit, Hiſtoriam Scriptis mandare.

Ab ipſo Initio Februarii, & in Cornubiâ, & in Damnoniâ citeriore, ſævierat Morbus hic *epidemicus*; nos tamen Plymuthi ante iv. Iduum Februarii vix attigit: quo Die, nempe Saturni, plurimi ſubitò quaſi correpti erant, poſtridie innumeri, ad xv. Kalend. Martii omnes undique.

A levi incepit Horrore Morbus, cui mox acceſſere vagi & incerti Calores, Gravedo, magna ac importuna valde Sternutamenta; Dolor tunc Dorſi & Artuum errans, ac Pectoris ſæpè, at non conſiſtens, graviſſimam verò propter Tuſſim non rarò valde moleſtus: Tuſſi intereà & Sternutatione immenſa Vis Muci tenuis & acris ejecta fuit. Hæc quaſi à Frigore (ut dicitur) recens ſuſcepto; paulò pòſt tamen Febris aliqua, interdum haud exigua, ſecuta eſt, Pulſuſque velox, nequaquam verò, ut Pleuriticorum, durus & tenſus; neque erat Urina valde rufa, ſed craſſa, ac plerumque ſubalbida: Lingua non arida, ſed plurimo albeſcente muco obducta fuit. Omnibus ferè aderat Inſomnia, Vertigo inſuper, aut atrox Capitis Dolor angebat plurimos, levi nonnunquam comitante Delirio. Tinnitus Aurium quamplurimis moleſtus fuit, multiſque in Meatu *auditorio* Dolor acutus, in Abſceſſum aliquando deſinens; Aſpretudo tamen & Faucium Apoſtemata frequentiùs enata ſunt. Omnes penè ad Sudores fuere valde proclives; qui multi, faciles, continui, intra Biduum, aut Triduum, erumpentes Febrem fere diſcuſſerunt prorsùs, Urinâ plurimâ, ſubalbidâ, aut ſubflavâ, deponente Sedimenta; lateritiâ verò raro admodùm:

modum: plurimis autem, an ob profuſos Sudores, an ob *Epiſpaſtica*, nil ſtatuo, fuit valde difficilis. Alvus bilioſa Morbum ſæpiſſimè abſolvit; haud raro Puſtularum urentium Eruptio.

En Morbi hujus *epidemici*, ut hìc ſæviit, Deſcriptio! Cui quidem licet omnes fermè ſuccubuere paululùm, Letho tamen (ſi numerum ſpectes) pauciſſimi, quos inter Infantes præcipuè, ac Senes pulmonarii.

Abiit plerumque vel intra Quatriduum perbreve, manente ſolùm infeſtâ Tuſſi, eâque ſæpe diuturnâ valdè, cum majore Virium Dejectione quàm quis, pro Ratione Valetudinis, crediderit: idque præſertim, ubi intempeſtiva Sanguinis Miſſio præceſſerat.

Illos potiſſimùm Venæ Sectio adjuvit, quos Pectoris Dolor, aut Gravitas, oppreſſerat; idque ingruente, non ſanè declinante, Febre: Omnium penè ſanguis albidâ quâdam Pelliculâ contectus fuit, haud tamen valde glutinosâ; niſi, ubi, ob Miſſionem Sanguinis diutiùs neglectam, in Pleuritidem, aut Peripneumoniam, Febris abierat; quod quidem haud paucis contigit, ex nimio præſertim *Volatilium* & *Cardiacorum* Uſu.

Nauſea, aut Vomitus urgens, lene poſtulabat *Emeticum*, quòd & Stomachi Ægritudinem & Pectoris Oppreſſionem levabat maximè. Sudores exprimebat inſuper; ad quos promovendos Potus multus, tepidus, diluens, etſi Sitis non admodùm urgebat, erat neceſſarius omninò: quippe ſine Sudore vix unquam lætus hujus Morbi exitus. Serum vinoſum dilutius fuit inſtar omnium, tepidè epotum; quod utique tanto erat in Uſu, ut vix ſatis ſuppeteret Lactis ad id conficiendum.

Perutilia fuere, nec omittenda, *Veſicatoria*, pone Aures ac inter Scapulas admota: Dolori Capitis enim atque Tumori & Aſperitati Faucium certiſſimum tulerunt Levamen: quinetiam nimiam in Pulmones Deſtillationem, Curſum ſcilicet acris Colluviei avertendo, prohibuerunt.——Me adhortante, pro Remediis fuere maximè Lap. Contrayerv. Spirit. Volat. Oleoſ. Sp. C. C.—Lavend. C. Elixir. Aſthmat. le Mortii, & Potiones ex Spermat. Ceti ſolut. cum largâ Potione Decocti cujuſdam pectoralis tenuis, aut Seri Lactis dilutiſſimi:

quæ & percommodè ſimul Tuſſim lenibant, ac Sudores eliciebant optimè. Ubi verò, poſt Sanguinis emiſſionem, Reſpiratio gravior & Exſcreatio difficilis premebant, Solutio Gummi Ammoniaci cum Oxymelite Scillitico fuit neceſſaria prorsùs: jam enim inſtar Peripneumoniæ nothæ urgebat Morbus, & eandem omninò poſtulabat medendi Methodum; Pectoralia nempe maximè incidentia, & Tibiis *Epiſpaſtica*; *Emetica* nonnunquam, aut lenia *Cathartica*.

Furebat Tuſſis per totum Morbi Impetum; ſæpè adeò vehementer utique, ut eam *Anodynis* cohibere fuiſſet difficilis ſatis: imò uſque adeò interdum perduravit poſt Febrem abactam, ut haud paucos, poſt unum alterumve Menſem, in Tabem lethalem abriperet; illos præcipuè, quibus fuerat olim ex Pulmonum Infirmitate Valetudo minùs proſpera. Cum verò notaverim frequenter, quòd Tuſſis, obortâ *Diarrhœâ*, profligata eſſet, *Eccoprotica* ex Rhabarbaro, Manna, Tartaro ſolubili, *&c.* exhibui ſubinde, faceſſente Febre; optato (quod ſolet) Eventu, Duce Naturâ: quæ porrò Cibi Appetentiam, toto Morbi Tempore proſtratam valde, brevi reſtituebant.

Morbus fuit herclè, ni ex admiſſo gravi Errore, raro lethalis, quem tamen multi, vel ob ipſam ejus Frequentiam, temerè ſpernentes, ſeras dedêre Pœnas Stultitiæ, aſthmatici, hectici, tabidi.

MARTIO.

Januario & Februario tepidiore, ſucceſſit Martius per Initia paulò frigidior; Ventus quippe ex Plagis arctoïs ſpiravit, ſurgente *Borometro*: poſt verò frequens Vulturnus *Mercurium* demiſit, multamque Pluviam. Ab octavo ad vigeſimum ſecundum Aër ſatis ſiccus fuit & tenuis, inde multo humidior.

Pluvia 1. $\overset{/}{7}$. $\overset{/}{8}$. 14—$\overset{///}{16}$. 17. $\overset{//}{23}$—$\overset{//}{25}$—$\overset{//}{27}$. $\overset{/}{28}$. Nix 10. $\overset{//}{21}$.

Dig. Dec.
Grando 9.19. = 3.098.

Levis *AB*. 21. 10. p. m. N W 1. Gelu rigidum 10. 11.

☿ Altitud. maxim. 3. 30,2. N N W 1. } media $29.4\frac{2}{28}$.
——— minim. 21.28,9. S E 3.

Dies frigid. 10. 62. N b E 1. } media Therm. Altitud. $52\frac{23}{28}$.
— tepid. 28. 44. E S E 2.

Incipiente Menſe Febris *catarrhalis* undique maximè *epidemica*, quæ & adhuc perdurat; jamque etiam Pleuritides, Peripneumoniæ, & veræ, & nothæ, Anginæ quoque frequentes.

APRILI.

Ventus ab Oriente, ad Septentrionem verò ſæpè deflectens, toto Aprili prævaluit, unde Aër ſiccus & frigidulus evaſit; ſub Finem præſertim: Malacia tamen ſubinde & Nebulæ aliquando intervenêre.

Pluvia $\overset{''}{8}$. $\overset{'''}{13}$. 15—$\overset{''}{17}$. 18. $\overset{'''}{22}$. = 2.284. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 29.30,0. Malacia. } media 29.6.
——— minim. 13.29,1. S E 1.

Dies frigid. 27. 50. N E 3. } media Therm. Altit. $42\frac{26}{30}$.
— tepid. 22. 38. Malacia.

Febris *epidemica* adhuc paſſim Rure; multique nunc tabeſcunt ex malè judicatâ Febre. Peripneumoniâ & Pleuritide multi corripiuntur.

MAIO.

Hoc Menſe mediam plerumque Stationem tenuit *Baroſcopium*, flante fere quotidie Subſolano; *Atmoſphæra* maximè ſicca fuit & tenuis; à duodecimo ne vel Guttula Pluviæ, at Ros plurimus & Malacia frequens.

Pluvia $\overset{'''}{6}$—$\overset{''}{8}$. 10. $\overset{''}{11}$. 12. = 1.010. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 22. 29,8. E 1. } media $29.5\frac{10}{27}$.
——— minim. 7. 29,2. Malacia.

Dies frigid. 5. 46. E 2. } media Therm. Altitud. $37\frac{10}{27}$.
— tepid. 30. 28. Malacia.

Febres pulmonariæ, ac intermittentes, invadunt plures. Haud pauci modò Phthiſici mortui ſunt, rupto interdum Pulmonis Apoſtemate: illi præcipuè, qui ex Febre *catarrhali* in Tabem inciderant, & quibus etiam inde Tumor Pedum aquoſus acceſſerat.

JUNIO.

JUNIO.

Venti fuerunt mutabiles durante Junio, ſæpe ex Oriente, ſed ab Occidente ſæpiùs ad Auſtrum plerumque vergentes: intervenit haud raro Malacia. Initio Aër erat ſiccus; Fine & ſiccus & calidus. Maxima Roratio ſæpe.

Pluvia. $\overset{\prime\prime}{\overline{5}}$. $\overset{\prime}{\overline{8}}$. 9. 13. 15—$\overset{\prime}{\overline{19}}$. $\overset{\prime}{\overline{20}}$. 25. = 1.534. Dig. Dec.

Maxima *AB*. mediâ nocte 27. W N W 1. Fulgura 12 nocte. Tonitru 26.

☿ Altitud. maxima 22. 29,8. Malacia.
——— minima 18. 28,8. S b W 3. } media 29.4 $\frac{26}{30}$.

Dies frigid. 21. 36. W 2.
— calid. 27. 24. W 1. } media Therm. Altitud. 28. $\frac{26}{30}$.

Febres remittentes & intermittentes adhuc, jam ſæpè cum Puſtulis rubellis.

JULIO.

Toto fere Julio Aër fuit valde ſiccus & fervidus, paucæ Pluviæ, Rorationes autem maximæ, Ventus Auſtralis raro, Corus & Aquilo ſæpè: nihilominus, Statio *Baroſcopii* erat utplurimùm humilis.

Pluvia 14. $\overset{\prime}{\overline{15}}$. $\overset{\prime}{\overline{16}}$. 21. $\overset{\prime}{\overline{28}}$. 30. 31. Grando $\overset{\prime}{\overline{16}}$. = 0.772. Dig. Dec.

Magna *AB*. 10. 10. p. m. N W 1. Tonitru 16. p. m. S S E 2—28. p. m. N N W 1.

☿ Altitud. maxim. 1. 29,7. N N E 1.
——— minim. 29. 29,0. N b W 1. } media 29.4 $\frac{6}{26}$.

Dies frigid. 31. 34. N W 1.
— fervid. 5. 16. N W 1. } media Therm. Altitud. 24 $\frac{8}{26}$.

Febres intermittentes ſparſim: Cholera & *Diarrhœa* frequens. Mulieres plurimæ immenſo menſium Profluvio laborant. Omnes ferè de Languoribus ob Æſtum enormem undique conqueruntur.

AUGUSTO.

Perpetuus ſpiravit ab Occidente Ventus, ad Meridiem ſæpe deflectens, crebrò etiam ad Septentrionem. Priore Menſis Parte Pluvia,

3 Toni-

Tonitru, Fulgura frequentia, eaque graviſſima, Sudo tamen ſubinde intercurrente.

Pluvia 1. $\overset{//}{3}$. $\overset{//}{4}$. 6. $\overset{///}{7}$. $\overset{///}{10}$—$\overset{/}{12}$. 16. $\overset{//}{17}$. 18. 21. 24. $\overset{//}{27}$—29. $\overset{//}{31}$. Dig. Dec. = 4.500.

Fulgur & Tonitru vehemens 3. 6. 7. 10 veſperi. Procella 17 nocte. S W.

☿ Altitud. maxim. 24. 29,9. N N W 1. } media 29.4$\frac{22}{30}$.
——— minim. 7. 29,0. S S W 1.

Dies frigid. 24. 43. N N W 1. } media Therm. Altitud. 32.
— calid. 5. 24. S W 1.

Perpauci Morbi: aliqui *Diarrhœâ* & Cholerâ Morbo corripiuntur.

SEPTEMBRI.

Varia fuit Tempeſtas Ventuſque varius hoc Menſe, à nono tamen ad Diem decimum octavum ab Oriente, ad Auſtrum declinando plerumque. *Atmoſphæra* erat ſicca, & Statio *barometrica* altior ut plurimùm quàm elapſo Auguſto: Maximæ & crebræ Rorationes.

Pluvia $\overset{/}{1}$. $\overset{/}{2}$. 3. $\overset{//}{5}$. 11. 12. $\overset{//}{13}$. 14. 21. 24. $\overset{//}{25}$. 26. 28. 30. Dig. Dec. = 1.978.

Magna *AB*. 8. 10. p. m. N N W 1—levis 29. H. 9. W N W 1.
Fulgur & Tonitru 12 & 13. a. m. Fulgura nocte 26.

☿ Altitud. maxim. 19. 30,1. Malacia. } media 29.6$\frac{9}{20}$.
——— minim. 26. 29,0. S W b W 2.

Dies frigid. 30. 49. N N E 1. } media Therm. Altit. 37$\frac{20}{29}$.
— tepid. 5. 33. S W 2.

Tuſſes & *Catarrhi* valde frequentes. Ad Finem Menſis Choleræ & *Diarrhœæ* ſæviunt.

OCTOBRI.

Eurus & Aquilo hoc Menſe ſæpe afflantes *Barometrum* extulerunt multùm, Temperiemque Aëris ſiccam & frigidam reddidere, etſi haud rarò intervenit nebula. Per Initia Menſis Ros plurimus.

Pluvia

″ ″ ‴ ″ Dig. Dec.
Plnvia 1—2. 11. 23—25. 27—29. = 2.026.

Magna *AB*. 27. 9. W N W 1. Permagnæ Pruinæ 15. 16. N N E 1. Glacies 31. N N E 1.

☿ Altitudo maxima 18. 30,2. E 1.
——— minima 25. 28,8. S W 3. } media 29.7$\frac{1}{3}$.

Dies frigid. 31. 60. N N E 1.
— tepid. 3. 37. S S W 1. } media Therm. Altitud. 46$\frac{24}{30}$.

Cholera & Diarrhœa adhuc. Eruptio puſtuloſa *Scorbutica* frequens ſine Febre. Apoplexiæ paſſim: ſævæ aliquæ Febres peripneumonicæ. *Rubeolæ* & Morbi colici plurimi.

NOVEMBRI.

Ex Occaſu plerumque Ventus ſpiravit Novembri, at ſæpè ad Septentrionem deflexit, quamvis Aër erat ſolito magis tepidus; ſub Finem valde craſſus & humidus.

′ ″ ′ ′
Pluvia 7. 9. 10. 11. 12. 14. 15. 17. 20. 21. 26. 28—30.
Dig. Dec.
= 1.882.

Magna *AB*. 27. H. 2. matutina. N W 1—29. 10. N W 1. Procella 20 nocte. S 4.

☿ Altitud. maxim. 5. 30,2. N N W 1.
——— minim. 11. 29,1. S W 3^x^. } media 29,7$\frac{25}{21}$.

Dies frigid. 5. 58. Glacies
— tepid. 15. 44. S 2. } media Therm. Altitud. 48$\frac{22}{28}$.

Rubeolæ adhuc frequentes: Febres aliquæ pulmonariæ, Morbus colicus paſſim.

DECEMBRI.

His Menſis fuit nimboſus maximè, continua fere Procella eaque ſæpe graviſſima, à Die nono viceſimum tertium aduſque perduravit, Africo furente, dum Pluviæ corruerunt plurimæ, & horrida nonnunquam Fulmina. Ineunte quidem Decembri apricitas aliqua effulſit cum tenui Glacie, Aër autem erat valde craſſus; quintus utique Dies

fuit

fuit valde nebuloſus & caliginoſus maximè: Immenſa forte Vaporis Copia *Barometrum* ſuſtinuit partim, quod perpetuæ Procellæ aliter multo magis depreſſerint.

Pluvia 1. $\overset{\prime}{2}$. $\overset{\prime\prime}{9}$. $\overset{\prime}{11}$. $\overset{\prime\prime\prime}{12}$. $\overset{\prime\prime\prime}{13}$—$\overset{\prime}{15}$—$\overset{\prime\prime}{16}$. 17. $\overset{\prime}{20}$—$\overset{\prime\prime}{22}$. $\overset{\prime}{23}$—$\overset{\prime}{25}$. $\overset{\prime}{26}$—$\overset{\prime\prime}{29}$. $\overset{\prime}{30}$. 31 = 4.688. (Dig. Dec.)

Graves Procellæ 11. 12. 14. 16. 22. 23. 26. Maximi Maris Æſtus à 12 ad 14.

Fulgur & Tonitrura graviſſima cum vehemente Grandine 12.
————————diu durantia 16. S W b W 4.

☿ Altitud. maxim. 6. 30,1. N N W 1. ——— minim. 14. 29,1. S W b W 4^{x}. } media $29.5\frac{26}{31}$.

Dies frigid. 7. 62. E 1. — tepid. 14. 43. } media Therm. Altit. $49\frac{22}{31}$.

Incipiente Menſe Morbi colici, & Peripneumoniæ nothæ cum Affectibus *nervoſis* paſſim: Tuſſes & Gravedines frequentes valde ſub Finem Menſis: Paroxyſmi quoque multi *hypocondriaci* & *hyſterici*.

Tota Quantitas Pluviæ hoc Anno = 29.884. (Digit. Decim.)

CONSTITUTIO

AËRIS, &c.

ANNO MDCCXXXIV.

JANUARIO.

POST nubila Phœbus! novo quippe cum Anno multo lætior ſurgit Cœli Facies; Boreas nempe paulo poſt Initium Januarii oriens Vapores diſperſit & Nubes, rigido accedente Gelu Cœloque ſereno: Aëris autem Temperies longè magis tepida fiebat exeunte Menſe.

Pluvia 1. $\overset{//}{2}$. 8. 16. $\overset{//}{22}$. Nix & Grando 4. 5. = 1.480. Dig. Dec.

Procella 2. W S W. Fulgur & Tonitru cum multâ Grandine 22. mane.

☿ Altitud. maxim.	29.	30,4.	E b N	1.	media $29.9\frac{16}{29}$.
——— minim.	3.	29,4.	W	2.	
Dies frigid.	14.	71.	E N E	1.	media Therm. Altit. $60\frac{4}{29}$.
— tepid.	26.	54.	N W	1.	

Gravedines, Tuſſeſque frequentes: Morbi colici plurimi: Peripneumoniæ paſſim.

FEBRUARIO.

In altâ perſtitit Statione *Baroſcopium* Diem aduſque undecimum Februarii, flante Cauro; à decimo quinto ad decimum octavum Procella perpetua, imò ſæpe violenta maximè: ab Occidente Ventus turbineus iterum viceſimo quarto & quinto, immenſa quoque Vis Pluviæ tunc decidit, maximèque ſubſedit *Mercurius*. Niſi ipſo Menſis Initio vix ulla Glacies.

Pluvia 2. 3. 4. $\overset{///}{12}$. 13—$\overset{////}{15}$. $\overset{///}{16}$. $\overset{//}{17}$. $\overset{//}{18}$. $\overset{///}{19}$. 22. $\overset{/}{23}$. $\overset{////}{24}$. 25. $\overset{///}{26}$. 27. = 5.554. Dig. Dec.

Fulgura

Fulgura cum Grandine 17. nocte. W N W 2.

☿ Altitud. maxim. 1. 30,4. N E 1.	} media $29.6\frac{16}{26}$.	
——— minim. 24. 28,5. S b E 4.		
Dies frigid. 1. 62. Gelu.	} media Therm. Altit. $53\frac{18}{26}$.	
— tepid. 12. 50. S W 2.		

Incipiente menſe Morbi *peripneumonici*; procedente Anginæ, Coryzæ, Tuſſes plurimæ.

MARTIO.

Ventus quoque occidentalis toto duravit Martio, majore ex Parte vergens ad Auſtrum, unde frequens Pluvia & Aër craſſus & humidus; ſub Finem ad Septentrionem deflexit paululùm.

Pluvia 1—$\overline{\overset{/}{4}}$. $\overline{\overset{/}{5}}$. 6. 9. $\overline{\overset{//}{10}}$. $\overline{\overset{//}{12}}$—14. 16—$\overline{\overset{/}{18}}$. $\overline{\overset{//}{19}}$. $\overset{/}{20}$. 22. $\overset{/}{23}$—$\overline{\overset{/}{25}}$—28 = 2.812. Dig. Dec.

Procella 19. nocte. S 4_x.

☿ Altitud. maxim. 31. 30,0. W N W 1.	} media 29.5
——— minim. 13. 29,0. S W b S 2.	
Dies frigid. 15. 56. W N W 1.	} media Therm. Altit. $48\frac{7}{30}$.
— tepid. 23. 45. W b S 1.	

Tuſſes, Faucium Tumores, Lippitudines hoc Menſe frequentes: multi *Rheumatiſmo* correpti, aliqui Peripneumoniâ, & *Paraphrenitide*; plures ſub Finem Apoplexiâ.

APRILI.

Ne vel Guttula Pluviæ Diem aduſque decimum octavum; à primo ad duodecimum Corus, inde ad viceſimum tertium Subſolanus, pòſt Libs: medio Menſe Aër erat ſiccus & tenuis.

Pluvia 18. $\overline{\overset{/}{19}}$. 20. $\overline{\overset{///}{22}}$. $\overline{\overset{/}{23}}$. $\overline{\overset{//}{25}}$. $\overline{\overset{///}{26}}$. 27. 29. 30. = 2.126. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 12. 30,0. N N W 1.	} media $29.6\frac{9}{25}$.
——— minim. 23. 29,4. E S E 2.	
Dies frigid. 13. 50. E N E 1.	} media Therm. Altit. $43\frac{21}{23}$.
— tepid. 28. 37. W S W 2.	

Tuſſis & Tumor Faucium frequens adhuc; Febres intermittentes, nec non Apoplexiæ, haud paucæ: *Ophthalmiæ* paſſim.

Hoc Menſe graſſari cœpit Febris quædam (ſi ita dicam) *anginoſa*, furens indies magis magiſque.——Quos corripuit, primò Algor invaſit, mox incertus Ardor & *Cephalalgia*, Vomitus protinùs aut *Diarrhœa*, pauloque pòſt Dolor Faucium acutus & Tumor: hinc Febris haud levis, Languor, Anxietas, ac Pectoris Oppreſſio, accedente ſæpè Delirio, aut ſoporoſo Affectu, quorum haud dubia fuere prænuncia Urinæ vel tenues, vel quales Jumentorum turbidæ.——Felix ille tunc Ægrotus, cui Sudores eruperunt affatim, aut Puſtulæ rubræ; ſi ne hæc quidem, Eryſipelatis aliquid: ubi nihil horum, brevi inſtabat Fatum; niſi opportuna *Diarrhœa*, aut tempeſtiva Diruptio Apoſtematis Faucium, aut enitens Parotis, fauſtè ſublevarent.

Morbus hic haud raró vel intra ſex Dies diſcuſſus fuit; ſæpe verò diutiùs inhærentem, ſeptimo, octavo, aut nono, Die, erumpentes Puſtulæ cryſtallinæ (miliares dicunt) plurimæ expellebant prorsùs: modò nimirùm haud præmaturè receſſiſſet, quod certo ſanè fuit Ægrotis Exitio. Idem omninò dicendum eſt de Papulis rubris, quæ ſæpè etiam Statu Morbi apparebant.

Pueros & Juvenes potiſſimùm invaſit Febris, qui Vermes crebrò dejiciebant: Seniores raró decubuêre. Urina erat rufa plerumque, ſubrubrum, vel ab ipſo Initio, deponens Sedimentum: Lingua verò plurimo muco ſubflavo fœdata.

Deſideravit Febris hæc *epidemica*, quàm primum quis eâ correptus erat, Miſſionem Sanguinis, eamque ſæpe repetitam; haud raró utique vehementer urgente Morbo, ad tertiam uſque Vicem; etſi Cruor emiſſus non erat viſcidus admodùm, interdum floridus ſatis: Vomitu dein lenem Stomachi Purgationem, continuò *Epiſpaſtica* Auribus, Cervicibus, Humeris. Sorbitio tepida, *antiphlogiſtica*, permulta, erat neceſſaria prorsùs, levi ſæpe interpoſito *Cardiaco*, nempe ex Lapid. Contrayerv. Croco, Theriac. Andromach. Confect. Fracaſtorii, Confect. Raleigh. *&c.* idque præcipuè dum appropinquabat Morbi Status,

tus, maximè profectò cum *Exanthemata* evaſerint ſublivida; quod quidem peſſimi Ominis! Gargariſmata emollientia, ſubacida, detergentia, ulceroſo Gutturi conducebant maximè, ſenſim inſuper ſæpeque deglutitâ *Mucilagine* ex Semin. Cydoniorum & Pſyllii, Syrup. Moror. aut de Rub. Idæis edulcorat. vel Linctu aliquo *anodyno*, Tuſſi urgente præſertim, quæ fuit ſæpiſſimè permoleſta. Ut primùm aſpera & ſquamoſa quaſi apparuit Cuticula, Purgantia lenia ex Rhabarbaro, *&c.* cum *Mercurialibus* profuêre maximè, perfectamque Sanitatem brevi reſtituebant.

M A I O.

Ventus ab Occaſu, flectens maximè ad Septentrionem, toto ferè Menſe ſpiravit, intercurrente nonnunquam Vulturno. *Atmoſphæræ* Temperies fuit multo frigidior ſolito; Statio *Mercurii* utplurimùm demiſſa.

Pluvia 1. 7. 11. 12. 15—18. 21. 25. 26. 28—30. Nix 13.

Grando 14. = 1.764. (Dig. Dec.)

Leves *AB*. 14. 15. N W b N 2. Fulgur & Tonitru 28. p. m.

☿ Altitud. maxim. 10.29,9. N 1. — minim. 29.29,0. S E 2. } media 29.4 $\frac{10}{31}$.

Dies frigid. 14. 52. N N W 2. inſolitum Frigus! — tepid. 25. 37. Malacia. } media Ther. Alt. 42.

Tuſſis *convulſiva* inter Pueros frequens. Febres intermittentes paſſim.——Nunc Febris *anginoſa epidemica* ſævit maximè: Angina graviùs urget, cui jam frequenter accedunt Aphthæ moleſtiſſimæ, & cum ferâ Tuſſi Strangulatio fermè, ni frequens ſubveniat tepida Sorbitio & perpetua fere Gargarizatio.

J U N I O.

Eurus aſſiduè flavit à ſexto fere ad vigeſimum; Initio & Fine Corus: Atmoſphæra magìs tepida fuit, ac humida, quàm Menſe priore; ambo utique plus ſatis nubili.

Pluvia

	/	///	/		/	///	//		/	///		/	Dig. Dec.
Pluvia	2.	6.	8.	10.	11.	14.	15.	20.	21.	23.	26.	29.	= 3.208.

☿ Altitud. maxim. 4. 29,7. N W b W 1.
——— minim. 24. 29,1. W N W 1. } media 29.4$\frac{11}{29}$.

Dies frigid. 10. 40. S E b E 1.
— calid. 22. 26. Malacia. } media Therm. Altit. 31$\frac{16}{29}$.

Febres intermittentes adhuc; *Ophthalmiæ* paſſim. Morbo jam *epidemico* accedunt Puſtulæ fere omnigenæ, atque haud rarò Eruptiones *eryſipelatoſæ:* minùs verò premuntur Fauces; Febris quippe jam magis ad exteriora tendit. Die ſexto, aut ſeptimo, Cuticula aſpera fit & rupta, velut aſperſa craſſiore Farinâ; idque quo magis eo melius; tandem tota penè deſquamatur: ex Pedibus ſæpe tantis Portionibus ut Soleam quaſi detractam referant hæ Morbi Exuviæ. Hic equidem lætiſſimus eſt Morbi Exitus: ubi verò *Exanthemata* tardè admodùm & parciùs erumpunt, erupta verò liveſcunt, maximæ Anxietates, Languores, Deliquia ſequuntur; pauloque ſæpè pòſt Vomitus, aut *Diarrhœa,* enormis, quæ Ægros non rarò celeriter rapit.

Hæc Febris, ut omnes fere quas Puſtulæ comitantur, contagioſa eſt: plures namque eâ correpti in eâdem ſæpe Domo decumbunt.—— Quod verò jam Cutim magis petat quàm ſuperiore Menſe, ob majorem Aëris Calorem eſſe arbitror, Humores elicientem extrà: medio enim Maio cùm *Atmoſphæra,* pro Anni Tempore, erat maximè frigida, Dolor ac Faucium Tumor urgebant graviſſimè.

Eadem omninò medendi Methodus juvat uſque; nunc porrò *Mercurialia,* ſine ſtimulis ſalinis præparata, aptiſſimè adjecta ſunt: quippe quæ in aliis cutaneis Eruptionibus inveniuntur efficacia maximè, quidni & in his utilia ſint? Iſta utique vel in ipſis *Variolis* proſpero ſæpiſſimè Eventu exhibui. Humores enim lentos nimium attenuant, glutinoſa Vaſculorum Repagula expediunt, Saliumque Cohæſiones diffringunt, Succos demum morbidos fluxos reddunt, tandemque abigunt prorſus: dumque Pondere ſolùm & Subtilitate Partium agunt, Sanguinem incendunt minimè.

JULIO.

JULIO.

Prior Julii Pars fuit aprica ſatis, at ſubfrigida, Ventus plerumque à Septentrione; medio menſe Libs intervenit, Pluviâ ruente: tunc iterum Septentrio: à xxv ad xxviii pluvius Vulturnus. Trigeſimo primo, Vento omni momento variante, immenſa Quantitas Pluviæ decidit, Cataractæ ad inſtar; inter Horam octavam matutinam & Meridiem ad Digitum ſaltem integrum, licèt Milliaribus quindecim ad Orientem vix ulla. Aër fuit hoc Menſe valde humidus & Barometrum humile.

Pluvia $\overset{/}{12}$. $\overset{///}{13}$. $\overset{/}{14}$. 16. $\overset{/}{17}$. $\overset{//}{26}$—$\overset{/}{29}$—$\overset{////}{31}$. = 2.982. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 5. 29,8. N 1.
——— minim. 26. 28,9. S E 3. } media 29,4$\frac{10}{31}$.

Dies frigid. 3. 38. N 1.
— calid. 24. 24. Malacia. } media Therm. Altitud. 30$\frac{2}{31}$.

Febres intermittentes adhuc: Tuſſes frequentes inter Adultos, *convulſivæ* inter Pueros. Magnæ undique de Spirituum Languoribus Querelæ.—Quamplurimæ Aviculæ, dum Plumas exuunt, moriuntur.

Furit etiamnum Febris *epidemica* inexplicabili quodam Angore quoſdam, vel intra ſex ſæpe Dies, perimens. Hos leve primò corripuit Delirium, quod utique pejoris fuit ominis, quàm ſi, more Bacchantium, aperto exarſerant Furore. Nil perinde tunc profuit ac Sanguinis Detractio Cucurbitulis ſcarificatis, Humeris Cervicibuſque admotis; pòſt *Clyſmata* laxantia, aut mitiora *Cathartica*; frequentia porrò *Veſicatoria*, Cruribus præcipuè.

AUGUSTO.

Suda Tempeſtas Initio, medio autem Auguſto permulta Pluvia, eoque quidem exeunte nimia. Libanotus frequens, iſque ad Finem maximè furens, *Barometrum* valdè depreſſit, Aëremque reddidit humidiſſimum: maximæ fuerunt Rorationes Menſis Principio, Aquilone ſpirante. Auſter turbineus Nocte inter ix & x Diem *Mercurium* præcipitavit, plurimùm graviſſimamquePluviam; Maris autem Æſtum extulit maximè.

Pluvia

Pluvia 9. 10. 12. 13. 14. 16. 17. 19. 23. 25. 26. 28. 29. 30. 31. = 4.022. Dig. Dec.

Procella 9. Nocte. S S E 4—28. Nocte. S W 4x—29. Nocte. S W 4x. cum Fulgure & Tonitru.

☿ Altitud. maxim. 3. 29,8. N 1. } media 29. $3\frac{27}{31}$.
——— minim. 10. 28,7. S S W 3x.

Dies frigid. 31. 42. S W 3. } media Therm. Altit. $30\frac{26}{31}$.
— calid. 7. 24. N b W 1.

Febris *epidemica* plures adhuc premit, ingenti ſæpe cum Vomitu & *Diarrhœâ*: *Ophthalmiæ* paſſim; Scabies valde frequens. *Variolæ* jam graſſari incipiunt, ac Febres lentæ *nervoſæ*.

Plurimæ Aviculæ canentes pereunt: perrarò auditur ſtridula Cicada.——Æſtas fuit magis denique pluvioſa ſolito: Omnia nunc Loca Aquâ & Limo plena ſunt.

SEPTEMBRI.

Toto fere Septembri Ventus ex Occidente ſpiravit, ad Septentrionem verò majori ex Parte deflectens, qui *Barometri Mercurium* exaltavit: manet uſque tamen *Atmoſphæra* madida & paulo frigidior.

Pluvia 1. 2. 3. 8. 17. 20. 21. 22—24. 27. 28. 30. = 1.752. Dig. Dec.

Parva *AB*. 9. H. 10. N N W 1. Procella 21. p. m. S W—24. nocte. W S W 4x.

Vehemens Grando 22. W N W 2. Magna Pruina 26. N b E 1.

☿ Altitud. maxim. 17. 30,0. Malacia. } media 29.$6\frac{3}{27}$.
——— minim. 1. 29,0. W 2.

Dies frigid. 26. 54. N b E 1. } media Therm. Altit. $41\frac{10}{27}$.
— tepid. 1. 36. ———

Jam evaneſcit fere Febris *epidemica*, nec multum augetur *Variolarum* Numerus. Choleræ, Febres *nervoſæ*, *miliares*, intermittentes, paſſim.

OCTOBRI.

Initio Africus nimboſus multam demiſit Pluviam; quarto Die ſæviit Vulturnus; à decimo quinto ad viceſimum tertium perflavit Aquilo, & *Mer-*

& *Mercurium* erexit plurimum; ſub Finem Corus: Aër frigidus eſt ac humidus.

Pluvia 1.'' 2.''' 3.'' 4.'' 5. 7—10. 11.''' 12.'' 13.' 15.' 19. 21. 23. 26. 28. 29. = 3.154. Dig. Dec.

Fulgur & Tonitru cum Grandine 2. p. m. Grando 7. 8. Fulgur & Tonitru 12. p. m. permagni Maris Æſtus à 1 ad 4 Diem.

☿ Altitud. maxim. 22. 30,3.	E N E 1.'	} media $29.5\frac{26}{30}$.	
——— minim. 4. 28,8.	S E b E. 3^x.		
Dies frigid. 19. 64.	N N E 2.	} media Therm. Altitud. 51.	
— tepid. 1. 43.	S W 4x.		

Variolæ jam factæ ſunt *epidemicæ*. Morbi Colici à *Pomaceo* novello frequentiſſimi. *Catarrhi* & Faucium Tumores haud rari; imò quædam adhuc Reliquiæ Febris *epidemicæ* ſparſim notantur. Febris *nervoſa* & *miliaris* paſſim.

NOVEMBRI.

A primo Novembris, Diem ad uſque viceſimum, Ventus inter Orientem & Septentrionem conſtitit, qui & paulo ſicciorem reddidit *Atmoſphæram*, multoque magis frigidam, *Baroſcopium* verò extulit maximè: inter Diem autem autem xxi & xxiv, fremente Africo, permulta Pluvia decidit, corruente admodùm *Mercurio*; at brevi Aquilo redux reſtituit Rem.

Pluvia 1. 4.' 7.'' 10. 21. 22.'''' 23.''' 24.' 29. = 2.068. Dig. Dec.

Gelu, idque ſubinde rigidum, hoc Menſe frequens.

☿ Altitud. maxim. 27. 30,4.	N N E 1.	} media $29.8\frac{24}{29}$.	
——— minim. 23. 28,8.	S W 3.		
Dies frigid. 27. 68.	N N E 1.	} media Therm. Altit. $58\frac{21}{29}$.	
— tepid. 2. 52.	Malacia.		

Variolæ & Morbi colici valde *epidemici*: Apoplexiæ plures: Colica bilioſa paſſim.

DECEMBRI.

Pluvia, procelloſa, horrida, Tempeſtas hunc finivit Annum. Vix unus & alter Dies ſine Pluviâ toto Decembri; Libs vehemens perfurebat ſæpiſſimè, gravi ſubinde cum Pluviâ: inde *Barometrum* erat frequenter * mirè depreſſum. Jam magnæ ſunt Inundationes undique. Aër fuit maximè humidus, Gelu rariſſimum, etſi *Atmoſphæra* fuit valde frigida ſæpe.

Pluvia 1—$\overset{\prime\prime\prime\prime}{4}$—$\overset{\prime\prime}{6}$. 7. $\overset{\prime\prime}{9}$. $\overset{\prime\prime}{10}$—$\overset{\prime}{12}$—$\overset{\prime\prime\prime}{14}$. $\overset{\prime}{15}$—$\overset{\prime\prime}{17}$. 18. 20—$\overset{\prime}{23}$. $\overset{\prime\prime}{24}$. $\overset{\prime\prime}{26}$—$\overset{\prime\prime}{28}$. $\overset{\prime\prime\prime\prime}{29}$. $\overset{\prime}{31}$ = Dig. Dec. 6.192.

Procella 1 S W—10 p. m. S W b S 4—14 à primo mane S W 4^x—26. W N W.—27 W 4_x—29. W S W 4.

☿ Altitud. maxim. 25. 30,0. N W b W 1.	} media $29.3\frac{9}{31}$.	
——— minim. 14.*28,2. S W 4^x.		
Dies frigid. 22. 64. N N E 1. Gelu.	} media Therm. Altit. $58\frac{4}{31}$.	
— tepid. 1. 52. W S W 2.		

Variolæ valde *epidemicæ* & ſæpè mortiferæ; Colice jam non adeò frequens. *Rheumatiſmi* multi Febres putridæ & *petechiales* paſſim.

Maxima fuit Pluviæ Quantitas hoc Anno, nempe = Digit. Decim. 37.114.

CON-

CONSTITUTIO

AËRIS, &c.

ANNO MDCCXXXV.

JANUARIO.

QUAMVIS *Baroſcopium* fuerat ſublime valdè Initio Januarii, Ventuſque arctoüs; id tamen procelloſa Tempeſtas, à ſexto ad decimum quartum ferè perpetua, ac ſubinde graviſſima, ad ultimum penè Gradum deturbavit: quod autem poſteà, à Die ſcilicet viceſimo ad Finem uſque, ad ſummum fermè erexit Aquilo. *Atmoſphæra* fuit frigida & ſæpe humida valde: ſub Menſis finem rigidum Gelu.

Pluvia 2. 5. $\overset{\prime\prime}{6}$. $\overset{\prime\prime}{7}$. 8. $\overset{\prime\prime\prime}{10}$. $\overset{\prime}{11}$—$\overset{\prime\prime}{13}$. $\overset{\prime}{14}$. $\overset{\prime\prime}{18}$. 19. 22. Nix 9.
Dig. Dec.
11. = 2.526.

Procella 6 nocte. S W 4_x—graviſſima 8. S W 4^x circa Meridiem *Mercurium* depreſſit ad 28,3 :—vehemens 10 nocte S S E 4^x. ☿ 28,4; violenta duravit Procella ad Horam octavam matutinam Diei undecimi; *Barometer* verò ſubſedit ad 28,1 : raro Mercurium *Baroſcopium* infra hunc gradum notavi!

☿ Altitud. maxim. 4. 30,5. N b W 1.
——— minim. 11. 28,1. S 4^x. } media $29.6.\frac{24}{30}$.

Dies frigid. 25. 70. N 1.
— tepid. 6. 54. S W 3. } media Therm. Altit. $59\frac{29}{30}$.

Variolæ ſunt maximè *epidemicæ*, quædam valde malignæ; utpote quibus non raro accedunt *Hæmorrhagiæ* ex omnibus fere Corporis meatibus, & (A) *Petechiæ* lividæ & nigræ. Vix unum vidi his correptum Affectibus ſervatum: nam in tantâ Peſtilentiâ Sanguinis *Craſis* diſſolvitur penitùs, & maximè putreſcunt Humores; imò Cruor,

emiſſus, putris inſtar Saniei, diffluit; nec, ut ſolito, in Frigore coagulatur.

Colicus Morbus cum Doloribus ſævis *rheumaticis*, & *Pareſi* nonnunquam Brachiorum Manuumque, à *Pomaceo* novello, frequens adhuc. Multæ Tuſſes ſub Finem Menſis: *Ophthalmiæ*, Febres *miliares* & *eryſipelatoſæ* paſſim.

FEBRUARIO.

Sublimem retinuit Stationem *Mercurius* ad Diem uſque decimum ſextum, Septentrione afflante, aut Vulturno: ſub Finem madidus Notus *Baroſcopium* demiſit. Sudum haud rarò eluxit hoc Menſe; Gelu affuit rariùs.

Dig. Dec.

Pluvia 8. 14. $\overset{''}{\overline{17}}$. 18. 22. $\overset{'''}{\overline{23}}$—$\overset{'''}{\overline{26}}$. 27. = 1.978.

Procella 26 nocte. S S W 4_x.

☿ Altitud. maxim.	2.	30,5.	N N E 1.		media $29{,}7\frac{10}{25}$.
——— minim.	27.	29,0.	S S W 3^x		
Dies frigid.	21.	66.	E N E 1.	rigidum Gelu.	media Therm.
— tepid.	9.	52.	Malacia.	—— ——	Altitud. $57\frac{18}{25}$.

Pleuritides & Peripneumoniæ frequentes, at Rure maximè: *Variolæ epidemicæ* adhuc, ſed non ita peſtiferæ.

Jam in Popellum ingruit Febris quædam contagioſa, Puſtulis ſæpè & *Petechiis* comitata: Merx admodùm infelix! Claſſe, ut credere par eſt, advecta; quippe quæ diu antè inter Nautas apud *Portum-magnum* commorantes ſævierat, multoſque dederat Letho: de hâc plura Menſe ſequente.

MARTIO.

Varia fuit Tempeſtas Menſe Martio, varia quoque *Barometri* Statio, nunc alta nempe, nunc valde depreſſa. Libs Initio, à ſexto ad decimum ſeptimum Vulturnus, tunc Aquilo, pòſt Caurus: *Atmoſphæra* erat frigida ſatis, at paulo humidior.

Dig. Dec.

Pluvia 1. 2. $\overset{''}{\overline{4}}$. $\overset{'}{\overline{5}}$. 14. $\overset{''}{\overline{15}}$. $\overset{''}{\overline{16}}$. $\overset{'}{\overline{23}}$—$\overset{'}{\overline{25}}$. 28. 30. $\overset{'}{\overline{31}}$. = 2.234.

Maxi-

Maximus Maris Æſtus 15 mane S b E 3^{x}. Gelu à xx ad xxiii.

☿ Altitud. maxim.	21.	30,0.	N E 2.	media $29 \cdot 3\frac{29}{30}$.
——— minim.	16.	28,7.	S S E 3.	
Dies frigid	20.	64.	N b E 2.	media Therm. Altitud. $54\frac{4}{30}$.
— tepid.	15.	50.	S b E 3.	

Variolæ hactenus *epidemicæ:* Pleuritis & Peripneumonia paſſim: Apoplexiæ quædam.

Nunc maximè diſpergitur Contagium *epidemicum* in Plebeculam maximè——Quibus Febris hæc contigit, primò levi quaſi Horrore, ac univerſâ penè Laſſitudine, correpti ſunt; mox Nauſeâ & vertiginoſo Capitis Dolore: haud vehemens tamen inſecuta Febris eſt, nec immodica Sitis, quamvis media Lingua ſcabra fuit & fuſca, imò ſæpè arida valde, utroque verò à Latere Muco oblita ſubflavo. Interim de Dolore Gutturis, haud rarò ſtrangulante fere, & de teneris Oculis, Lumina refugientibus, multæ Querelæ. Urina plerumque χριμνώδεες erant aut tenues, paucæ, luridæ, vapidæ inſtar *Cereviſiæ:* quæ quidem omnibus in Febribus ſunt peſſimæ Notæ!

Hæc fermè per Quatriduum, quo aut vigiles omninò decubuêre, aut ne ſentientibus quidem breviſſimus & maximè interruptus obrepſit Somnus. Jam Surditas, Deſipientia, Suſpirium frequens, immanis Præcordiorum Oppreſſio, Manuum Tendinumque Tremor & Subſultus accedebant: attamen de Valetudine rogati vix querebantur quicquam, adeò invaluerat Torpor.

Diem circiter ſextum, nunc citiùs, nunc tardiùs, *Petechiæ* rubræ, purpureæ, lividæ, nigræ, imò Vibices quaſi, ſæpe apparuerunt. Mali admodùm Ominis hæc *Exanthemata!* eoque pejoris, quo magis ad Nigritiem ſpectabant. Frequenter porrò videbantur innumeræ Maculæ minutiſſimæ fuſci Coloris, Cutis Lenticulas aut Pulicum Morſus adumbrantes, ſed paulo magis atræ: quas utique haud minùs eſſe lethales obſervavi quàm ipſas nigerrimas.——In hoc Rerum Statu, aut Sopor perpetuus urgebat, aut Furor cœcus: imò ſæpe haud erat aſſidentibus, etiamſi robuſtis, facile Ægros continere, ne è Lectulis

exi-

exilirent, tanquam aliò abituri: quo quidem Symptomate vix aliud magis tunc funeſtum memini.

Triſtia dum hæc agebantur, Sudor profuſus, viſcidus, olidus, aut fœtidiſſima, livida, *Diarrhœa* miſeros colliquabat Ægrotos. Lingua porrò nigra, aridiſſima, Vox Faucibus hærens, Singultus, *Spaſmi,* Pulſus formicans, aut coacervatus, Livor Manuum, ac ſæpè ipſorum etiam Cubitorum, atræ Mortis certiſſima inſtabant Prænuncia: Die undecimo, aut decimo quarto plerumque, multo citiùs nonnunquam. Tanta fuit, tamque cita, Putrefactio Cadaverum, ut ea ſepelire fuerit neceſſe prorsùs aliquando vel intra Horas viginti quatuor.

Dira quidem hæc & acerba maximè! erant autem plurimi, quibus Sors melior, Die ſcilicet quarto, aut quinto, benignum dedit morbi exitum; Eruptione nempe Puſtularum rubrarum, *miliarium,* atque blandi per totum Corpus Sudoris.——Multi diu morbo conflictati, innumeras tandem habuêre Puſtulas *miliares,* limpidas, ſæpe ſalutiferas: pluribus autem erat periculoſæ plenum opus Aleæ.

APRILI.

A Die ſecundo Aprilis ad decimum ſpiravit Eurus; pòſt varius Ventus variaque admodùm Tempeſtas, at pro Anni Tempore frigida & humida.

Pluvia 1. $\overset{\prime}{\overline{8}}$. $\overset{\prime}{\overline{9}}$. 10. $\overset{\prime}{\overline{14}}$—16. $\overset{\prime}{\overline{18}}$. $\overset{\prime}{\overline{20}}$. 22. 24. $\overset{\prime\prime}{\overline{27}}$. $\overset{\prime\prime\prime\prime}{\overline{29}}$. = Dig. Dec. 2.252.

Ventus vehemens 22 primâ Luce. W N W. Nox procelloſa 26. S 4.

☿ Altitud. maxim. 16. 29,9. E S E 2.
——— minim. 10. 28,8. S E 2. } media $29.5\frac{10}{29}$.

Dies frigid. 7. 54. E b S 2.
— tepid. 25. 42. W N W 1. } media Therm. Altitud. $46\frac{20}{29}$.

Auctus jam Variolarum Numerus eſt; atque modò Febris *anginoſa miliaris,* quæ verno Tempore elapſi Anni fuit hic *epidemica,* vicinam infeſtat Regionem.——Febris contagioſa, maligna, ſævit jam magis quàm antehàc unquam. Raró nunc adeſt ſtrangulans Faucium Dolor,

paucæque nunc erumpunt Puſtulæ; at Loco earum *Petechiæ* fuſcæ, purpureæ, nigræ, ac nimis frequenter lividæ Vibices, atro ſemper Carbone notandæ!——plurimi moriuntur.

MAIO.

Boreas afflavit, aut Corus, à primo ad viceſimum quartum Maii, pòſt Vulturnus; Tempeſtas fuit valdè frigida ac nubila. Maximæ Pruinæ à duodecimo ad decimum quartum.

Pluvia 1. 11. 12. $\overline{15}$. 17. 20. 22. $\overline{23}$. 24. 26. $\overline{30}$. 31. = 1.646 Dig. Dec.

(marks over 15: //, over 23: ///, over 30: //)

Grando Vehemens 23. Fulgur & Tonitru 30.

☿ Altitud. maxim.	19.	30,1.	N W 1.	} media $29.6.\frac{12}{31}$.
——— minim.	16.	29,1.	S E 2.	

Dies frigid.	14.	54.	N W 1.	} media Therm. Altitud. $43\frac{6}{31}$.
— tepid.	31.	36.	S S E 1.	

Multi Apoplexiâ corripiuntur: *Variolæ* adhuc. Febris contagioſa plurimos perdidit; optima ſæpè ſprevit Conſilia: ſequens tamen Methodus permultos ſervavit.

Ipſo quidem Morbi Initio Venæ Sectio profuit, rarò pòſt unquam; imò temerariâ ſuſcepta Manu ſæpe obfuit maximè. Si tamen poſt Sanguinis Miſſionem *Cephalalgia* & Vertigo urgebant uſque, fuit futile admodùm Cucurbitulis ſcarificatis, Humeris Cervicibuſque admotis, Sanguinem detrahere: quod quoque Vomitionem, pòſt excitandam, reddidit tutiorem. Cruorem vix unquam notavi valde glutinoſum, Serum plerumque verò viride erat, haud rarò rubellum; quod infauſtum ſemper! quibus enim id contigit, *Petechias* nigerrimas, aut Vibices habuêre certo certiùs cum Phrenitide perpetuâ, aut gravi Comate.

Continua fere Nauſea, ac frequens, bilioſus, Vomitus lene ſemper poſcebant *Emeticum*, quo & Ventriculi Colluvies ejiceretur & præcautum foret contra peſtiferam *Diarrhœam*, quæ aliter Morbi Statu, aut paulò pòſt, ſemper evenit: nam ubi Ventriculi Saburra, diutiùs morando,

morando, acrior fit aſſiduè; tandem per Inteſtina deſcendens, iſta utique torquet maximè.

Nullo non Tempore Morbi *Epiſpaſtica,* alia ſcilicet aliis ſuccedentia, neceſſaria fuerunt omninò; lenia porrò deſiderabant *Cardiaca,* eaque repetita frequenter, Languor continuus & collabentes aſſiduè Vires: quæ & Sudores etiam maturos, criticoſque ſæpè, movebant, aut Puſtulas expellebant. Ad hæc promovenda Confect. Raleigh. Theriac. Andromach. Lap. Contrayerv. Rad. Serpent. Virg. aliquando Sal. C. C. &, quibus non fuit ingrata admodùm, non uno ſolùm Nomine laudanda, Camphora (quæ nempe Opio feliciùs arceſſebat Somnum, ac Delirium compeſcebat magis) aptiſſima fuere Remedia. ——Imò, quod multò minore Pompâ paratur, Vinum rubrum *uſtulatum* (quod dicitur) Cinnamomo & Maci incoctis cum Aquæ pauxillo, haud minùs efficax ad Vires ſuſtinendas inveni, quàm celeberrima *Alexipharmaca*; non in hoc tantum Morbo, ſed & in omni Febre lentâ & *nervoſâ,* potiſſimùm cum colliquante Sudore, vel immodico Alvi Fluxu declinante. Didici hinc tandem, quod aſtringentia Aromatica mitiora *Craſin* Sanguinis firmando, Fibraſque Vaſculorum corroborando, vera fuere hujus exeuntis ſaltem, Morbi *Alexiteria*; fortaſſe & Antidota fuiſſent.——Ipſi etiam Veteres Antidotis & *Alexipharmacis* immiſcebant ſemper aſtringentia quædam Medicamenta, ut paſſim apud eos videre eſt.

Ad eum adeò Finem, optato demùm cum Succeſſu, poſt ſummum Morbi Incrementum, exhibui aliquam ex Cortice Peruviano Medicinam cum *Alexipharmacis* idoneis & Elixire Vitrioli Mynſichti acidulatam; nec otioſè intereà expectans Sedimentum Urinæ laudabile, & (quod dicitur) lateritium: modò ſcilicet vel minimam Morbi Remiſſionem obſervâſſem.—Si in ſingulari Gangrænâ valeat Quinquina, quidni in univerſâ Humorum Corruptione? *Exanthemata* nigra, Vibices & citiſſimæ Cadaverum Putrefactio, *gangrænoſam* utique Sanguinis *Diatheſin* ſignificabant.

In

In longis equidem Febribus nihil magis neceſſe eſt, quàm Solida inter & Fluida Æquilibrium conſervare debitum. Nihil ad id ſanè facit efficacius, quàm, diluente Liquore, Sanguinem fovere aſſiduè, ac Vim Fibrarum confirmare Medicamentis appoſitis; donec Natura, his Auxiliis Morbi Victrix, lætâ Criſi eum expellere poſſit: nam ut Febris ardens Fræna ſemper poſcit, lenta ſæpiſſimè indiget Calcaribus. ——Profectò nunquam non Arte molienda Criſis eſt, cùm nil ultrà aſſequi valeat Natura.——Febribus ideò tardè admodùm decreſcentibus, lenia *Cathartica* ſæpè ex Uſu ſunt maximè, *Cardiacis* interim aſſumptis: In hâc ſanè, de quâ agitur ſuprà, cum vix alia profecerint, Rhabarbarum exhibitum quotidie valuit plurimum; vinum uſtulatum interim affatim ſorbendo: hoc Modo enim putris expurgata fuit Colluvies, & Viribus intereà conſultum eſt optimè.

JUNIO.

Caurus hoc Menſe ſpiravit ſæpiſſimè, hiſcebat etiam ſubinde Libs: Vulturnus à decimo nono ad vigeſimum ſecundum. Aër erat plerumque valde frigidus, craſſus & humidus.

Pluvia 1. 3. 4. $\overline{11}$ ('''). 15. 16—$\overline{18}$ (''). $\overline{19}$ ('). 20.—22. 25. 26. 28.
Dig. Dec.
= 1.936.

☿ Altitud. maxim.	5.	29,9.	N W 1.	media $29.5\frac{7}{29}$.
——— minim.	18.	29,1.	S W 3.	
Dies frigid.	2.	44.	N W 1.	media Therm. Altit. $36\frac{6}{29}$.
— tepid.	14.	34.	Malacia.	

Variolæ, & Febres intermittentes, haud infrequentes. Febris *miliaris* rubra cum enormi Vomitu & Alvi Fluxu Rure graſſatur uſque. Morbus contagioſus modo ſub Finem Menſis miteſcit paululum.

JULIO.

Aër fuit humidus maximè & frigidus toto Julio, Ventus ab Occidente plerumque & Plagis auſtralibus, Eurus aliquando: Tempeſtas utique fuit nubila, pluvia, infauſta admodùm, Hyemi magis quàm

Æſtati ſimilis. Omnes Fructus ὡϱαῖοι acerbi ſunt & immaturi. Vix audis Cicadam, rari volitant Papiliones: Plurimæ Aviculæ canentes inter Plumas exuendas intereunt.

Pluvia 1—$\overset{///}{3}$. $\overset{/}{6}$. 7. 10. $\overset{//}{11}$. 12. $\overset{///}{14}$. $\overset{//}{15}$. 16. $\overset{/}{19}$. 21. 22. $\overset{///}{25}$—27. 30 = 3.536. Dig. Dec.

Procella 11. nocte. W b S. Tonitru 30. p. m. Coruſcationes nocte.

☿ Altitud. maxim. 28. 29,7. S E 1. }
——— minim. 16. 28,9. S W 3. } media 29.4.$\frac{4}{30}$.

Dies frigid. 19. 42. S S W 2. }
— tepid. 30. 30. W 1. } media Therm. Altitud. 34.$\frac{28}{30}$.

Febris *epidemica* contagioſa hic imminuta eſt valde, at ſævit adhuc in Viciniâ: Multi *Variolis* uſque laborant; (B) Pſora frequens.

AUGUSTO.

A Die ſecundo Auguſti decimum tertium aduſque Ventus perpetuus ab Oriente ſpiravit, pulchra intereà calidaque Tempeſtas eluxit, poſteà miſera, procelloſa & horrida ſecuta eſt; nunquam memini *Atmoſphæram* ita humidam fuiſſe hoc Anni Tempore: Omnia fere Loca Aquâ exundant & Limo.——Plures Aviculæ canentes moriuntur: Apes exanimatæ parum mellificant. Folia Arborum æquè ſunt decidua jam ac ſi exiiſſet Autumnus.

Pluvia 1. 2. $\overset{///}{14}$. 18. $\overset{//}{19}$. $\overset{///}{21}$. $\overset{//}{22}$. $\overset{//}{23}$. 25.—$\overset{//}{29}$. 31. = 2.906. Dig. Dec.

Maximæ Rorationes, durante Apricitate, Menſis Initio.

Magna *AB*. 20. N W 1. Procella 22. p. m. S W—vehemens 23. Nocte. S S W.

☿ Altitud. maxim. 12. 29,9. E 1. }
——— minim. 22. 20,2. S W 4. } media 29.6.

Dies frigid. 27. 42. W N W 1. }
— calid. 13. 26. E 1. } media Therm. Altit. 32$\frac{6}{29}$.

Fatales etiamnum Reliquiæ paſſim Febres malignæ: *Variolæ* adhuc: Scabies & Pſora frequens, Choleræ ac *Diarrhϧææ* plurimæ. Permulti, gravi

gravi quaſi Tempeſtate perculſi, inerte quâdam Socordiâ torpent.—Plures Canes rabidi diſcurrunt.

SEPTEMBRI.

Nubilus fuit, madidus & frigidus, hic Menſis; Caurus afflavit ſæpè, Libs aliquando, Eurus frequenter, ſub Finem præcipuè: Boreas viii, ix, x.

Pluvia 1. 3. 6. 7. $\overline{11}^{\prime}$. $\overline{12}^{\prime}$—$\overline{14}^{\prime}$—$\overline{16}^{\prime\prime\prime}$. $\overline{17}^{\prime}$. 18. 20. 22. 24. $\overline{26}^{\prime}$. 28. 29 = 1.918. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim.	23. 29,9.	E 1.	} media 29.6.$\frac{7}{30}$.	
——— minim.	11. 29,2.	W N W 1.		
Dies frigid.	28. 64.	S E 1.	} media Therm. Altit. 36$\frac{14}{30}$.	
— tepid.	3. 30.	N W 1.		

Febres *petechiales* ſparſæ adhuc: *Variolæ* frequentes: *Diarrhœa* & Cholera multos infeſtant: Tuſſes plurimæ ad Finem Menſis.

OCTOBRI.

Venit ab Oriente Ventus ferè conſtans per totum Octobrem, Initio & Fine ad Septentrionem inclinans: unde Aër tenuis factus eſt, at paulo frigidior: medio autem ad Auſtrum.

Pluvia $\overline{7}^{\prime\prime}$. $\overline{8}^{\prime\prime}$—10. 12. $\overline{14}^{\prime\prime}$. $\overline{26}^{\prime\prime\prime}$. $\overline{27}^{\prime\prime\prime}$. = 2.756. Dig. Dec.

Levis *AB*. 3. Malacia—4. E. 1—12. N 1. Gelu & maxima Pruina 30. E N E 1.

☿ Altitud. maxim.	30. 30,1.	E N E 1.	} media 29.6$\frac{17}{30}$.	
——— minim.	9. 29,1.	W N W 1.		
Dies frigid.	30. 64.		} media Therm. Altitud. 47$\frac{22}{30}$.	
— tepid.	26. 40.	S S E 2.		

Multæ Febres lentæ, ac intermittentes, paſſim. Aliqui hoc Menſe, ſubito quaſi Aſthmate correpti, in Tumores Pedum & Abdominis, hydropicos velut, inciderunt, ex quibus nonnulli brevi ſunt mortui.—Multi Canes Rabie perciti.

NOVEMBRI.

Sequitur November pluvius admodùm & procelloſus, ſub Finem præcipuè: turbidus Auſter prævaluit maximè, craſſamque fecit *Atmoſphæram* ac humidam valde.—Exeunte Menſe permagnæ Inundationes undique.

Pluvia 4. $\overset{//}{5}$—$\overset{//}{7}$. $\overset{/}{9}$. 10. $\overset{/}{13}$. $\overset{/}{14}$. $\overset{//}{15}$—$\overset{///}{17}$—$\overset{//}{19}$. $\overset{//}{21}$—$\overset{//}{23}$—$\overset{///}{25}$. $\overset{///}{26}$. $\overset{//}{27}$—29 = 4.922. Dig. Dec.

Procella 9 ab Hora x. a. m. ad 2. p. m. S W 4^x—23. totâ Die S W.—26 Nocte S 4_x—27. S 4^x.—Maximi Maris Æſtus 27, quamvis Luna jam erat in *Quadraturâ*; altiores etiam quàm ſi Interlunium fuiſſet, aut Plenilunium. Tonitru vehemens 24 Noctu.

☿ Altitud. maxim.	11.	30,0.	N W 1.	media $29.4\frac{14}{30}$.
——— minim.	27.	28,4.	S 4^x.	
Dies frigid.	1.	58.	Malacia.	media Therm. Altitud. $49\frac{16}{30}$.
— tepid.	19.	44.	S S W 2.	

Cephalalgiæ, Vertigines, Inſultus epileptici, Tumores Faucium & Parotidum frequentes: *dyſpnoica* Pectoris Gravitas haud paucos premit. * Febres lentæ *nervoſæ* plurimæ.—Multi Canes rabioſi circumcurſant.

DECEMBRI.

Vix unquam *Atmoſphæram* memini ita humidam fuiſſe, ac erat toto Decembri; etſi Subſolanus perflabat ſæpiſſimè: fateor equidem quòd madidus Notus intervenit frequenter, ac Pluviæ haud parum demiſit.

Pluvia $\overset{/}{1}$. 4. $\overset{/}{5}$. $\overset{//}{6}$. 7. 9. 17. 19. $\overset{//}{24}$. $\overset{//}{25}$. $\overset{//}{28}$. 30. $\overset{///}{31}$. = 2.364. Dig. Dec.

Gelu rigidum 12. 66. E b N 1—13. 64. E 1—16. E 1—23. 64. E 1.

* *Vidê Diſſertationem de Febre lentâ nervoſâ, apud Finem.*

Pro-

Procella 24 Nocte. S b E—27. S W b W 4. Maximi Maris Æſtus 21. 22. E S E 2—permagni 24. 25. 26. Auſtro furente.

☿ Altitudo maxima 21. 30,0. E b S 2. } media $29.6\frac{6}{27}$.
——— minima 28. 29,0. S W b W 3^x. }

Dies frigid. 12. 66. E b N 1. } media Therm. Altitud. $54\frac{8}{27}$.
— tepid. 1. 46. W b S 2. }

Tuſſes, Colli Fauciumque Tumores, Raucedines, levi ſæpè cum Febriculâ, ſunt valde frequentes. Febres putridæ *nervoſæ* paſſim.

Dig. Dec.
Summa Pluviæ hoc (C) Anno eſt = 30.974.

Notationes quædam.

(A) Hæ Maculæ oriri videntur ab infractis, aut diſſolutis, Sanguinis Globulis, *Arteriolas ſeroſas* intrantibus; dumque ibi hærent, *Petechias* formant, aut Vibices: velut in Contuſionibus Sanguis ruber in Vaſa iniqua urgetur, & Cutim reddit diſcolorem.——Peſtiferæ ſemper ſunt, quòd Cruorem putridum eſſe, aut maximè ſolutum, denotant: imò adeò ſæpe diſſolvitur Sanguis, ut profuſæ ſubſequantur *Hæmorrhagiæ.* Quòd quidem *Scorbuticis* quoque accidit crebrò, cùm ne vel minima Febris Signa adſint, etſi totus fere Corporis Habitus innumeris violaceis Maculis inficitur; qui tamen mox, ac ne quidem tale quid ſomniantes, funeſto ſæpe Sanguinis Fluxu corripiuntur: iſte tamen Cruor nunquam, more ſolito, concreſcit.——Hos certe *Scorbuticos* auſtera acida, opportunè data, adjuvant maximè, ut haud raró notavi.——In talibus ideò *Variolis,* & aliis maculoſis Febribus, valeant plurimum—Miſſio Sanguinis utique obeſſe magis, quàm prodeſſe, videtur.

(B) Eſtne peculiaris aliqua *Atmoſphæræ* Conſtitutio ad Eruptiones cuticulares gignendas apta? utique per idem fere Tempus, quo *Variolæ,* aut puſtuloſæ Febres, graſſantur, *Exanthemata* quoque omnigena, ut Papulæ, Scabies, Eryſipelas, *&c.* infeſtare ſolent, ut obſervatur ſæpiſſimè: imò dudum, & vulgò noverint vel Mulierculæ,

quod

quod *Morbilli*, aut *Rubeolæ*, *Variolas* plerumque præcurrunt. Nonne adeò deſumendum ſit hinc Monitum *prophylacticum?*——Forte lenia *Mercurialia,* quæ in aliis Cutis Morbis tantum valent, tempeſtivè aſſumpta, aut *Variolis* ſint Antidota, aut morbum ſaltem faciant leviorem: idque potiſſimùm cùm & Vermiculos enecent, qui junioribus præcipuè adeò infeſti ſunt, & tam diras ſæpe (unà ſævientibus *Variolis*) movent Tragœdias.—Hæreo tamen ne forſè Sanguinem quorundam diſſolvant nimiùm, & ad *Hæmorrhagias* diſponant fatales: hoc autem ex facili præcaveri poteſt Corticem Peruvianum, aut tale quid, exhibendo ſimul.

(C) Annis maximè pluvioſis hic debet annumerari, ob Frequentiam ſaltem, ſi non ob Pluviæ Quantitatem: nam continua fere decidit, quanquam raro admodùm gravis. Imbres utique vehementes Aërem faciunt ſicciorem, quatenus Vapores per *Atmoſphæram* congeſtos deturbant; hinc poſt eos plerumque Aër purus valde & liquidus apparet, & multo majorem ejus ſiccitatem *Hygroſcopia* indicant: denſa autem, & nebuloſa quaſi Pluvia, omnia humectat maximè. ——Vix unquàm ſanè memini *Atmoſphæram* magis fuiſſe humidam & craſſam, quàm hoc & elapſo Anno: Hyems fuit tepida nimis, Æſtas perfrigida; utraque infauſta ſemper & Pluviæ ferax, ac nunquàm non Morbis abundans.——Ex quo ſanè tam udas habuimus Tempeſtates, Febres putridæ, lentæ, *nervoſæ*, ac intermittentes omnigenæ, per has Regiones graſſatæ ſunt maximè; etiam in hoc Oppido & per Viciniam, cùm tamen Annis abhinc viginti veras intermittentes rariſſimè viderim. Imò bene memini Milites plurimos, emeritos, ad Arcem noſtram olim tranſvectos ab Oris Icenis & Portumagno, pertinaci admodùm Quartanâ tantum non confectos penitùs; qui tamen hìc, à ſolâ Benignitate Cœli, convaluere protinùs.

CONSTI-

CONSTITUTIO AËRIS, &c.

ANNO MDCCXXXVI.

JANUARIO.

TRISTI ſub Aſpectu Annus exoritur: dum enim *madidis Notus involat Alis*, perpetuæ fere ruunt Pluviæ. Pauciſſimi ſanè fuere Dies aprici toto Januario: *Atmoſphæra* verò quàm maximè humida & craſſa; exeunte Menſe algida. Gelu raro admodùm, Diluvia ſæpe.

Pluvia $\overset{\prime\prime}{1}$. $\overset{\prime}{2}$. $\overset{\prime\prime}{3}$. 4. 6. 8—$\overset{\prime}{10}$. $\overset{\prime\prime}{11}$. $\overset{\prime\prime}{12}$—$\overset{\prime\prime}{14}$—$\overset{\prime\prime\prime}{16}$—$\overset{\prime\prime}{18}$. $\overset{\prime}{19}$. 21—$\overset{\prime\prime}{23}$. $\overset{\prime\prime}{24}$. $\overset{\prime\prime}{25}$—$\overset{\prime\prime}{28}$. 36. 31 = Dig. Dec. 5.070.

Grando 2. 13. 20. 26. Fulgur & Tonitru cum Pluviâ graviſſimâ 16. Veſperi.

Gelu 16. N N W 1—22. N N W 1. Procella 25. Veſpere. S S W.

☿ Altitud. maxim.	6.	29,8.	W N W 2.	media 29,2$\frac{27}{30}$.
——— minim.	25.	28,7.	S S W 4.	
Dies frigid.	22.	66.	N N W 1.	media Therm. Altitud. 56$\frac{16}{30}$.
— tepid.	4.	50.	S b W 2.	

Multi Tuſſi vexantur, Fauciumque & Parotidum Tumore. Apoplexia & *Paraplegia* paſſim: Prurigo & Puſtulæ frequentes.

FEBRUARIO.

Quamvis Initio Februarii Tempeſtas fuit nimboſa valde, mox tamen ſucceſſit Apricitas aliqua, ac Frigus acre, flante plerumque Vento aquilonali, qui Aërem ſiccabat plurimùm, & omnia ſæpe rigido conſtrixit Gelu. Principio Menſis Inundationes permagnæ; poſt etiam *ſatis Terris Nivis atque Grandinis miſit Pater*.

Pluvia 1. 2. 3. 5. 7. 8. 9. 14. 26. Nix 16. 17. N N W 1—19. S S E 1.—20. E 3—23. N N W 3—24. N N W. 1. Grando 2. W N W 2—19. 21. 24—26. E S E 2—28 N N W 1. = Dig. Dec. 3.082.

Leves *AB*. 7. E S E 1—19. E b S 1—magna *AB*. 6. H. 8. p. m. N 1. Radii coruſcantes vibrantur vel ab ipſo Auſtro, Corona lucida magis vergit ad Orientem quàm vidiſſem antehac unquam.

Magnus erat hìc Maris Æſtus Die 16. N N W 3, at minimè inundans ut apud Londinenſes, Icenos, Cantianos atque Belgarum Oras, ubi quàm maximus fuit.

☿ Altitud. maxim. 29. 30,0. N b E 2.
——— minim. 22. 28,5. W S W 2x. } media 29.3$\frac{10}{26}$.

Dies frigid. 13. 72. N N E 1.
— tepid. 2. 56. W N W 2. } media Therm. Altitud. 60$\frac{6}{20}$.

Tuſſes & *Catarrhi* levi ſæpe cum Febriculâ permulti; Anginæ, Pleuritides & Peripneumoniæ haud raræ: Juniores quamplurimos Perniones vexant maximè.

MARTIO.

Frigida Tempeſtas ad Diem uſque decimum Martii, pòſt autem multo tepidior evaſit: Spiravit Eurus hoc Menſe ſæpiſſimè, & pulchra non raro affulſit Apricitas cum Aëre puro ſiccoque.

Pluvia 1. 6—8. 11. 19. 21—23. 27. 29. Nix 3. E 3—8. N W 1. = Dig. Dec. 2.138.

☿ Altitud. maxim. 1. 30,0. E b N 2.
——— minim. 22. 28,8. S S E 2. } media 29.4$\frac{13}{31}$.

Dies frigid. 7. 66. N W 1. rigid. Gelu & maxima Pruina.
— tepid. 27. 45. S S E 2. media Therm. Altitud. 51$\frac{8}{31}$.

Perniones ulceroſi moleſtiſſimi frequenter: Peripneumoniæ paſſim, præcipuè verò nothæ.

APRILI.

A P R I L I.

Eurus afflavit ſæpè, Boreas nonnunquam, Caurus frequenter, hoc Menſe; quod *Barometrum,* diu depreſſum, reſurgere fecit, Nubeſque abegit: à decimo quinto tamen ad viceſimum quintum Pluvia frequens.

Pluvia 1, $\overset{\prime}{15}$—$\overset{\prime\prime}{18}$—$\overset{\prime}{21}$. 22. $\overset{\prime\prime}{25}$. Grando 15. = 1.340. Dig. Dec.

Pruina maxima 11. 12. Maximæ Rorationes ad Finem.

☿ Altitud. maxim. 3. 30,1. E 1.
——— minim. 25. 29,3. W S W 1. } media $29.7\frac{1}{2}$.

Dies frigid. 11. 58. N 1.
— tepid. 29. 32. Malacia. } media Therm. Altit. $43\frac{25}{30}$.

Pleuritides & Peripneumoniæ frequentes; Anginæ & *Opththalmiæ* paſſim.

M A I O.

Perflavit Eurus plerumque durante Maio, iſque ſæpè velox, ac deprimens *Mercurium baroſcopicum,* Aquilone tamen, aut Coro, nonnunquam intercurrente. Ineunte Menſe Frigora pro Anni Tempore haud exigua, pòſt verò Aër tepidus ſæpe & tenuis.

Pluvia $\overset{\prime\prime\prime}{2}$. 4. 5. $\overset{\prime\prime}{9}$. 11. $\overset{\prime\prime\prime}{12}$. 15. 16. $\overset{\prime\prime\prime}{22}$. 23. $\overset{\prime}{27}$. = 2.536. Dig. Dec.

Ventus vehemens 21. p. m. E S E. Magnus Halo circa Lunam 9. H. 10. p. m. E 2—permagnus igneus Halo 11. H. 10. p. m. S E 3.

☿ Altitud. maxim. 19. 29,8. E S E 2.
——— minim. 12. 29,1. S E 3. } media 29.5.

Dies frigid. 3. 52. N N W 1, Frigus inſolitum! } media Therm.
— tepid. 31. 27. N N W 1. ——— ——— } Altit. $39\frac{10}{31}$.

Pleuritides & Peripneumoniæ ſparſim: Eruptio Puſtularum rubrarum urentium plures moleſtat. Tempeſtas infeſta tabidis.

J U N I O.

Per Initia Junii Aër valdè craſſus fuit & humidus; tenuis pòſt, ac fervidus ſæpe, Finem aduſque, ferè Menſis, maximo decidente Rore:

dum incerto admodùm Curſu ſpiravit Ventus; Eurus ſæpe, Boreas haud raro, Caurus quoque interfuit frequenter, Libs Initio.

Pluvia $\overset{/}{3}$. 4. 6. $\overset{/}{13}$. 14. 23. $\overset{//}{27}$. $\overset{/}{29}$. $\overset{///}{30}$ = 1.614. Dig. Dec.

Fulgur & Tonitru 29. Nocte. S E 2—è longinquo 23—28. p. m.

☿ Altitud. maxim. 18. 29,9. N N E 1.
——— minim. 27. 29,3. E S E 2. } med. Barom. Alt. $29.6\frac{3}{30}$.

Dies frigid. 6. 38. W N W 1.
— fervid. 11. 20. N N E 1_x. } media Therm. Altitud. $26\frac{6}{30}$.

Febres tertianæ, ſemitertianæ, & quotidianæ, paſſim; *Ophthalmiæ* frequentes: Phthiſici colliquantur maximè. Aliquæ Pleuritides & Peripneumoniæ incipiente Menſe: *pſoricæ* Eruptiones plurimæ.—— Innumeri Aſili Armenta moleſtiſſimè infeſtant.

JULIO.

Varius fuit hoc Menſe Ventus, & Malacia frequens, Caurus verò ſudo exiſtente Cœlo, ac fervido, cum Rore maximo. Immenſa Vis Pluviæ decidit Die ſecundo & octavo, flante Vulturno; decimo autem, eodem perflante Vento, quantum vix unquam per idem Temporis Spatium: ab Hora enim iſtius Diei tertiâ pomeridianâ ad quintam matutinam undecimi Pluvia fuit 1.686. Dig. Dec.

Pluvia 1. $\overset{////}{2}$. 3. $\overset{////}{8}$. $\overset{////}{10}$—$\overset{//}{12}$—14. $\overset{//}{19}$. 25. 28 = 4.870. Dig. Dec.

Procella 2 Nocte. S E. Fulgura Noctu 13.

☿ Altitud. maxima 16. 29,9. Malacia.
——— minima 11. 29,1. S S E 2^x. } media $29.5\frac{9}{31}$.

Dies frigid. 4. 40. N 2.
— fervid. 29. 18. W N W 1. } media Therm. Altitud. $27.\frac{10}{31}$.

Febres intermittentes & *miliares* aliquæ mali admodùm moris, Ruri præcipuè: *Variolæ* hic *ſporadicæ*: Choleræ, *Diarrhœæ*, ac * *Dyſenteriæ* etiam, undique valde frequentes ſunt.

* *Vid.* Degner *de Dyſenter. p.* ix.

AUGUSTO.

AUGUSTO.

Ineunte Auguſto Aër fuit craſſus & valde calidus, medio Menſe multo frigidior, flante Cauro; cæterùm Ventus erat inconſtans maximè: ſub Finem Ros plurimus decidit, ac rediêre Calores.

Pluvia 1. $\overset{''}{\overline{4}}$. 6. 7. 8. $\overset{'}{\overline{12}}$—$\overset{''}{\overline{14}}$. $\overset{''}{\overline{15}}$. 17. $\overset{'}{\overline{26}}$. $\overset{'}{\overline{28}}$. 31. = 1.834. Dig. Dec.

Nox procelloſa valde 13. S W b W 4. Fulgura 20 Noctu. Magni Maris Æſtus 26. 27. S S E 2[x].

Die 25. W 1. inter Horam nonam veſpertinam & undecimam Zona quædam anguſta, at lucida valde, ad imo Occidente ad ſummum Orientem uſque extenſa, magnæ Iridis inſtar effulſit, ſtupente Populo. *AB*. 29. N 1.

☿ Altitud. maxim. 18. 29,8. N W b N 1.
——— minim. 26. 29,1. S S W 2. } media 29.4.$\frac{17}{30}$.

Dies frigid. 16. 42. W N W 1.
— fervid. 3. 19. W S W 1. } media Therm. Altit. 27$\frac{7}{30}$.

Febres *miliares*, malignæ, frequentes, in Cornubiâ præſertim. Choleræ, *Diarrhœæ*, *Dyſenteriæ* eæque aliquando cruentæ, frequentiſſimæ. Mellificant Apes optimè; plurimæ Cicadæ & Veſpæ. Optimum undique Frumentum.

SEPTEMBRI.

Flavit plerumque Corus Menſe Septembri, Initio & ſub Finem Pluvia: altam fere tenuit Stationem *Barometer*: Aër majore ex Parte craſſus.

Pluvia 1. 3. $\overset{'}{\overline{4}}$. $\overset{''}{\overline{6}}$. 8. 10. 13. 15. $\overset{'}{\overline{22}}$—$\overset{'}{\overline{24}}$. 26—29 = 1.512. Dig. Dec.

Leves *AB*. 26. 27. H. 9. N W 1. Maximus Halo circa Lunam 12. H. 11.

☿ Altitud. maxim. 21.30,0. N N E ♌
——— minim. 30.29,3. S W b S 3. } media 29.7.

Dies frigid. 18. 50, maxima Pruina N N W 1.
— calid. 7. 29, S W 1. ——— ——— } media Therm. Altit. 36$\frac{20}{29}$.

Choleræ, *Diarrhœæ*, *Dyſenteriæ*, adhuc valde frequentes, Febre nonnunquam comitante.

Plurimæ Febres *miliares*, *ſcarlatinæ*, puſtuloſæ; aliquæ porrò lentæ, *nervoſæ:* ſæpè cum Glandularum Parotidum Fauciumque Tumore, ac profuſis ſemper Sudoribus: Auſtralibus in Oris Devoniæ & Cornubiæ præſertim.

OCTOBRI.

Ineunte & exeunte Octobri immenſæ Pluviæ Copia decidit, dum Libs ſæpe fremuit vehementer; à duodecimo autem ad vigeſimum primum ne minima Pluvia, Euro flante, aut Aquilone: ad Finem Menſis Aër erat valde craſſus & humidus.

	////	/		//	//	///	///		//	//	//	///	//	///
Pluvia	1.—	3.	6.	7—	9.	10.	11.	22.	23.—	26.	27—	29.	30.	31.

Dig. Dec.
= 6.534.

Procella 1. multo Mane. S b W—7. S W—9. Mane. S W b W 4x. ab Horâ autem primâ ejus Diei pomeridianâ ad tertiam uſque Corus vehementiſſimus, quaſi Circius Gallicus omnia deturbans, perfremuit, velociſſimè cadente *Mercurio*.—Maximus Halo ſubluteus circa Lunam 6. H. 8. W 1. *AB*. 27. H. 8. W N W 3. mediâ autem Nocte Grando gravis & Fulgura.

☿ Altitud.	maxim.	21.	30,1.	N N E 1.	media $29.4\frac{1}{3}$.
———	minim.	9.	28,4.	N W 4x.	
Dies frigid.		21.	54.	N N E 1.	media Therm. Altitud. $42\frac{12}{30}$.
———		16.	36.	E S E 1.	

Febres lentæ, *nervoſæ*, *miliares*, haud paucæ, cum Sudoribus profuſis: Choleræ ac *Dyſenteriæ* adhuc paſſim; præcipuè Menſis Initio: Sub Finem Tuſſes *ferinæ* inter Pueros.

Morbus peſtilens Boves conſumit plures & Porcos in Auſtrali Devoniâ.

NOVEMBRI.

Altum plerumque tenuit Gradum *Barometer* hoc Menſe: Ventus ab Oriente ſæpe ſpiravit, ſæpe & à Septentrione. Aër fuit non rarò valde humidus & gelidus ſæpe: Initio Glacies, ad Finem Gelu maximæque Pruinæ.

Pluvia

/ /// / Dig. Dec.
Pluvia 1. 6. 7. 9. 11. 12. 16. 18. 21. 24. 25. 28. = 1.150.

Procella Veſperi. 24. S W b W, & totâ fere Nocte Grando multa 7.

AB. levis, 7. N E 1—major 8. H. 10. N N E 1. magna variegata 13. H. 7. N W 1.

☿ Altitud. maxim. 5. 30,3. E N E 1. ——— minim. 25. 28,8. W 2. } media 29.8$\frac{2}{29}$.

Dies frigid. 27. 65. E N E 1. — tepid. 22. 44. W N W 1. } media Therm. Altitud. 58$\frac{25}{29}$.

Dyſenteriæ adhuc: Tuſſis *convulſiva* paſſim. Innumeri fere Tuſſi, Coryzâ, Tumoribus Colli ac Faciei, corripiuntur; haud pauci Anginâ. Plurimi Morbo *rheumatico* vexantur.

DECEMBRI.

Perſtat uſque *Mercurius* altam tenere Stationem, etſi medio Menſe Libs furens iſtum deturbavit plurimamque demiſit Pluviam, *Atmoſphæram* verò fecit humidiſſimam. Sanè ab Exitu Octobris, ad hoc uſque Tempus, Aër immensâ Vaporum Copiâ abundavit, quæ, partim ſaltem, *Mercurium* ſuſtinuit. Septentrio Gelu nonnunquam produxit, idque ſub Finem Menſis rigidum.

/ / / // / // //// /// /// /// ///
Pluvia 2. 3. 4. 5. 10—13. 14. 15—17. 18—20. 22. 25. 27.
/ Dig. Dec.
28. 31 = 5.026.

Fulgur & Tonitru cum vehemente Grandine 6. primo Mane. W N W 4$_x$.

Procella 17. Nocte. W S W—20 bene Mane. S W b W.

☿ Altitud. maxim. 24. 30,4. N 1. ——— minim. 20. 29,1. S W b W 4. } media 29.7$\frac{10}{29}$.

Dies frigid. 25. 70. N 1. — tepid. 14. 48. S W 3. } media Therm. Altit. 55$\frac{20}{29}$.

Diarrhææ & *Dyſenteriæ* adhuc; *Rheumatiſmus* frequens & Icterus: maximæ Querelæ de languido Virium Statu undique.——Tumores Faucium, Glandularum, Parotidum, ac Maxillarum; Tuſſes, Deſtil-

lationes,

lationes, Coryzæ, Raucedines, levi non raròcomitante Febriculâ, per omnes undique. Plures vel in iiſdem Ædibus ſimul & ſemel corripiuntur; evanuêre verò hæc omnia facillimè, modò ſe in lectulo paululùm continerent, & multâ tepidâ Potione Sudores elicerent.

Dig. Dec.
Tota Pluviæ Quantitas Anno MDCCXXXVI. = 36.706.

CONSTITUTIO

CONSTITUTIO AËRIS, &c.

ANNO MDCCXXXVII.

JANUARIO.

ATMOSPHÆRA, innumeris adhuc gravata Vaporibus, *Mercurium Barometricum* ſuſtinet uſque ad Stationem ſanè præaltam, Cauro plerumque ſpirante. Aër intereà æquè humidus eſſe perſtat, ac ſi afflaret madidiſſimus Auſter; irruit quidem medio Menſe Libs, durans tamen parumper: à viceſimo primo ad viceſimum quintum Gelu.

Pluvia 2. 7. 12—14. $\overset{/}{\overline{16}}$. $\overset{///}{\overline{17}}$. 26. 27. 29. $\overset{/}{\overline{30}}$. Nix 24. Grando $\overset{/}{\overline{28}}$. = 1.588.

Halo Circa Lunam magnus omni Nocte à 27 ad Finem.

☿ Altitud. maxim.	19.	36,6.	N 1.	media $30.1\frac{6}{30}$.
——— minim.	17.	29,6.	SW 2.	
Dies frigid.	25.	70.	Malacia.	media Therm. Altit. $55\frac{9}{30}$.
— tepid.	1.	48.	W 1.	

Febricula *catarrhalis* innumeros etiamnum infeſtat, prout Menſe Decembri; imò & jam quamplurimi Equi eodem penè Morbo affici videntur, quorum certè pereunt plures. Haud parcè quoque graſſantur Pleuritides ac Peripneumoniæ, nothæ præcipuè; nec infrequens eſt Icterus.

FEBRUARIO.

Ventus occidentalis hoc Menſe prævaluit, ad Septentrionem ſæpe, ad Auſtrum verò flectens ſæpiùs; Aquilo nonnunquam, aliquando Vulturnus, interfuit: humidus permanſit Aër, at ſubſedit *Barometer*.

3 Pluvia

Pluvia $\overset{///}{1}$. $\overset{//}{3}$. $\overset{///}{6}$. 8. 11. $\overset{//}{13}$. 14. $\overset{/}{15}$. $\overset{///}{16}$. 17. $\overset{//}{18}$. 19. $\overset{//}{21}$. $\overset{/}{24}$.
Grando 25. 26 = 3.488. Dig. Dec.

Maxima Pruina & Gelu 5. 6. 8. 9. Procella, Fulgur & Tonitru 17. Nocte. W b N. Maximus Halo circa Lunam 27. 28.

☿ Altitud. maxim. 9. 30,2. N b E 1. ⎫ media $29.7\frac{10}{27}$.
——— minim. 16. 29,2. S W 3^{x}. ⎭

Dies frigid. 2. 66. N 1. ⎫ media Therm. Altit. $55\frac{3}{27}$.
— tepid. 23. 49. S W b W 2. ⎭

Multi *Rheumatiſmo* & Anginâ laborant, plurimi adhuc Morbo *catarrhali* pulmonario. *Variolæ* hîc *ſporadicæ*, multis in Locis *epidemicæ*. Tuſſis *anginoſa* durat uſque inter Equos.

MARTIO.

Principio & Fine Martii Eurus afflavit, aut Boreas, medio autem plerumque Corus: Aër evaſit tenuis magis & ſiccus ad Finem præcipuè; delapſis ſcilicet jam Vaporibus.

Pluvia $\overset{///}{7}$. $\overset{/}{8}$. $\overset{/}{10}$. 11. $\overset{//}{13}$. $\overset{//}{14}$. 15. $\overset{/}{16}$—$\overset{//}{18}$. $\overset{///}{19}$. $\overset{/}{20}$. $\overset{//}{21}$. $\overset{//}{22}$. $\overset{///}{30}$.
Dig. Dec.
31 = 4.328.

Levis *AB*. 7. W N W 1—18. N W b W 3. Procella 18. a. m. S 4^{x}.

☿ Altitud. maxima 6. 30,1. N N E 1. ⎫ media $29.5\frac{19}{30}$.
——— minima 14. 28,8. W b N 3^{x}. ⎭

Dies frigid. 6. 64. rigidum Gelu. ⎫ media Therm. Altitud. $52\frac{2}{3}$.
— tepid. 31. 46. S E 1. ——— ⎭

Pleuritides, ac Peripneumoniæ, & veræ & nothæ, haud raræ: *Rheumatiſmus*, Iſchias diu admodùm vexans, & ſævæ Arthritides, multos cruciant.——Tuſſes plùrimæ cum Gutturis Dolore ad Finem Menſis.

APRILI.

Ab Initio Menſis ad Diem decimum octavum Ventus ex Oriente perflavit, à viceſimo Libs, aut Argeſtes: ineunte Aprili Aër fuit valde frigidus, medio ſiccus admodùm, & exinde tepidior.

Pluvia

Pluvia 1. 2. 4. 8. 9. 19. 21. 22. 23. 26. 28. gravis Grando 24. = 3.058. (Dig. Dec.)

Procella 2. E S E 4—13. totâ Die. E 4ˣ.

☿ Altitud. maxim. 12. 30,0. N E 1ˣ. } media $29.6\frac{4}{28}$.
——— minim. 23. 29,0. S S E 3.

Dies frigid. 6. 58. E 1. } media Therm. Altitud. $43\frac{11}{28}$.
— tepid. 30. 32. E 2

Multi Apoplexiâ, Paralyſi & Vertigine correpti ſunt; aliqui Pleuritide & Peripneumoniâ. *Variolæ* paſſim: Aſthma valde frequens, medio Menſe præſertim.——Tuſſes, Coryzæ, Tumores Colli ac Faciei undique.—Crebræ Tuſſes *convulſivæ* inter Pueros in auſtralibus Damnoniæ Oris.

M A I O.

Recurrens jam ad Orientem Ventus per totum ferè Menſem ſpiravit, ad Auſtrum flectens ſæpe, ad Septentrionem verò ſæpiùs magiſque. Tempeſtas fuit per Initia (ſi Diem unum, alterumve, excipias) tepida ſatis; pòſt verò fervidiſſima ſucceſſit. Rorationes maximè Agros Hortoſque fovebant aſſiduè durante Tempore fervido, alioquin omnia fere fuiſſent aduſta.

Pluvia 8. 9. 13. 15. 27. = 0332. (Dig. Dec.)

Fulgur & Tonitru hìc 27 p. m. S W b W. 2. Fulgur & Tonitru ad Septentrionem, prope Alpes Damnonienſes, & in occidentali Parte Cornubiæ, cum graviſſimâ Pluviâ 24. 25. 26, nulla hìc.

☿ Altitud. maxim. 16. 30,0. N E 1. } media $29.5\frac{11}{30}$.
——— minim. 22. 29,2. E S E 2.

Dies frigid. 10. 52. N 2, inſolitum Frigus! } media Therm.
— fervid. 25. 15. Malacia. } Altit. $29\frac{16}{30}$.

Febres *miliares* compoſitæ (commiſtæ nempe cum Puſtulis limpidis Papulæ rubræ) hîc paſſim, valde frequentes in occiduâ Cornubiâ. Initio Menſis plures Morbis Capitis correpti, ac Pectoris. Multi *Hæmorrhagiis* immodicis laborant; quarum Cauſa haud dubia fuit enormis admodùm Aëris Mutatio: medio enim Menſe penè horruimus Frigore, ſub Finem arſimus Æſtu.

JUNIO.

Priorem Junii Partem Aquilo frequens ſiccam quidem reddidit, at frigidam valde; calida verò poſterior evaſit, Cauro plerumque ſpirante. Aër per totum fere Menſem fuit tenuis admodùm, plurimæ verò & maximæ cecidêre Rorationes.—Terra, Solis Ardore percalefacta, quamplurimos emittit Vapores, qui, nocturno condenſati Frigore, Herbas Graminaque grato fovent Humore: niſi totos fere, dum exhalantur, Ventus rapidus ſecum verrat per Auras. Ideò cùm aut nullus ſit Ventus, aut lenis admodùm, Ros plurimus videtur, dum fortis adſit diſſipatur protinùs; æquè tamen exhalante Terrâ Vapores.

Pluvia $\overset{/}{4}$. $\overset{//}{5}$. $\overset{/}{14}$. $\overset{/}{17}$. $\overset{//}{18}$. 23. 25. = 1.066 Dig. Dec. Tonitru a. m. 25. N W 1.

☿ Altitud. maxim. 7. 30,0. N 1.
——— minim. 5. 29,2. E N E 1. } media 29.6$\frac{12}{30}$.

Dies frigid. 15. 42. N N W 1.
— fervid. 22. 19. Malacia. } media Therm. Altitud. 27$\frac{26}{30}$.

Procedente Menſe Febres *rheumaticæ* & Coryzæ plurimæ; *Diarrhœa* frequens admodùm. Tuſſes *convulſivæ* inter Pueros paſſim. *Variolæ* in Viciniâ, jam verò hìc nullæ.

JULIO.

Æſtuoſus ſubſequitur Julius, craſſum tamen congerit Aërem creber ex Auſtro & Occidente Ventus, ſub Finem præcipuè. Immenſa Vis Roris decidit Initio. Muſcæ innumeræ moleſtant undique, & Erucæ plurima vorant.

Pluvia 9. 13. 14. 18. $\overset{///}{19}$. $\overset{/}{20}$. $\overset{/}{22}$. 23. 25. $\overset{/}{28}$—31. = 1.320 Dig. Dec.
Tonitru è longinquo 7. 11. Procella 22. S W b S 4_x.

☿ Altitud. maxim. 4. 29,7. S E 1.
——— minim. 22. 29,0. S W b S 4_x. } media 29.4

Dies frigid. 31. 36. N W b W 1^x.
— fervid. 7. 17. W S W 1. } media Therm. Altit. 25$\frac{18}{30}$.

Febres *miliares*, rubræ præcipuè: Peripneumoniæ & Morbi colici paſſim, Tuſſes *convulſivæ* in Auſtrali Devoniâ quamplurimos infeſtant Pueros. *Ophthalmiæ*, & Choleræ haud raræ.

AUGUSTO.

Ineunte & exeunte Auguſto Ventus fuit utplurimùm Septentrionem inter & Occidentem, Libs autem medio interfuit frequenter: *Atmoſphæra* facta eſt craſſa valde & humida, ac multo frigidior.

Pluvia 1. $\overset{////}{2}$. $\overset{///}{3}$. 5. $\overset{//}{6}$. 7. 10. 13. 15. $\overset{//}{19}$. $\overset{//}{20}$. 21. $\overset{/}{23}$. $\overset{//}{25}$. 26.
Dig. Dec.
= 3.848.

Gravis Procella 20, primo Mane. S W b S 4^x. *AB*. 9. H. 10. N W b W 1. maxima *AB*. 10. H. 9. N W 1. Hujus Radii variis erant, atque maximè vividis, diſtincti Coloribus: Corona pulcherrimè rutilans à Zenith noſtro ad Orientem duodecim circiter Gradibus, ad Meridiem quoque declinabat paululùm. Permagna rursùs *AB*. 11. 10. p. m. N W b N 1. Corona erat eodem ipſo Loco, quo heſterna Nocte Coloris Ferri igniti. Levis *AB*. 12. H. 9. W N W 1.

☿ Altitud. maxim. 9. 29,9. N W 1. }
——— minim. 20. 28,8. S W b S 4^x. } media 29.5.

Dies frigid. 4. 44. N N W 1. }
— calid. 17. 27. S S W 2. } media Therm. Altit. $33\frac{27}{29}$.

Tuſſes, *Diarrhœæ* & Choleræ, valde frequentes. Febres lentæ, *nervoſæ* & *miliares* paſſim: *Variolæ ſporadicæ*.

SEPTEMBRI.

Toto hoc Menſe humilem tenuit Stationem *Barometer*, Vulturno plerumque flante, aut Africo. Aër interim redditus eſt humidus valde, & frigidus; nam Septentrio quoque aliquando intercurrebat.

Pluvia 2. $\overset{///}{11}$—$\overset{/}{15}$. 18. $\overset{//}{19}$. $\overset{//}{20}$—$\overset{////}{22}$—24. [26. $\overset{/}{27}$. 28.—$\overset{/}{30}$ =
Dig. Dec.
2.826.

Procella 11. S E b S 4_x—22. S W 4. Fulgur & Tonitru a. m. 20. Maximus Halo circa Lunam 27. S b W 1^x.

☿ Altitud. maxim. 10. 29,9. N N E 1. }
——— minim. 22. 28,5. S W 4. } media $29.3\frac{18}{27}$.

Dies frigid. 30. 46. N N W 1. }
— calid. 6. 28. E S E 1. } media Therm. Altit. $36\frac{8}{27}$.

R 2 *Diarrhœâ*

Diarrhœâ plurimi laborant, aliqui Febribus intermittentibus, *anomalis*; multi Morbo colico & Cholerâ.——Tumores Faucium, Parotides, Coryzæ cum Tuſſi valde frequentes: *Variolæ* ſparſæ. Nec infrequens eſt Icterus, nec *Rheumatiſmus*.

OCTOBRI.

Frequens ab Oriente Ventus, Menſe Octobri, *Baroſcopium* ſubinde erexit; qui porrò, ad Septentrionem deflectens ſæpe, Tempeſtatem, fecit paulo frigidiorem, non raro tamen intercurrente pulchrâ tepidâque Die: Aër autem plerumque humidus fuit & craſſus.

Pluvia $\overset{//}{1}$. 5. $\overset{/}{8}$. 9. $\overset{//}{11}$. $\overset{//}{15}$. $\overset{/}{18}$. 24. 30. = Dig. Dec. 1.556.

Procella 15. Nocte. S W 4_x. Glacies & maxima Pruina 14. 15. N N E 1.

Die 20. H. 7. p. m. vividam Iridem lunarem obſervavi, denſiſſimâ, at tenuiſſimâ, decidente Pluviolâ.

☿ Altitud. maxim. 14. 30,1. N N E 1.
——— minim. 16. 29,0. W b S 2. } media 29.6$\frac{2}{3}$.

Dies frigid. 22. 61. N E 2_x.
— tepid. 3. 43. N b E 1. } media Therm. Altit. 50$\frac{2}{3}\frac{5}{0}$.

(A) Icterus frequens; *Variolæ* paſſim. Dentium Dolores, Tumoreſque Faucium ac Faciei, cum Cruciatibus *rheumaticis* ſæpè, præcipuè Lumborum, plurimos vexant.

NOVEMBRI.

Nunc Boreas, nunc Corus, *Mercurium Barometri* ſuſtinent uſque, maximè per Initia Novembris, Aërem tamen neutiquam deſiccabant: medio quidem Menſe haud parum ſæpe intervenit humidus Auſter.

Pluvia $\overset{//}{12}$—$\overset{/}{14}$—17. $\overset{/}{19}$. $\overset{/}{23}$—25. 26. 28. = Dig. Dec. 1.334.

AB. 1. 10. p. m. E N E 1—7. N W b N 1. Vehemens Ventus 27. p. m. N W b W.

☿ Altitud.

☿ Altitud. maxim. 4. 30,4. E N E 1. } media 29.8$\frac{14}{25}$.
——— minim. 16. 29,1. W 1. }

Dies frigid. 30. 65. N E 1ˣ. } media Therm. Altit. 53$\frac{6}{26}$.
— tepid. 12. 48. S b W 2. }

Per omnia undique Loca inceſſit hoc Menſe Morbus, medio tamen hoc in Oppido potiſſimùm: omnes fere, cujuſcunque fuerint Habitûs, aut Ætatis, corripiens; Modo quidem haud abſimili, quo Febricula *catarrhalis epidemica* Anni MDCCXXXIII, at ſæviore multo.

Magna adfuit Gravedo & Capitis Dolor, Nauſea frequens, Sternutamenta perpetua, Deſtillationes maximæ, ac Tuſſis ſæpiſſimè importuna valde.——Per Initia diſcruciavit multos acerbus Dorſi atque Lumborum Dolor, quod malè plerumque ſignificabat; nam & magna ſimul acceſſit Præcordiorum Oppreſſio & haud modica Febris, ſæpe planè *peripneumonica:* perliquida verò expuerunt, raro coctum aliquid. De his actum eſſet prorsùs, ſi Phrenitis quoque interfuiſſet.——Tanta ſæpe fuit in Fauces Deſtillatio, ut Anginam haud levem faceret: ſæpiùs verò Faciei Tumor, Parotidum, Maxillarum, ſequuta eſt, ac immenſa Pituitæ acris ex Ore Naribuſque Fluxio.——Plurimos acutiſſimus Dentium Dolor torſit, etiam quibus antè fuerant ſaniſſimi: idque perſæpe uno ſolùm à Latere, deſinens accuratiſſimè inter Dentes *inciſores*. Doluit & ſæpe dimidium tantùm Caput, quaſi in *Hemicraniâ* exquiſitâ.

Longè plurimi ſolâ laborabant Febriculâ cum Gravedine infeſtâ, *Catarrho* & moleſtiſſimis Dentium Doloribus, accedente ut plurimùm Tumore Faucium & Aſpredine: Juniores autem, increſcente Morbo, delirabant ſæpe.——Permultos cruciavit Dolor *rheumaticus* vagus, quoſdam *iſchiadicus* vehemens, non raro durans diu: haud paucos errantia Tormina corripuerunt, *Diarrhœâ* ſæpe inſequente *criticâ*. Lingua fuit alba plerumque, raro arida, nec multùm ſitiebant Ægri: Urina turbida fere & ſubrubra. Cruor ſæpe Pleuriticorum ſimilis.

Febris hæc *catarrhalis* plures jam per Hyemes plus, minuſve, graſſata eſt: varias autem induit Formas, pro Ratione variarum Hominum Conſtitutionum. Plures levis ſolùm Febricula tenuit, modico protinùs diſcuſſa Sudore: haud paucos autem Peripneumonia gravis: in

in Genere tamen multo vehementiùs hoc Anno ſæviit, & largiorem Sanguinis Miſſionem poſtulavit.

Omninò mihi pendere videtur à craſſo, udo, gelidoque Aëre, Spiracula Cutis occludente, & acrem intra Corpus Colluviem congerente; nam & præcedit hunc Morbum ſemper, ac comitatur, craſſa admodùm humidaque *Atmoſphæræ* Temperies: nec graſſatur unquam, niſi Menſibus hybernis, & ejuſdem prope Indolis eſſe videtur cum Hyemali Febre *Sydenhamii.*

DECEMBRI.

Varia fuit admodùm hoc Menſe Aëris Temperies, nunc frigida valde, flante Aquilone, nunc longè tepidior, irruente Africo ſæpe, nec infrequenter Vulturno: immenſa Vis Vaporum, per *Atmoſphæram* diffuſa *Barometrum* mirè ſuſtinuit; etſi haud paucæ corruerunt Pluviæ.

Pluvia $\overset{''}{\overline{2}}$. 4—6. $\overset{'''}{\overline{8}}$. $\overset{''}{\overline{12}}$. 14—16. 18—20. $\overset{''}{\overline{22}}$. $\overset{''}{\overline{23}}$. $\overset{'''}{\overline{24}}$. 26. $\overset{'}{\overline{30}}$.
Dig. Dec.
Grando 31. = 2.620.

Procella 18. SSE 4—30. SSW 4_x. Maximæ ſæpe Pruinæ.

☿ Altitud. maxim.	4. 30,3.	NNE 1.		media $29.8\frac{15}{31}$.
——— minim.	8. 29,3.	SW 3_x.		
Dies frigid	29. 73.	NE 1.		media Therm. Altitud. $57\frac{9}{31}$.
— tepid.	24. 49.	SW 2.		

Primâ Veſperâ Diei hujus Menſis quinti Cœlum totum, Nube quaſi tenui obductum, rutilabat maximè, Lumine velut Ignis triumphalis reflexo: haud minorem utique ſpargebat Lucem, quàm vel ipſa plena Luna, Nubibus operta. Perduravit verò mirum hoc *Phænomenon* ad mediam fere Noctem; at longè clariſſimè effulſit inter Horam quintam & ſeptimam veſpertinam: levem ſanè Vulgum haud leviter perterruit; hic triſtia Incendia timens, ille Cœlum deprecans perinde quaſi ſanguineum.——Aër toto fere Die nebuloſus fuerat, ac tepidus, irrorante ſæpe Pluviolâ, præcipuè poſt Meridiem; vix ullus Ventus: Veſperi verò Nebula ingratum mittebat Odorem; imò per Dumeta

Dumeta fortè tunc perequitans, Pluviolæ Guttulis aſperſus, inſuavem admodùm percepi Guſtum, ceu ab ingrato Dulcore.——Longè, latèque, inſolitum hoc Lumen Septentrionales Europæ Partes illuſtravit; apud Kilkenniam verò, in Hiberniâ, Globus quaſi igneus, in Aëre ſuſpenſus, videbatur, eodem Veſperi, per Horam fere, tunc terribili Fragore diſploſus, Flammas diſpergebat undique.

Ad extremum fere Menſis duravit paſſim Morbus *epidemicus*, jam verò evaneſcit: plurimi tamen inde conqueruntur de maximo Virium Languore: Aliqui in Icterum, plures in Phthiſin incidunt; permulti in Arthritidem & *Rheumatiſmum* pertinacem.

Quod ad hujus *Epidemici* Curationem attinet, parum certè diſceſſimus à Methodo, quàm Anno MDCCXXXIII, ſuprà deſcripſimus: atqui in hoc ſanè magis fuit neceſſaria Sanguinis Detractio, imo & nonnunquam repetita juvit, præſertim urgente Febre, ac ſæviente Dorſi, aut Pectoris, Dolore.——At magno certè implicatur Errore quiſquis in Morbis hujuſmodi ab acri nempe Pituitâ productis, æquè liberalem Venæ Sectionem imperat, ac in verâ Pleuritide, aut Peripneumoniâ; quod quidem candidiſſimus notavit dudùm *Sydenhamius*, aliàs utique haud parcus Sanguinis detractor, *Section.* v. *Capit.* v, quem velim ut conſulat Lector.

Poſt Sanguinis Miſſionem frequentia *Epiſpaſtica* admoveri juſſi: ex Ulcuſculis acerrimi Seri Quantitas planè ſtupenda defluxit.

Nihil magis in hoc Morbo profuit, quàm blandus, tepidus, per omnia Membra æqualiter diffuſus, Sudor. Nihil eum ciebat tutiùs quàm Serum Lactis vinoſum dilutius, tenue Decoctum Eryngii, aut tale quid, epotum tepidè: optimo quoque Succeſſu ſubinde dedi Miſturam ex Sale Cornu Cervi, Succo Limonum ſaturato, Aquâ Menthæ, aut Hyſſopi adjectâ. Hæc percommodè movebat Sudores; ſi minùs id quidem, ſaltem Urinam; porrò mollem ſemper præſtabat Alvum: omni utique Modo Colluviem expellit pituitoſam, ac Spiritum reddit expeditiorem, admiſto præcipuè Oxymelite ſcillitico.—Elixir aſthmaticum le Mortii Tuſſis Vehementiam lenibat optimè, & promovebat

etiam

etiam Sudores.——Alvus non ſolùm per totum Morbi Impetum tenera ſervanda erat, ſed & ſub Finem purganda; ne graviora crearent Mala morbidæ Reliquiæ.

Poſt Febrem penitùs abactam, obſtinatiſſimi ſæpe permanebant Dolores *rheumatici*, quos quidem expugnabant benè *Cathartica Mercurialia*. Nihil tamen inveni præſtantius quàm ſequentem Antimonii Præparationem; quæ profectò totam iſtius Mineralis Potentiam continet: eam ideo (ſit Venia Verbo) Antimonii *Eſſentiam* nomino.

Omnes olim intendi Nervos ut ex Stibio Medicamentum aliquod utile expromerem; omnes fere Chemiſtarum & Alchemiſtarum Proceſſus non exploravi ſolùm, ſed & in Ægrotis etiam variis ſæpe probavi; plures ſanè mirabilis agnoſco Virtutis: hoc tamen affirmo ſanctiſſimè, nihil inde melius, nihil tutius, nihil efficacius, deprehendi unquam, quam tritum illum, ac ſimplicem Vitri *antimonialis* Infuſu ex Vino albo generoſo, Aromate aliquo *Stomachico* adjecto. Poſſidet enim, experto crede, poſſidet, totas Antimonii Vires: quippe qui epotus largiter maximas movet Vomitiones, in minutâ tantùm Quantitate, ad Guttas puta viginti, aut triginta, adhibitus Sudores elicit benignos; paulo tamen majore Alvùm ſolvit leniter: quid poteſt aliud majus ulla alia Stibii Præparatio? Quamvis autem tantæ ſit Virtutis Vinum hoc *Antimoniatum*, minutiſſimis tamen Stibii Particulis, prope dixerim *Effluviis* ſolùm imbuitur: quæ, cum ſint inter minima fere Naturæ, auguſtiſſima Corporis Vaſcula permeat facillimè; tantæ verùm Efficaciæ, ut vel magnum Canalem alimentarium ſtimulent potenter, multo magis ideò exiles Corporis Canaliculos: ob ſummam autem Tenuitatem eos minimè lædant.

Hîc ideò Tibi ſiſto, Lector bone! Medicamentum, paratu quidem facillimum, at Viribus maximum: in omnibus enim Vaſculorum Obſtructionibus percommodè exhiberi poteſt, ſeu primas expurgare Vias, ſeu intima Corporis Penetralia detergere velis. Nihil utique ad Sudores excitandos datur aptius, nihil tutius; nam parum admodùm excalefacit: unde in ipſis Febribus, lentis præcipuè & intermittentibus,

bus, adhibetur optimè; nec non in quamplurimis Morbis chronicis, in *Rheumatiſmo* rebelli potiſſimùm.——Id utique ſpondeo, nullas huic deeſſe Vires, quas ulla habet Stibii Præparatio, Strophis utcunque pompoſis venditata, aut improbo confecta Labore.

Tota Pluviæ Quantitas, Anno MDCCXXXVII. = 27.364. Dig. Dec.

Brevis Commentatio de Morbis Ictericis.

(A) In Ictero ſæviore non rarò *Hæmorrhagias* vidi ex omnibus ferè Corporis Meatibus, vix ullis cedentes Remediis; imò haud citiùs uno Loco Fluxum cohibueris quàm eruperit alio. Id in piiſſimâ olim Matronâ, triſti admodùm Exemplo, notavi, quæ icterica, ac febriculoſa, Sanguinem profudit vehementer ex Naribus, Viis urinariis, Utero, Inteſtinis, tandemque cum Sanguine Animam! Etſi *Hæmorrhagiam*, per breve ſaltem Tempus, reſtinximus ſæpè; pro Ratione verò quâ Fluxus ſubſtitit infrà, eo violentiùs è Naribus profluxit.

Multis abhinc Annis Generoſus quidam robuſtus, Poculis meracioribus Spirituique Vini ardenti nimiùm deditus, in gravem incidit Icterum; ex quo tamen ſanus ſatis evaſerit, ſi medicis Præceptis obtemperavit probè. At ille contrà, quòd Gingivæ ſæpè funderent Sanguinem, & Dentes eſſent *Scorbuto* fœdati, Medicaſtro cuidam (ſi Diis placet) ad Dentes ſe commiſit, qui Dentifriciis & Scalpris validè perfricans Dentes atque Gingivas, tantam excitavit *Hæmorrhagiam*, ut eam cohibere, vel valentiſſimis Stypticis, nequirent Chirurgi in Arte bene verſati: ſed innumeris proſiliens Rivulis Sanguis, ſectis quaſi Arteriolis, per omnem undique Gingivam, ſedecim Horarum Spatio Hominem, penè exſanguem, confecit.

Certè nunquam non aliquid ſubeſt Periculi, ubi Morbo arquato vexatis accidit profuſio Sanguinis; denotat enim acerrimum & maximè ſolutum Statum Cruoris: quo quidem in Caſu, Attenuantia, *Aloetica*, *Volatilia* atque *Chalybeata* exhibere, perinde eſt ac Hominem

jugulare; è contrà Acida, diluentia, demulcentia, Aquæ acidulæ & id Genus alia, juvant maximè. Prodeſt ſæpe plurimùm Seminum Cannabis ex Lacte Decoctum, aut Emulſio ex Seminibus Papaveris albi & Amygdalarum dulcium, poſt levem Sanguinis Miſſionem (ſi Febricula urgeat & ferat Pulſus) & Alvi Solutionem debitam. — Sanè haud ſcio, annon modica Venæ Sectio æquè neceſſaria ſit in *Hepatitidie*, ac conſequenter in Obſtructione Hepatis cum febriculosâ Sanguinis *Diatheſi*, atque in Pleuritide, aut Peripneumoniâ: præcavet enim graviora Mala, Inflammationes ſcilicet, Apoſtemata dira, aut Scirrhomata.

Eſt verò alia Icteri Species, & (ut aiunt) toto Cœlo diverſa, quæ, ab inerte & viſcidâ Bile pendens, diverſam omninò poſcit medendi Methodum: hìc enim lentus nimis & craſſus Sanguis glutinoſam valdè, ac vapidam, generat Bilem; quæ tandem Vaſa obſtruit biliaria, adeò ut Hepatis obſtructio Morbi potiùs Effectus ſit quàm Cauſa.——In hoc igitur Caſu *Emetica* primò, *Cathartica* dein *Aloetica* & *Mercurialia* deſiderantur; Attenuantia tunc *ſaponacea*, *tartarea*, *volatilia*, tandemque *Chalybeata*, neceſſaria ſunt: cave tamen ſis ne *Chalybeata* Medicamenta præproperè adhibeas, ante ſcilicet quàm fluxos reddideris Humores; aliter enim, pro Remedio, immedicabilis forſan Hepatis Scirrhus eveniet.

Atqui hìc non poſſum quin laudem maximè *Tartarum regeneratum*, ſeu (ut dicitur) *Terram Tartari foliatam*, ut Remedium diſſolvens maximè, non ſolùm ad Morbum regium aptiſſimum, ſed ad alios etiam quammultos.——Conflatum quippe ex Acido oleoſo ſubtiliſſimo Aceti, & Sale fixo Alcalino, fit Sapo quidam mirabilis & penetrans maximè; qui omnibus quibuſcumque Liquoribus miſcetur promptiſſimè, vel in ipſo *Alcohole* Vini facilè diſſolubilis: hinc omnia gummata, reſinoſa, oleoſa, viſcoſa, ſive Animalia, ſive Vegetabilia, ſolvit optimè; imò Gummi Lac, Succinum, Myrrham, tenaciſſima certe Corpora. Unde lentos nimiùm & glutinoſos Corporis Humores potentiſſimè diſſolvit, & Vaſorum Obſtructiones reſerat maximè. Quamvis autem tantas poſſidet Virtutes, vix ullam habet Acrimoniam: imò, quod mirabere forſan, æquè tutò Pleuriticis, ac ipſis Hydro-

Hydropicis, exhibetur. Eximius ſanè Uſus eſt Medicamentorum, quæ Pondere & Subtilitate craſſos & lentos Humores comminuere poſſunt: longè tamen feliciores edunt Effectus Ope Saponis alicujus detergentis, qui glutinoſum & pingue reſolvat. — Honos ſit Corpuſculo humano! Utriculi ſordidi non æquè terſi & puri redduntur ſolâ Aquâ & Lapillis, aut Globulis plumbeis, conquaſſatis, ac ſi adhibeatur quoque ſmecticum aliquod Lixivium.—Rectè quidem præcedere debet Uſus Saponis alicujus Medicamentorum Exhibitionem, quæ plurimo pollent Momento, ut glutinoſos incidat Humores eoſque εὐρόυς reddat.

Latuit diu Sal hic, ſive Sapo, nobiliſſimus inter Strepitus Fucoſque Alchemiſtarum, reconditâ Farragine Titulorum celatus; utpote *Sapo Sapientium, prima Materia vegetabilis, Sulphur Naturæ vegetabile, Sal harmoniacum vegetabile, Mercurius Naturæ* & Philoſophorum, ut apud Lullium, Pariſinum, Guidonem, *&c.* invenies: recentiores verò cum aptiore Nomine, *Aceto radicato* ſcilicet, & *Terrâ Tartari foliatâ* inſigniebant; ſemel etiam apud Lullium in Apertorio ſuo Terra foliata vocatur.—Hujus autem Compoſitio apud omnes conſiſtit in Admixtione intimâ, ad Saturitatem uſque, Salis Tartari fixiſſimi cum Spiritu Vini philoſophico; at niſi Aceto deſtillato utere, (quod quidem eſt myſticus etiam quaſi Vini Spiritus) nunquam conficies Sal fluens ad Ignem, Ceræ inſtar, in Spiritu Vini rectificato diſſolubile, ac in Modum Talci ſplendens & foliatum: qui tamen apud eos ejus ſunt Characteres.

Sed quid in Sterquilinio Gemmas quæram, cùm apud illuſtrem Boerhaavium in Chemiâ ſuâ, Modus præparandi & Virtutes hujus Salis apertiſſimè traduntur; ſubjiciam verò & ipſe, quòd multo minùs volatilis eſt quàm vulgò æſtimatur: imò eouſque Igni reſiſtit, donec omne ferè Acidum evaporetur tandem, Sale ſolùm alcalino fixo manente.——Ad lenem autem Ignem liquatus pulchriores & ſplendidiores (argenteas quaſi) exhibet Laminas; diminuta tamen aliquantulùm medicatâ Virtute; nempe inde ad igneam Alcali Naturam accedit propiùs, quod tamen mox corrigitur Acidi vegetabilis pauxillo affuſo.

Ad omnes Viſcerum Obſtructiones, & lentos nimiùm Humores, hoc Sal mirandæ planè Virtutis eſſe probavi millies: nam id utique aſſiduè per Annos fere viginti exhibui feliciter. Nèc tantùm ad hæc valet maximè Sal hoc nobiliſſimum, ſed & vel ipſum Lixivium ex Sale Tartari fixo & Aceto acri confectum deterget, reſolvit & aperit potenter: etiam ipſi Veteres, ut * Caius Plinius refert, "Cineres "Sarmentorum ex Aceto biberunt ad Vitia Splenis."——Profectò Lixivium ex Sale Tartari & Aceto penetrantius eſt multo, quàm ex eodem cum Succo Limonum, ob † *Mucilaginis* Copiam, quæ Limonibus ineſt.——Sed ex Aceto acerrimo & Sale Cornu Cervi *volatili* conficitur Lixivium longè penetrantius, in Febre lentâ, ac intermittenti rebelli, pluribus etiam in Morbis ſummæ certè Virtutis.—Hîc porrò dicam in Tranſcurſu, quod Acetum Sali volatili animali, propter Oleum nempe combuſtum fœtidiſſimo, affuſum, cumque eo digeſtum & deſtillatum dein, omnem prorsùs Fœtorem delet, imò gratiſſimum conciliat Odorem. Hoc novit olim immenſæ Eruditionis, &, pro Ævo quo vixit, ſtupendus planè Vir, Rogerus Bacon, dum Spiritum Capillorum rancidum Aceto depurat; nec minùs fortè Lullius in Præparatione Salis Harmoniac. Vegetabilis. Vid. Teſtament. noviſſimum.

Acetum utique plurimi æſtimârunt Veteres: "Nam quamvis re-"frigerandi Vim habet, habet tamen & diſſipandi; hæc ‖ Celſus; "ideoque ‡ Plinius dixit optimè, "Vini Vitium (Acetum ſcilicet) "tranſit in Remedia."—Sed de hoc fortè plus ſatis.

* *Vid. Libri* xxiii. *Procem.*

† —— *infra Tractat. de Morbo Colico*, &c.

‖ *Lib.* v. *cap.* 27.

‡ *Vid. Lib.* xxiii. *ſub Finem.*

Diſsertatio *de Febribus lentis* Nervoſis.

Febris lentæ Mentio paſſim vel apud Celſum occurrit; Febris utique *nervoſa* minùs latinè ſonat: quoniam verò eâ Voce, in iſto Senſu, Medici recentiores utuntur ſæpiſſimè, iſtam retinui; nam ut Geometræ, Muſici, Grammatici etiam, more quodam loquuntur ſuo, quidni & Medicis liceat? Veniam certè dabit, vel maximus dicendi Magiſter, * Tullius.——De Verbo tamen parùm ſolicitus, de Re magis laboro: nam cùm hæc Febrium Species longè frequentior nuperis Annis (apud nos ſaltem) quàm alia quælibet graſſata ſit, Operæ Pretium duxi ſuper hâc pauca diſſerere.

Lenta adeò *nervoſa* Febris lento quodam invadit Greſſu, at firmo nimis: hâc quippe correpti de levi vagoque Horrore, incerto quodam & errante Calore intercurrente ſubinde; de Laſſitudine porrò Membriſque quaſi fatigatis queruntur quidem, dum obambulant interim, oſcitantes tamen & torpidi. Accedunt mox Præcordiorum Oppreſſio, Nauſea, Gravedo Capitis, aſtricta Tempora, aut Vertigo quædam. Pulſus equidem frequens eſt ſemper, at debilis plerumque, ac inordinatus, Calor autem haud inſignis excitatur unquam: at ſæpe, dum Volæ Manuum uruntur, extrema frigeſcunt; dum Caput ardet, algent Pedes. Obrepit indies Malum, jamque loqui, aut moveri, piget, ac, vel inopinantes Lecto affixi, vix quo ſe habent modo exponere valent, aut Sopore nimio detenti, aut Vigiliis mirè anxiis & fere perpetuis. Nihil poſcunt intereà prorsùs, ne vel Potum aliquem. Jam Tendinum Subſultus adeſt, tremunt Manus, tremit Lingua, quæ, Muco ſubalbido obducta, haud multum fere inareſcit, niſi mediâ ſolùm in Parte, ubi fuſca eſt valdè & arida. Tandem & aliena murmurant ſubinde & deſipientia, furens tamen abeſt Inſania. Tenuem plerumque reddunt Urinam, vapidi inſtar Vini, aut Cereviſiæ luridam, aliquando limpidam, haud rarò etiam ſubnigram, ſubinde paulo craſſiorem, inſperſâ quaſi Farinâ. Breves, inæquales & parum conſtantes habent Sudores, ſæpe frigidulos & glutinoſos ſæpe profuſos

* *Cicer. Lib.* iii. *de Finibus, ſub Initium.*

maximè; &, paulo ante Mortem, non rarò gelidos cum Pulſu exili admodùm & formicante. Stragula contrectant interim, & inanes quaſdam Imagines prehendere tentant. Jamque Vox Faucibus hærens, Ungues Digitique lividi, Facies cadaveroſa, perpetua fere ac frigida Suſpiria, certiſſimam inſtare Mortem denunciat.

En hujus Febris dira Facies! quam nervoſam ideò nominârunt, quòd Nervos potiſſimùm afficere videatur; lentam verò, quòd ad Diem viceſimum primum, & ultra ſæpe, perduret.

Peſtifera ſemper eſt, ubi *Aphthæ* nigræ, *Petechiæ* fuſcæ, lividæ, atræ, aut Vibices quaſi, apparent; præſertim ſi accedit Alvus cita, plumbea, nigra, colliquans, aut Sudores oleoſi.——Ubi Puſtulis, Papulis, aut Maculis, Cutim deturpantibus, Febris lenta ſtipatur, contagioſa eſt ut plurimum: cùm verò *Exanthemata* mali ſunt Moris, vulgò audit maligna. Papulæ, rubræ, floridæ, copioſæ, aut plurimæ Puſtulæ *miliares* turgidæ, Statu Morbi erumpentes, bona præſagiunt: præcipuè ſi accedunt Sputa liberalia continua, aut multæ craſſæ ſubſidentes Urinæ. Juvat & tunc Temporis ſæpe lenis *Diarrhœa*; blandus perſæpe juvat, per omnia Membra diffuſus, æqualis tepiduſque Sudor: ſalutaris nonnunquam erumpit Parotis: proſunt non rarò *Aphthæ* albidæ, benignæ. Convaleſcentes frequentiſſimè ſurdeſcunt, ac ſæpe habent Apoſtemata in Meatu Aurium ſalutifera.

Ex Obſervatione Medicorum, cùm Veterum, tum recentiorum, conſtat ſanè, quòd putridæ lentæque Febres graſſantur maximè, cùm humida nimis craſſaque Aëris Temperies perſtat diu: idque potiſſimùm, ſi concurrit etiam Calor inſolitus.——Quàm pluvia fuit, quàm ſqualida Tempeſtas, nuperis Annis nemo non nôrit; & totum Annum 1734 & 1735 inter perpetuas Pluvias & continua quaſi Diluvia contrivimus: nec lætis nos ſolitiſque Radiis luſtravit Sol æſtivus, nec purgavit Aërem hyemale Gelu: depluit Æſtate tota, depluit Hyeme, dum Aër interim, mutatâ quaſi prorsùs Naturâ Rerum, fuit mirè quidem tepidus, at humidus maximè. Hinc lentæ & *nervoſæ* Febres, ac remittentes & intermittentes, fuere frequentiſſimæ: hinc

2 porrò

porrò Loca uliginoſa infeſtant ſemper. Atque illi præcipuè his corripiuntur, qui aut Naturâ, aut Caſu, ſunt imbecilliores aut ex Mœrore magno Vim Animi fractam habent, aut qui pravo & crudo utuntur Victu, quales in Carceribus ſæpe videmus, vel qui Cucumeres & Melones ingurgitare ſolent. Omnes autem hæ Cauſæ Vim Fibrarum enervant, Lentorem inferunt Humoribus, & *Perſpirationem* inhibent maximè.

Atqui Lentor iſte longè differre videtur à Glutine Sanguinis inflammati, quod nimio Motu Humorum & validâ Fibrarum Vi producitur: hoc quippe Craſſamento Sanguinis inhæret, eumque detractum quaſi Corio obtegit; iſte verò Lymphæ ineſt maximè.——Confer Cruorem Pleuriticorum, Rheumaticorum, aut Febre ardente laborantium, cum illorum Sanguine, qui Febre lentâ *nervosâ* correpti ſunt, maximum utique videbis Diſcrimen.—Hic dum emittitur lividus apparet, iſte rutilans, hic frigeſcens parum Craſſamenti habet, multum verò Serum obſcurum & ſæpe turbidum; iſte Craſſamentum plurimum coriaceum, Serum verò minimum.

Maximam ſanè Differentiam Apoplexiam inter ſanguineam & pituitoſam rectiſſimè ponunt Medici: haud minor utique videtur inter Febrem *inflammatoriam* & lentam *nervoſam*.——Prior ſemper habet Circuitum Sanguinis rapidum valde & fortem, magnum hinc Attritum, ac vehementem inde Calorem, Urinam quoque impensè rubram, unde Sanguis tandem condenſatur maximè: ab aucto nàmque Humorum Motu & validâ Vaſculorum Oſcillatione Globuli rubri, ſanguinei, (præcipuæ Partes Sanguinis Calorem foventes) Numero ac Denſitate augentur, ob ſummum Momentum, quo compinguntur Laticis vitalis Principia.——Hæc quoque accidit ſubitò robuſtiſſimis, & graviſſimos ſæpe infligit Dolores; eos verò aut jugulat citò, aut relinquit: porrò viget maximè in ſiccis & ſerenis Tempeſtatibus.

In poſteriore, Morbus lentè admodùm invadit, Vis Solidorum debilitatur maximè, Pulſus adeſt languidus, etſi frequens, nec acris unquam oritur Calor conſiſtens; ſi quis accidit, ſubito ſubinde Frigore excipitur: tenues plerumque & pallidæ Urinæ fractas Naturæ Vires &

inva-

invalidam Humorum Agitationem monſtrant.——In hoc adeò Statu, propter Defectum Motûs idonei Fluidorum, ac Solidorum Inertiam, Globuli Sanguinis rubri diſſolvuntur ex facili.——Ita non dolent hâc Febre correpti, ut torpidi quaſi & inſenſiles jaceant, ne vel acriora *Epiſpaſtica* ſentientes.——Raro ſpargitur hic Morbus, niſi per humidam atque tepidam *Atmoſphæræ* Conſtitutionem, raróque corripiuntur robuſti & alacres.

Sed juvat hæc agitare paulo altiùs, ut videamus quid in Febribus Natura faciat, aut ferat: idque Exemplo Febris intermittentis regularis, cujus Cauſa haud Dubio Sanguinis eſt nimia *Viſciditas*; quæ ingruente Paroxyſmo in Vaſculis capillaribus hæret, atque Horrorem, Rigorem, Artuum Pallorem & Unguium Livorem producit: omnia ſanè Signa haud dubia obſtructi Sanguinis!——Jam ſi Viribus pollet idoneis Natura, Febre ipsâ utitur ad Remedium: nam ſi valida Vis inſit Fibris, & non nimia adſit Tenacitas Humorum, accenditur protinùs Febris, quâ vehementer agitantur brevique comminuuntur craſſi Humores, & ſic apti redduntur ad permeandum minimos Vaſculorum Ramuſculos; ita mox omnis expeditur Obſtructio, ac conſequente Sudore, brevis ſaltem ſequitur Integritas.——Atqui ubi vehemens Vaſorum Impetus maximo propellit Momento viſcidos admodùm, & ægrè cedentes Humores, tantus oritur Attritus atque Calor, ut ardens ſæpe, ac continua, excitetur Febris, aut Inflammationes graves: præcipuè ubi magna quoque adſit Acrimonia, aut præpoſterè exhibentur Medicamenta ſtimulantia, quæ Sanguinis Efferveſcentiam jam nimiam incitant.—E contrà ubi Vis Vitæ, quâcunque de Cauſâ, juſto infirmior, haud ſatis validè protrudit Liquida, hæret uſque ad extrema Vaſorum impactus Lentor, qui auctus indies Circuitum tandem Sanguinis perdit omnino: nam qui à Febre intermittente pereunt, fere ſemper moriuntur dum Rigores & Horrores urgent; ab Impotentiâ ſcilicet Cordis & Vaſorum ſuperandi Reſiſtentiam morbidi Lentoris. His Sanguinem mittere perinde eſt ac ſi trucidentur, illis neceſſarium omninò.—Intelligitur hinc facilè, cur Febris ſæpe Typum mutant, omneſ-

omneſque fere, diu durantes, Naturam tandem induunt Febris *nervoſæ*; nimirum infirmato valde Fibrarum *Elatere*, & conſpiſſatis nimiùm Humoribus.

Ponamus jam Lentorem reſidere ſolùm in *ſeroſis* Arteriolis, quæ puriſſimam Seri Partem, ſub Nomine Lymphæ, aut Succi *nervoſi*, ſecernere debet: debilitatâ concurrente *Syſtaſi* Fibrarum oritur Febris, dicta, lenta, nervoſa. Dum enim in plurimis minimiſque his Tubulis inhæreſcit obſtruens Lentor, plus tenuiſſimi Laticis per patentes reliquos urgetur: (nam ſi omnes omninò obſtructi ſint, Mors inſtaret protinùs) inæquales hinc incertique Pulſus, Calores, Sudores, ſequuntur. Porrò quo diutiùs in *Arteriolis* his contortuplicatus (ſi mavis Glandulis) morantur lenti Humores, eo acriores fiant neceſſe eſt, donec in Liquamen quaſi ſanioſum abeunt: quod dum tandem abſorbet Sanguis, totam id demum ejus contaminat Maſſam. Permulta ſic naſcitur Acrimonia, ob Debilitatem tamen Fibrarum, Nervorumque Torporem, haud rapidus excitatur Sanguinis Curſus, aut vehemens inde Calor, Lentor tamen exin augetur indies.

Sic ſe forſan Res habet: cum ex recitatis ſuprà Cauſis Fibræ Vaſaque Corporis infirmentur, Sanguiniſque retardetur Motus, nec ſubiguntur bene Humores, nec probè miſcentur: unde tandem producitur Lentor, præcipuè in Vaſculis minimis, ubi tenuiſſimi fluere debent Liquores. Naſcitur hinc Obſtructio in Arteriis *ſeroſis*, ultimiſque Cerebri Arteriolis, inde impedita Lymphæ Secretio, ac quod pejus eſt, ſucci *nervoſi* Inopia: deficit hinc Officio nervoſa Propago, at quæ non inde mala?

Qui ſecum reputat quanto ſanè Molimine Cerebrum effecit Natura, haud ibit Inficias Succum nervoſum omninò eſſe neceſſarium *Oeconomiæ* Animali; quo ſine profectò Nervi Vim perdunt prorsùs, & Muſculi proinde ab his pendentes: ut videre eſt potiſſimùm in Muſculis Motibus *involuntariis* inſervientibus, ubi ſive obſtruantur, *Nervi paris vagi* & *intercoſtalis*, ſive in Cerebro horum Origines, reſolvitur illicò omnis fermè Actio vitalis; ac ne vel acerrima meri Animi Contentio, ſeu ut dicitur *Volitio*, ad Motum hunc reſtituendum valet

T Hilum.---

Hilum.——Requiritur ideò ad Motum muſcularem corporeum hoc Medium; at ſeu animat, ſeu irrigat, Nervos, non noſtri eſt hîc dicere: id ſaltem apparet, quod dum ex Lege Naturæ in Nervos Motibus *involuntariis* miniſtrantes influat perpetim, Actio Cordis, Ventriculi, Inteſtinorum, *&c.* rectiſſimè peragitur, ſive vult, ſive non vult, Animus.

Quod verò in Febribus lentis *nervoſis* inſignis adeſt Obſtructio Nervorum liquidò patet; quoniam omnes Corporis Senſus depravantur maximè, vix vident Oculis apertis, perditur Olfactus, perditur Auditus, vix etiam ſapidiſſima guſtant: torpent adeò Membra, ut parum admodùm ſentiſcant vel acerrima *Veſicatoria*, obſtructo nimirum Senſationis Medio.—Subluridus verò Cutis Color, frequentes Rigores, Torpores, extrema ſubfrigida, Ulcuſcula pallida & deſiccantia ſubitò, etiamſi acribus irritata Stimulis, maximum Lentorem, ac impeditum Humorum Curſum, per minutiſſima Corporis Vaſcula denotant.

Præthereà cum parcior fiat Secretio Liquidi nervoſi, Actio Solidorum in contenta Fluida debilitatur, adeò ut hâc quoque de Cauſâ Lentor augeatur indies, unde major fit aſſiduè in Vaſculis *ſeroſis*, ſive *lymphaticis*, Obſtructio. Atquì parcius hinc refunditur Lympha diluens Cruori, qui craſſior deinceps & acrior evadit, minùſque etiam aptus ad permeandum Vaſcula minima: Stagnat ideò in extremis *Arteriolis*, & Maculas nigras, lividas, fuſcas, ſæpe & Vibices, extrà; intùs verò Gangrænas producit, aut, ſtagnando diutiùs, in putrem tandem abit Saniem.

Sufficiant, ac etiam ſuperſint forſan, quæ de *nervoſæ* Febris Naturâ dixi; id ſaltem apparet, quòd ut omnis fere Febris varii poſſunt eſſe Gradus, in Ratione ſcilicet compoſitâ Vis Solidorum, Statûs Humorum, & Acrimoniæ Sanguinis, ſic quoque & hujus, de quâ agitur, maximè: fortè ne quidem in duobus Hominibus omninò ſimiles. Nulla igitur certa & ſtabilita medendi Regula determinari poteſt, (hìc enim deſideratur maximè Medici Ingenium, qui Ægrotis aſſideat) quæ verò in Genere proſit, paucis abſolvam.

Si qua unquam in Febribus hujuſcemodi mittendus eſt Sanguis, id quidem

quidem ineunte ſolùm Morbo, & parcâ utique Manu, agendum eſt: ardente namque Febre laborantes faciliùs multo ſedecim Sanguinis Uncias amittunt quàm his correpti Selibram.—Ægri Vires & Pulſus Modum indicant.——Tutiùs longè detrahitur Cucurbitulis ſcarificatis, meliùſque multo hoc Modo levatur Caput, ac vel ipſa plerumque Pectoris Oppreſſio; nec ſi repetatur officit, quod de Venæ Sectione haud ſemper dicendum eſt: imò ſæpe, vel in ipſo Morbi Statu, ubi aut Delirium, aut Coma, graviter urgeat, neceſſarium eſt prorsùs.

Pone Aurem utramque, effuſo Cruore, *Veſicatorium* acre applicetur, præſertim urgente Capitis Dolore, aut Vertigine.——Poſt paucas dein Horas exhibeatur lene *Emeticum*, quo & pituitoſa Ventriculi Saburra, ac bilioſa Colluvies, ejicitur: hoc quoque efficitur, ut univerſum Vaſculorum *Syſtema* agitetur validè & concutiatur, atque inde expellatur inhærens Lentor.—Ideò autem, Horis aliquot ante Vomitum, *Veſicatoria* admoveo, ut, exteriora Capitis ac Cervices irritando, plus Sanguinis per externas Carotides eliciatur, minúſque adigatur Lentoris ad intima Cerebri Vaſcula Actione Vomitionis.—Quid poſſunt *Epiſpaſtica* pone Aures ad Cerebrum levandum videmus quotidie, præcipuè in Puerulis, Diſtentione Nervorum aut Comate laborantibus, ubi ſcilicet Ulcuſcula deſudantia pone Aures deſiccantur ſubitò: his enim Veſicantia applicata Humores extrahunt iterum, Morbumque diſcutiunt protinùs.

Si Alvus poſt Vomitum non reſponderet, leni injecto *Enemate* ducenda eſt, idque etiam in poſterum tertio quoque Die: ubi enim indurata Stercora in Inteſtinis hærent, *Oeconomiam* animalem mille Modis turbant; maximè ſi his infarciatur Rectum, imam premunt *Aortam*, & liberum Sanguinis Deſcenſum per *Iliacas* Arterias impediunt, unde plus juſto ad Cerebrum ruit. Adde quod *Enemata* è Lacte *ſaccharato* potiſſimùm, Tepore emolliente ima Viſcera fovent, & plus Sanguinis alliciunt eodem, unde Urinam quoque optimè movent.

Nunquam quidem non juvant *Epiſpaſtica*, per totum Morbi Decurſum, ita ut deſiccantibus priùs applicatis admoveantur alia: his enim Vaſculorum Oſcillatio incitatur, ſubtiliſſimo etiam Sale lentos incidunt Humores, eoſque tandem exprimunt. Vellem ſemper ut ingruente Febre, præſertim ubi Caput graviter petit, applicetur deraſo Occipiti *Veſicatorium:* nam eodem fere Modo, quo pone Aures agit, nec tamen ita aſperos excitat Dolores, dum ad Delirium præcavendum interim facit maximè.——Sanè ita non cruciant in hoc Morbo *Epiſpaſtica*, ut, gravem ob Stuporem, vix ſentiantur: imò quo magis inflammantur, ac dolent, eo plerumque major Spes Salutis effulget.

Quod ab extrà Veſicantibus molitum eſt, id intùs quoque Medicamentis idoneis tentandum eſt. Proſunt maximè Attenuantia dicta, & quæ blandè torpidos excitant Nervorum Ramuſculos; laudo potiſſimùm Cinnabar & lenia *Alexipharmaca, Cephalica*, qualia ſunt Lap. Contrayerv. Confect. Raleigh. Sal. Succin.——C. C. Sp. Lavend. C. Spir. volat. oleoſ. & Camphora præcipuè, quæ & ipſa quaſi Sal quoddam *volatile* oleoſum eſt: ex Salibus enim penetrantiſſimis, ſubtiliſſimo Sulphure involutis, conſtans minutiſſima Corporis Vaſcula permeat craſſamque digerit Lympham, ac lentos diſſolvit Humores: ſalutiferos hoc Modo excitat Sudores, ac (Galbano, aut Silphio adjecto) Somnum ſæpe, vel Opio feliciùs conciliat, eoque potentiùs Deliria fugat.

Nihil ſanè utilius eſt, in hâc Febre, quàm lenes movere Sudores per totum Corpus: hoc Modo enim brevi diſcutitur Morbus, aut paulo pòſt in remittentem, aut intermittentem, mutatur. Debet autem per omnia Membra æqualiter diffundi tepidus Sudor; ſive enim brevis eſt admodùm, aut frigidus, aut circa Caput tantùm & Cervices, mali Morbi Signum eſt: per Sudores autem mox inhorreſcere peſtiferum eſt, blandus autem & æqualis Sudor Spiritus recreat.

Sed ubi *Epiſpaſtica*, ac Attenuantia, adhibentur, diluendum eſt affatim Potione tenuiſſimâ, miti, at detergente leniter; Sero Lactis nempe Canarienſi, aut Xereſano, dilutiore, Decoct. Luſitanic.—Eryngii, Infuſione Salviæ, *&c.* ut craſſiores nimirùm eluantur Sales,

ac

ac debitus ſubminiſtretur Sanguini Latex; qui aliter, perpetuâ liquidiſſimi Exhalatione, in merum penè Gluten brevi abiret.——At rarò admodùm convenit Aqua pura, frigida, quam tantoperè ſuadent nonnulli: haud multò facilius namque cum Sanguine miſcetur quàm cum Aquâ Oleum, niſi mediante *Saccharo*, aut Sale aliquo *eſſentiali* Plantarum. Vidi aliquoties & Febre ardente, imò & *nervosâ* etiam Febre, laborantes, meram Aquam perpotantes frigidam, qui mox per Urinas eam reddidêre limpidam omninò, & nullo fere Modo mutatam ——næ magno ſuo cum Damno.

Septimo, nono, vel undecimo, Febris Die, nonnunquam & decimo quarto, Papulæ rubræ, aut Puſtulæ *miliares*, aliave *Exanthemata*, erumpunt ſæpè, morbumque levant apprimè; præcipue ſi florida hæc ſunt, ac illæ vividæ & turgidæ.——Quammaximè tunc cavendum eſt à Frigore, & lenia ſubinde porrigenda ſunt *Cardiaca*, quæ Naturam adjuvent ad lentos acreſque Humores exterminandos, qui, in ultimis *Arteriolis* cutaneis hærentes, Puſtulas has formant. *Exanthemata* fuſca, livida, nigra, peſtiferum Morbum indicant, Sanguinemque corruptum maximè, ac in Saniem ferè converſum: in hoc Statu profectò Sanguis ita diſſolvitur, ut Alvi Dejectiones ſanguinolentæ ſint, ac ſanioſæ, ſæpiſſimè; imò Cruor è Venis emiſſus vix, ac ne vix quidem, in Coagulum abit, notante doctiſſimo *Liſtero*.

In Caſu tam deplorando mox confugiendum eſt ad *Alexipharmaca* aſtringentia, acida, qualia ſint China Chinæ cum Radice Serpentariæ Virginianæ, Elixir vitrioli Mynſichti, Tinctura Roſarum, Vinum rubrum uſtulatum (ut dicitur) *&c.* hæc enim ad conſervandam Vim Fibrarum & *Craſin* Sanguinis apta ſunt maximè.——Valet plurimum ad Gangrænas ſiſtendas Cortex Peruvianus, ut nuperis inventum eſt Experimentis, eumque ad Humorem Putredinem arcendam cum *Alexipharmacis* & Acidis conjunctum utiliſſimum eſſe certò comperi. ——Vix fortè in tali Caſu nobile magis datur Ἀλεξητήριον, quàm Vinum auſterum cum Aromaticis coctum: tutiùs enim & efficaciùs Vires erigit, quàm Spiritus Vini ardentes, quantumvis *Pharmacis* aromaticis imbuti, & Nomine Aquarum *cardiacarum* nobilitati.

Juſcu-

Juſculis interim tenuioribus, *Panatellis, Gelatinis* de Sago, Cornu Cervi, *&c.* nutriendus eſt Æger, ſæpe quidem, at paulatim: in tanto nimirum Periculo vix ulla alia Spes eſt, quàm ut, Impetum Morbi trahendo, aliquis effugiat, porrigaturque in id Tempus, quod Curationi Locum præſtet.

In Statu Morbi porrò, aut paulo pòſt, *Aphthæ* non raro imas Fauces & Os totum occupant; peſſimæ utique ſi nigræ, neque Periculo vacant ſi ſupra Modum albidæ! Modò ex imo Gutture aſcendere videntur, modò per totum Canalem alimentarium deſcendunt, ac Singultum, *Diarrhœam*, aut *Dyſenteriam*, excitant: quicquid eſt difficillimam ſanè *Criſin* plerumque denunciant, potiſſimùm ſi *Dyſenteria* & Singultus accidunt. Melius eſt longè cùm *Salivatio* copioſa oritur; ſæpe profectò hoc modo ſolvitur Febris, Lentore morboſo nempe per Glandulas Salivoſas extantlato.——Ubi *Aphthæ* oriuntur, creberrimè gargarizandum eſt emollientibus & detergentibus, ex Ficu, Mulſo, Decocto Raparum, *&c:* dandum verò interdum eſt Rhabarbarum, maximè ſi Alvus cita & torminoſa urget, adjecto aſtringente aliquo aromatico cum abſorbentibus. Poſt omnem autem Gargarizationem in Ore contineat paululùm, & mox deglutiat lentè, tenuem è Seminibus Pſyllii & Cydoniorum *Mucilaginem*, Syrupo Mororum aut Rubi Idæi admiſto: fovet hæc optimè, ac ſanat Ulcuſcula.

Haud rarò Pituita tenax admodùm totas adeò opplet Fauces, ut Strangulationem penè minitetur: hîc utique nihil magis opportunum eſt, quàm levi *Emetico* Vomitum ſolicitare leniter, idque ſanè quocunque Tempore Morbi. Mirum eſt quantum Levamen hoc affert Ægrotis, quàm immenſa Vis glutinoſæ Colluviei, Albumen Ovorum referentis, ac ſæpe vel eo multo craſſioris, ejicitur: imo mox ſæpe *Aphthæ*, Coma, Nauſea, Singultus, Linguæ terrifica Nigrities, faceſſunt, ut obſervavit olim diligentiſſimus *Sydenhamius*; quod quoque Ego vidi multoties.

Nec minus utilis eſt lenis Alvi Purgatio ſub Morbi Finem, interpoſitis ſubinde *Cardiacis* & *Paregoricis*; hæc enim evacuat putridam Morbidamque Colluviem, per Arterias *meſeraicas* in Inteſtina depoſi-

tam, *Criſinque* Naturæ, utcunque imperfectam, promovet: imò facit ſæpe, ut Febris, quæ huc uſque nullum certum ſervabat Ordinem, remittentis planè, aut intermittentis, Typum induat, Locumque præbeat Medicamentis idoneis.——Atqui ita non *Diarrhœam,* aut *Dyſenteriam,* quas tantoperè timent nonnulli, inducit, ut hoc modo præcaveantur optimè. Fœda namque Eluvies, diutiùs in Viſceribus reſtitando, magis fit acris, magiſque, aſſiduè, & eorum Tunicas extimulat maximè; imò eas corrodit tandem; ac vel funeſtam parit *Diarrhœam,* vel *Dyſenteriam,* horrendam: partim inſuper per Venas Lacteas reſorpta diras iterum Turbas in Sanguine movet. Ut his ergò occurram Malis, Mihi in Uſu eſt frequentem, ac modicam, Rhabarbari Doſin exhibere, alternis ſaltem Diebus: nimium intereà Alvi Motum (ſi Opus eſt) aſtringentibus Aromaticis, atque *Anodynis,* reprimere ſoleo.

OPUSCU-

OPUSCULUM

DE

MORBO COLICO

DAMNONIORUM,

eoque maximè Epidemico,

Anno MDCCXXIV.

U PRÆSTAN-

PRÆSTANTISSIMO VIRO,

JACOBO JURIN, *M. D.*

Collegii Medicorum Londinensis

ET

Regiæ Societatis
Socio,

JOANNES HUXHAM, M. D.
S. P. D.

TUO potiſſimùm Hortatu, Vir clariſſime! Opus ſuſcepi meteorologicum, quod jam perfeci: Tibi adeò debetur, ſi quid inde ſit Utilitatis Publico.—Officia certè in Me plura contuliſti olim, quorum Ego ſemper memor, hoc Tibi Opuſculum, grati Animi Monimentum, dedico.

Valeas diu multumque!

Id. Novemb.
Mdccxxxviii.

DE

MORBO COLICO

DAMNONIORUM, &c.

INEUNTE Autumno, Anno MDCCXXIV, Damnonios undique afflixit Morbus maximè *Epidemicus*, inter Popellum præcipuè ſæviens, & in Hos, quibus minùs lauta fuerat Ratio vivendi. Hujus & Hiſtoriam & Medicinam perſcribere haud erit forſan prorsùs inutile; quoniam etſi non ita vehementer & multo minùs populatim, tamen omni fere Autumno hanc Regionem plùs, minùſve, infeſtat.

Exorſus eſt hic Morbus ab Angore Ventriculi ſummo cum Dolore in *Epigaſtrio* vehemente, Pulſu debili & inæquali, Sudore frigidiuſculo; Lingua interim Muco erat obducta ſubviridi, aut fuſco, Halitus autem fœtidiſſimus. Subſecutus eſt Vomitus enormis, utplurimùm Bilis viridiſſimæ, nonnunquam atræ, magnâ ſemper Pituitæ, quammaximè acidæ ac valde tenacis, comitante Copiâ; imò Colluvies, rejecta Vomitu, ſæpe adeò acris erat, ùt, Gulam Fauceſque excoriando, foret inde ſanguinolenta, ac Dolorem inter deglutiendum excitaret. Hiſce per Diem unam, alteramve, perſiſtentibus, acceſſit Alvus adſtricta admodùm, nec *Catharticis*, δραςικωτάτοις, nec acerrimis Clyſteribus reſpondens: his quippe ſine Flatu aut Stercore rejectis, illis Vomitu.

Imminutâ tunc paululùm Vomitione deſcendebat Dolor, at Umbilici Regionem atrociſſimè torquebat, Lumbos Spinamque Dorſi crudeliter; ita ut Paroxyſmo *nephritico* Ægrum laborare crederes, eoque magis cum & jam etiam urgeret Urinæ ſuppreſſio, at perpetua mingendi Cupiditas: imò vexabat ſæpiſſimè moleſti cujuſdam Ponderis in *Perinæo* Senſus, velut incumbentis Calculi.——Talem in Colicis

Urinæ

Urinæ difficultatem jamdudum notavit Aretæus Cappadox, Capit. de Colicis: Νεφροὶ καὶ Κύστις ξυμπαθέα Πόνῳ καὶ Ἰσχυρίῃ· τελέουσι ἄλλα ἀντ' ἄλλων. Sic Hippocrates Περίῤῥοιαι στραγγουριώδεες, οὐ νεφριτικαὶ, ἄλλα τελέουσιν ἀντ' ἄλλων ἄλλα, Epidemic. Lib. I. Sect. II.

Urina verò erat Lixiviæ inſtar, quæ mucoſa, rubra, non rarò ſubviridia, deponebat permagnâ Quantitate. Abdomen plerumque duriſſimum & maximè tenſum Ægrotos, ne rumperetur ſcilicet, anxios ſolicitavit: erant è contra quibus, *Spaſmo* maximè contractus, vix ullam Sui Formam reliquiſſet Venter: hoc autem rarius. Sæpe Dolor fixus, vehemens, urens in dextro *Hypochondrio*, ubi etiam & Tumor & Durities. In *Epigaſtrii* Regione magna ſæpe & moleſta Pulſatio. Quandocunque Alvus vel proprio irritata Onere (quod raro admodùm) vel Medicamento fuit, duriſſima Σκύβαλα ex viridi nigra, globoſa, parva Ovium Stercora referentia, reddidit; poſt duas dein, treſve, Dejectiones, viridia, vel nigra, nonnunquam Cruore miſta, Teneſmum excitantia permoleſtum: at Alvus ſubſtitit protinùs, quæ poſt Horas aliquot Arte iterùm irritata tales rurſùm Globulos, læves, duriſſimos, dejiciebat.

Hæc fuit prima Morbi Facies; at nec dum deſæviit Tragœdia, nec hic Finis Malorum: quamvis enim ceſſaverint paululùm dira Ventris Tormenta, relictâ verò Cutis Teneritudine ſummâ, Tactûs fere impatientis, jam tamen augetur Dolor per totam Spinam ſummos Humeros adusque immaniter excrucians, inter Omoplatas potiſſimùm; brevique inde Brachia invadens Juncturis præcipuè defixus hærebat, Motumque deſtruebat Manuum prorsùs.——Nec Femoribus, nec Cruribus, contigit Sors multo melior; utpote quæ torqueret Cruciatus acerrimus, mediis quaſi Oſſibus inhærens, Lue veluti venereâ affectis: rariſſimè autem Artuum vel Rubor, vel Tumor, ullus.

Dum ab Inteſtinis ad Membra Exitum ſibi pararet morbida Materia, Pulſus vibrabat fortior, atque febricitabant leviter Ægroti. Nonnulli etiam, hoc Morbi Statu, delirabant, cujus conſtans fere Indicium fuit Urina aliquanto limpida; & (quod notatu dignum) ſi per totum Morbi Decurſum Urinam pallidam ſine Sedimento reddidiſſent,

hos

hos ſubitò corripuit vel Diſtentio Nervorum, vel Delirium, aut Manuum Paralyſis: nunc cum, nunc ſine, Dolore.

Cum jam Morbus occupaverat Artus, Sudor multus fœtidus, acidum ſpirans, Dolores lenivit; &, ſi quis Dolor Ventris etiamnum permanſerit, eo diffluente evanuit. Aliqui Sudore longo, maximo, digeſti Motum Uſumque Manuum amisêre penitus; Tactu ſolùm manente: Doloris miſerum Solamen Paralyſis! vix ullum autem memini, hoc Morbo laborantem, Pedibus *paralalyticè* captum.——Aliquando cum Sudore benigno plurimæ eruperunt Puſtulæ rubræ, prurientes, ac ſæpe moleſtiſſimè urentes, eæque per totum fere Corpus; quo nihil auſpicatius: nam his erumpentibus & Dolor *rheumaticus* & colicus ſe mox ſubduxêre.—Hic fuit equidem optimus Morbi Exitus; at frequentiùs longè colicum Dolorem excipiens *Rheumatiſmus*, *Rheumatiſmum* Viſcerum Tormenta, alternâ Vice, miſeros diu mactabant, Morbo nunc ad Artus, nunc in Inteſtina tranſlato.

Interdum Cruciatus per Dies aliquot ceſſantes æquè vehementer recrudeſcebant; præſertim ex leviſſimò Frigore ſuſcepto, vel *Cereviſiâ*, vel Vino Pomorum hauſto. Icterus nonnunquam erumpens Colicen hanc pro Tempore ſolvit, quo recedente mox redibant Dolores.——In uno & altero Caſu verus permanens Icterus hunc Morbum abſolvit prorsùs, manente tantùm quâdam Artuum Moleſtiâ.

Tametſi Dolores colici *rheumaticos* ſæpius præcederent: frequenter autem Artus primùm adoriebatur Morbus, dein, *Metaſtaſi* factâ, Stomachum & Inteſtina, more deſcripto. Cauponem quendam novi robuſtum miro planè Modo correptum, cujus Brachia Manuſque reſoluta vix ullum Motum, ne vel leviſſimum Pondus movendi Potentiam, retinebant; nullo tamen præcedente Morbi Symptomate, nec per Diem unum, alterumve, inſequente ullo, niſi quod ſolito fuerat languidior: paulò pòſt autem Vomitus Ventriſque Dolor conſequebantur, tandem etiam Membra paralytica Angor *rheumaticus* torſit.

Aliqui, at perpauci, diù multúmque hoc Morbo afflicti, Inſultibus demùm epilepticis correpti, Fato ſuccubuêre: ſed, ut vera dicam, ſeu Morbi Frequentiam, ſeu Durationem, ſeu Vehementiam denique,

 reſpicio,

reſpicio, miror valdè tam paucas Hoſti huic diro occubuiſſe Victimas.

Crudeliſſimè ſæviit hic Morbus fremente Aquilone, quod & de Variolis, tunc Temporis, graſſantibus obſervavi.

Quibus fuſiorem dederat Alvum Natura longè minus ab hoc *Epidemico* paſſi ſunt, quàm quibus aſtrictam: hinc fortè Ratio petenda eſt cur Pueros (quos cita plerumque Alvus exercet) haud æque violenter ac Adultos excruciavit.

Perduravit Colica hæc *epidemica* ab Autumno ad Ver ſequens; Vere autem vigente ſenſim abiit.

En hujus brevem, ſed accuratam, Morbi Hiſtoriam, qui uſque adeò inter Vulgum graſſatus eſt, ut Anno MDCCXXIV omnes fere Plebeculæ Familias invaſerit. Quid quòd in unâ eâdemque Domo quinque vel ſex ex hoc Morbo decumbentes numeravi ſæpiſſimè; atque meherculè vix credo Colicum Morbum tam *epidemicum* extitiſſe antehac unquam: niſi fortè quem Paulus Ægineta Lib. iii. Cap. 43. ſub Finem memorat: qui & noſtro, quod ad quædam ſaltem Symptomata, haud fuit longè abſimilis.—Hic ideò iſtius Deſcriptionem ex Paulo proponam: "*Αρξαμένου μὲν τοῦ Πάθυς ἀπὸ τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν*
"*Χωρίων* ϗ *ἐν ἄλλοις δὲ πολλοῖς τῆς τῶν Ῥωμάιων Πολιτείας*, &c. *i. e.*
"quùm Morbus quidem ille cœpiſſet (Colica ſcilicet ab acribus &
"vellicantibus Humoribus) à finitimis Italiæ Regionibus, & alia ple-
"raque Loca Romani Imperii, inſtar peſtiferæ cujuſdam Contagionis
"peragrâſſet: unde non paucis quidem in Morbum Comitialem, aliis
"verò in Membrorum Reſolutionem, ſuperſtite tamen & incolumi
"Senſu; nonnullis autem in utrumque delapſis. magna Pars eorum,
"qui ex hâc Ægrimoniâ in Epilepſiam conciderant, Vitam cum
"Morte commutabant; quorum verò Morbus in Paralyſin tranſierat
"plerique evaſerunt, perinde atque in Criſi, Tranſlatione Cauſæ."

An fortè Morbus hic *epidemicus* à peculiari quâdam Aëris *Diatheſi* Ortum aliquâ ex Parte duxerit haud ſcio: quandoquidem Cœlo ſicco, vel humido, flantibus Auſtris, Boreâve flante, æquè frequens ſævierit. ——Tempeſtate quidem ſiccâ & frigidâ, furente Cæciâ, vel Aquilone,

Tormina

Tormina fuiſſe atrociora notavi: hoc verò accidebat forſan propter diminutam *Perſpirationem*, & Alvum redditam magis compreſſam; ad divini Senis Effatum, αἱ καθ' Ἡμέρην Καταστάσιες βόρειοι τὰς Κοιλίας ξηραίνουσι. Aphoriſm. xvii. Sect. iii. Edit. Hollerii.——Quomodocunque autem hoc ſit, vix credo ullum eſſe, qui hunc Morbum inter contagioſos recenſebit: niſi & idem ille omnem Morbum vulgarem dixerit eſſe contagioſum; quod neque Vis Vocis fert, neque Norma loquendi.——Naſcuntur ſanè Morbi *epidemici* à communi aliquâ Causâ, *Atmoſphæræ* putà Corruptione, Cibo, vel Puto noxio: ſæpe tamen minimè ab ullo *Miaſmate* Morbum ab Ægro hoc illi Sano inferente.

Fuit equidem, ni fallor longè, Cauſa hujus Morbi manifeſta maximè; tanta ſcilicet, tamque incredibilis Pomorum Copia iſto Anno abundans, quanta vix unquam viſá poſt Hominum Memoriam; noſtræ ſaltem ubique Regionis. Pomi nimiùm onuſtæ Ramos propendentes, Fructu fere ad Fracturam uſque gravatos, carpenti, Ponduſque auferenti, quaſi porrexêre. Pretio vel viliſſimo tot emiſſes Poma, quorum Succo expreſſo etiam impleviſſes Culeum, Saccoſque refertos vel ipſo colligendi Labore habuiſſet aliquis Coloni plures, impiè ingrati, benigniſſimo NUMINI, quaſi prodigo, obmurmurantes Vim Pomorum immenſam Porcis objecerunt.——Sed & hoc etiam Porcorum Genus malè tulit Pomorum Ingluviem: contabuerunt enim omnes & periêre plures.——Aliqui magis fortè pii, etiamſi haud ſatis ſobrii, Vini pomoſi totas exhauſerunt Amphoras; imò quoſdam, vel Mercede conductos, ad bibendum invitârunt, ne perirent nempe Dei Dona: & novo iterum, iterumque novo, replebant Cados. Grata forſan temulento Baccho Libamina, at ſummo Divûm Hominumque Patri minimè probanda!—Certum eſt tunc Temporis undique comparata Vaſa, & ex omnigeno fabricata Ligno, vix, ac ne vix quidem ſuffeciſſe ad enormem *Pomacei* Quantitatem continendam.

Cum ergò Horti tantum ubique Pomis exuberaverint, Victum ferè omnem Popello ſuppeditaverunt. Poma variis Modis cocta & præ-

parata omni fuere Cibo; ex his Vinum (Muſtum utique rectiùs dicerem) omni Potui: hoc enim *Cereviſiâ*, etiam tenui, vilius, vel ipsâ Aquâ non multo carius, utrâque longè gratius, læta Plebs hauſit affatim futuri neſcia Periculi.

Diuturnum & continuum Cibi Potûſque pomoſi Uſum dicam, an Abuſum? Cauſam fuiſſe hujus Morbi nullùs dubito; quia Neminem vidi eo correptum, qui ſe his abſtinuerat: nec de meliore Notâ Homines, opiparè viventes, attigit; utpote qui viliora (uti mos eſt) contemnentes raro hæc deguſtabant; vel, ſi id quidem fecerant, plurimâ Carne & Aromate veſcentes, & Vina generoſa potantes aſſiduè, crudis noxiiſque Pomorum Qualitatibus occurrebant brevi.

Longâ certè fuit Obſervatione notatum, quòd abundantibus Pomis Morbi torminoſi plurimos infeſtant: adeò ut his in Oris ſint quaſi & *endemici* & *epidemici* omni fere Autumno; &, ut olim cecinit Horatius, ſentiunt—*pomifero grave Tempus Anno*, Lib. iii. Od. xxiii. Bene memini Anno MDCCXXII, eo etiam maximè pomifero, Morbum Colicum & *Rheumatiſmum* plurimùm ſæviiſſe, at huic, modò deſcripto, ſive Vehementiam reputo, ſive Numerum, illo laborantem, minimè comparandum. Hoc idem ipſum Annis MDCCXXVIII & MDCCXXX, Pomorum etiam maximè feracibus, obſervavi: fuit autem notatu dignum, *Diarrhœam* tunc longè magis increbuiſſe, quàm Anno MDCCXXIV, quæ Colicen ac *Rheumatiſmum* levavit plurimùm; acri nempe acidoque Pomorum Succo nec diu in Inteſtinis, nec in Sanguine, reſtitante, ſed per Alvum protinùs ejecto. Anno autem MDCCXXXIV, Pomis quoque uberrimo, rarior fuit *Diarrhœa*, at Colica ſævior longè, cui frequens ſucceſſit Brachiorum Paralyſis.

Illud interrogari me poſſe ab aliquo, ſcio, unde fit, cur Succus Pomorum, uno Anno, adſtrictam cum atroce Dolore, alio autem, vix aliquo inſigni Tormine comitante, Alvum valdè ſolutam creat. Cui certè vix habeo quod reſpondeam; at ille mihi explicet velim, cur hoc citiùs longè, quàm illo Anno, Poma vel Generis ejuſdem, & quod ad omnia, quantum Senſu ſaltem dignoſcere poteſt, ſimilia putreſcunt: quod tamen ſæpiſſimè obſervatur.—Hoc tantùm, quod omnibus for-

ſan ſatis notum eſt, monebò Poma quo mitiora, eo certiùs Alvum ſolvere, ideoque quo magis humida fuerit & calida Tempeſtas, eò Poma & omnes Fructus Autumni eſſe mitiora, & ad Putrefactionem & ad Alvum ſolvendam, magis apta: quod Obſervatio Tempeſtatum confirmat abundè.

Jam verò ſequitur, ut Muſti pomoſi Naturam paucis exponam.— Humor ex Pomis (vel & Uvis) recens expreſſus Sale *eſſentiali* acido, & valde craſſo, ſive *Tartaro*, abundat, plurimis porrò terreſtribus Particulis, multo, ſed impuro, Sulphure.——Quanto acerbior Fructus, tanto craſſior & copioſior Sal *eſſentialis*, ut in Vino Moſellanico & *Pomatio* noſtro manifeſtum eſt; hoc ad Fundum demittente *Tartarum*, mucoſâ Fæce gravatum maximè, illo ad Dolii Latera Salis ejuſdem *tartarei*, ſive *eſſentialis*, plurimum ſeponente. Nec certè longè differt Vinum Rhenanum à *Pomatio* generoſo, niſi quòd hoc multo plus *Mucilaginis* habeat; quippe quorum Salia nativa videntur maximè congenera, etiam *Microſcopio* conſpecta ejuſdem ſunt planè Figuræ: atqui utriuſque Salia nonniſi poſt longum Tempus comminuuntur ita, ac ſubiguntur, ut Liquor pomoſus ad Potum aptus reddatur, aut ſalutaris.——Imo *Pomatium* ex Pomis agreſtibus & acerbis expreſſum, vix niſi ſecundo, vel & tertio demùm Anno, aut Potioni gratum, aut ſalubre tandem evadit.

Utravis horum muſtea ſi bibis affatim, Doloribus colicis & *rheumaticis* certo certiùs vexabere; nec Arthritidi obnoxii hæcce hauriunt impunè, quippe quos protinus corripit Paroxyſmus. Nec graviores Pœnas luunt bibaces Germani, ad Ripas Rheni & Moſæ Incolæ, Se Vino *tartareo* ingurgitantes, quàm Noſtrates *Pomaceum* avidè perpotantes: ibi enim & hìc Arthritis Morbus eſt *endemicus* & maximè communis; neque tot uſpiam, etiam inter Plebeculam, Podagrâ laborant, quot in Damnoniâ Provinciâ, ob *Pomaceum* notiſſimâ. Ac credere fas eſt, Morbi hujus Frequentiæ Cauſam fuiſſe multum & continuum Vinorum Uſum, *Tartaro* maximè abundantium, qualia ſunt Vina Moſellanica, Gallica, & *Pomacea* noſtra: ex quo enim horum invaluit Uſus, longè magis quàm antè increbuit Arthritis. Vinum

Burdegalenſe, præſentis Ævi Delicias! haud magni fecit Ætas elapſa; & decuplo plus *Pomacei* nunc factum & epotum eſt, quàm Annis abhinc triginta.

Si quis verò dubitat fortè, an Muſto *pomaceo* tanta Vis inſit *Tartari*, experiatur ipſe, Modo ab Angelo Sala optimè deſcripto (*Mucilaginem* nempe à Succo abſtrahendo) quanta Copia Salis *eſſentialis* ab eo colligi poteſt; inveniet utique permultum. *Pomaceum*, more Vini Rhenani, *Tartarum* ad Latera Cadorum haud equidem ſeponit; hoc autem ejus Defectûs minimè Argumentum eſt, cùm nec vel ipſum Vinum Rhenanum, niſi poſtquam mucoſam & terreſtrem Fæcem Fundo demiſerit, ad Vaſis Latera *Tartarum* rejicere poſſit——Pari Ratione Vina Hiſpanica nullum Cadis *Tartarum* dant, ob nimiam ſcilicet oleoſam & tenacem Colluviem, quâ irretitur. Nec ullâ Arte ſeparari poteſt Sal Citrii, ſive Limonis, ab Humore ſuo expreſſo, Sale tamen acido, ſi quis alius Succus vegetabilis, maximè ſcatente; utpote qui permultâ *Mucilaginis* Quantitate implicatur: quod & laudatus Sala in Tartarologiâ ſuâ dudùm annotavit, & ipſe experiundo veriſſimum eſſe didici. ——At *Pomaceo* novello plurimum ineſſe *Mucilaginis*, Argumento eſt Lentor iſte, quem contrahit, Olei inſtar, ſi vel nec debitè fermentatur, nec ſaturatur ſatis Sale actuoſo, *Mucilaginem* ſulphuream attenuante: hujus etenim Defectu, *Pomaceum* ex mitioribus Pomis, intra Anni Spatium in Liquorem viſcidum & pendulum quaſi certiſſimè convertitur. Porrò fere ſemper obſervamus, quod, dum Muſtum pomoſum in Cupis ad deſpumandum aſſervatur, Pelliculæ tenaces formantur, quas Coria putrefacta eſſe crederes: ſimiles etiam Doliorum Lateribus adhæreſcunt.

Videamus jam breviter, quid Mali noſtris infert Corporibus Succi Pomorum crudi, nec fermentati probè, nec defæcati, Ingurgitatio: De Muſto differentem audiamus Hippocratem, Lib. ii. de Vict. Ration. Γλεῦκος φυσᾷ, καὶ ὑπάγει, καὶ ἐκταράσσει Ζέον ἐν τῇ Κοιλίῃ, καὶ διακωρέει· φυσᾷ μὲν, ὅτι θερμαίνει, ὑπάγει δὲ ἐκ τοῦ Σώματος ὅτι καθαίρει, ταράσσει δὲ Ζέον ἐν τῇ Κοιλίῃ καὶ διαχωρέει.——Succus Fructum ὡραίων citò fermentat, inter fermentandum Aër Muſto permiſtus dilatatur maximè

maximè, ut vix Doliis firmiſſimis coërceri poſſit. Si quis ergo Vinum muſteum hauſerit avidiùs, in Ventriculo & Inteſtinis fermentet vehementer neceſſe eſt; hæc dein Flatu diſtendat valde, torqueat, excruciet; Ope Caloris namque Fermentatio & Aëris Rarefactio augetur maximè: at Muſtum fermentans vix continent roburnea Vaſa, quid non inde Malorum Inteſtina hocce referta paſſura eſſe credamus? Nec mirum utique hæc conſideranti, ſi Hiſtoria medica funeſtiſſimos Eventus, Inteſtina nimirùm ab indomabili Gas, ſive Flatu, diſrupta denarrat.

Nec Ventriculo & Inteſtinis ſolùm nocet fermentans Muſtum, quatenùs Aëre furibundo turgidum; habet inſuper ſtimulandi & abſtergendi Vim ſummam: nam vix aliquid Muſto magis ſmecticum datur, fere Cuticulam ejus abradit, qui Muſto Manus abluit. Cuique Anatomiâ vel leviter imbuto notiſſimum eſt, Inteſtina Muco quodam blandiſſimo oblita eſſe, quem (non hìc ſolùm, ſed alibi) ad fallendam Ingeſtorum Acrimoniam providens ſecrevit Natura: hunc autem abſtergit penitùs nimius Succi *ſaponacei* Uſus, qualem maximè præſtant Fructus ὡραῖοι. Hinc Vomitus, Cholera, *Diarrhœa*, *Dyſenteria*, ex horum Ingluvie: deterſo enim Viſcerum Muco, Munimine quaſi Tunicæ nervoſæ, ea quidem minimæ Acrimoniæ impatiens, nedum Salium craſſiorum, quibus abundant tales Fructus, & horum Aculeis lancinata undique, cruciatur admodùm. Atroci adeò Dolore percita Inteſtina, Motu eorum *periſtaltico* plurimùm adaucto, Hoſtem infenſum valdè expellere omni enituntur Ope. Sequitur dehinc Vomitus enormis & Alvus citiſſima; at fauſto utplurimùm Ominè Inimico aufugienti patent Portæ: incarcerato autem fermentante Humore, Interanea tam validè diſtendit, ut nec ſe contrahere, nec Motu *periſtaltico* acres & furibundos Humores depellere queant: Veſicæ urinariæ ad Modum, nimiâ diſtentæ Urinâ, quæ ſe exonerandi omnem Vim perdidit. Horrendus hinc oritur Dolor, deinde Inteſtinorum Inflammationes, quas citò vel Gangræna, vel Diſruptio, excipit, ni promptum adhibeatur Remedium.

Cum

Cum autem, vel à Facultate Pomorum aſtringente (utimur namque ad conficiendum optimum *Pomacei* Genus maximè acerbis & auſteris, ideoque in Regione noſtrâ Horti talibus potiſſimùm abundant) vel à Stomachi, ac Inteſtinorum, Robore nativo eorum, qui *Pomaceum* perpotant novellum, acciderit, ut nec concitetur Vomitus, nec perturbetur Alvus, Mala tamen perſæpe ſequuntur atrocia. Hujus enim longâ & frequente Potatione tanta Vis *Tartari* indomiti ingeritur Sanguini, ut non ſolùm Sanguis ipſe inde reddatur acris valdè, ſed & ab impuro Fonte omnes ab eo ſecreti Humores. Hinc Loco perdulcis & lubricantis Muci, per Glandulas *Haverſianas* percolati, mordax quaſi Coagulum: Dolor hinc Artuum oritur pungens, ac Motûs Impotentia.——Loco blandiſſimi Liquoris, Nervos irrigantis, Latex corrodens: hinc Nervorum Diſtentiones, hinc Inſultus epileptici. Sanguine porrò tantâ Salium Copiâ ſaturato, Corpuſcula ſalina in mutuos Amplexus ruunt, & majores formant Maſſulas, quàm quæ per Arterias *lymphaticas*, vix utique per ſanguineas *Capillares*, perfluere poſſunt: hinc naſcuntur Obſtructiones variæ, atque Propaginis nervoſæ Vellicatio ſumma.

Tandem etiam & vel ipſa Bilis, Balſamum iſtud πολύχρηςον Corporis, corrumpitur, & ab Acido pomoſo ſuperabundante domatur, quæ vel ipſa debet eſſe Acidi Domitrix: pluribus ſiquidem conſtat Experimentis, quòd Bilis, ſi nimio cum Acido, vel vegetabili, vel minerali, commiſcetur, Viribus ſpolietur, iners reddatur prorsùs, & in Coagulum fere abeat.—Ferax hæc Cauſa Malorum! ſtagnante enim in Acinis Ductibuſque Jecinoris inſpiſſatâ Bile, Tumor, vel Induratio, Hepatis ſubſequitur, unde *Circulatio* & Secretio per magnum hoc Viſcus impeditur maximè. Quanta dehinc oritura ſint Mala perſpiciet facile, qui Arteriarum *Meſentericarum* & *Cœliacæ* Diſtributionem, atque, ex harum Ramuſculis, Venæ Portæ Curſum etiam, perpendit probè: at cum hæc deſcribere longum eſſet, miſſa faciam, breviterque tantum conſiderabo Bilem, quatenùs Acido contaminatam, & in *Poris biliariis* & Veſicâ felleâ nimiùm diu ſtagnantem.

Jam

Jam itaque in Hepate ſubſiſtente Bile, nulla fit ejus in *Duodenum* Excretio, unde nec *Chyli* Lentor, nec Aciditas attenuatur ſatis, vel ſubigitur probè. *Chylus* autem glutinoſus per Vaſa Lactea Sanguinem intrans Lentorem ejus adauget, jampridem, ab acido & auſtero Pomorum Succo, nimis craſſi: hinc Secretiones omnes, quæ Lege Naturæ, fluidiores eſſe debuerunt, factæ ſunt juſto craſſiores; multa etiam hinc Mala! Cæterum Inteſtina, proprio Bilis Stimulo privata, Fæces tardiſſimè deponunt, unde Alvus fit aſtricta admodùm.—Certè tum ſqualidus ille luriduſque Color omnium ex hoc Morbo laborantium, tum craſſa eorum & crocea Urina, Indicia erant manifeſta ſatis, Bilem nec debito Modo ſecretam fuiſſe, nec in Inteſtina excretam.

Quanquam Bilis ab Acido coacta in Cyſti felleâ, ac in Ductibus hepaticis, iners velut & torpida per Spatium aliquod hæreat, latet tamen Anguis in Herbâ. Si quis enim Corporis Humor, vel blandiſſimus, extra Aream *Circulationis* effuſus, Calori Corporis humani exponatur diu, & Motu Partium vicinarum agitetur; tenuior indies & acrior factus in acerrimam & Vaſa omnia corrodentem Saniem mutabitur tandem. Nonne pulchram ſæpe Mammam ex ſtagnante ſolo dulciſſimo Lacte depaſcitur Ulcus horrendum? Si hæc Humori ſuaviſſimo, annon eadem, imo & vel graviora longè eventura ſunt Bili, etiam in Statu naturali omnium acerrimo? cui & jam inſuper plurimum Salis acidi adjicitur; qui, quanquam fortè Bilis *alcalinam* Putredinem temperet paululùm, Vi tamen Corporis vitali exagitatus aſſiduè, Acrimoniam demùm exauget maximè.

Bilis niſi ab effuſo Acido haud varideſcit, & quo fortiora admiſcentur Acida, eo intenſior oritur Viriditas, prope ad Nigritiem accedens, ac Coagulatio fortior, ut Colore & Conſiſtentiâ propiùs abſit Miſtura à Fuligine affuſo Atramento: fit hoc clarius ſi cum Felle humano, quod magis forſan *alcalinum* eſt, quàm de alio quovis Animale Bilis, inſtituatur Experimentum.——Hoc certè mihi videtur eſſe Bilis atræ & æruginoſæ Origo longè frequentiſſima: falluntur utique, qui has Bilis Species in primis ſolùm Viis formatas eſſe credunt, cum

qui

qui in Extiſpiciis humanis verſantur, in Veſicâ felleâ, & ipſis *Poris* biliariis, tum atram, tum porraceam, offendant ſæpiùs.

Huic Ratiocinationi adſtipulatur Experientia, quâ ſine vana omnis *Theoria*, bella ſit utcunque. Obſtupui ſæpè videns Bilem æruginoſam, ac, vel ipsâ acriorem longè, atram, Vomitione rejectam, Metalla ipſa corrodentem, & in Pavimentum, haud aliter quam effuſo Spiritu vitrioli, bullientem: quinimò tam acerbè acidam, ut Dentibus cum Horrore ſummo Stuporem incuſſerit, Fauceſque ipſas excoriaverit. Nonne hæc maximæ Aciditatis Argumenta? vix herclè majora facit ipſe Vitrioli Spiritus. Apud Galenum ideò, alioſque, Bilis atræ Characteres (qui & porraceæ itidem conveniunt) ſunt *τὸ δριμὺ, τὸ ὀξῶδες καὶ τὸ διαβρωτικόν.* Curavi olim Nauclerum quendam honeſtum, à Virginiâ reducem, qui torminosâ Alvo primùm, graviſſimis dein Nervorum Diſtentionibus & Delirio correptus, plurimum Bilis viridiſſimæ, ſubinde aterrimæ, ac quammaximè acidæ, evomuit. Huic inter Convulſiones, dum Cochleare argenteum in Ore, ne Linguam ſcilicet demorderet, intruderent aſtantes, Momento quaſi Temporis Colore planè atro infectum retraherent, ac ſi in Spiritu Nitri intinctum fuiſſet.——Hic autem Homo, ut hoc obiter notem, Succo Limonum acerbiſſimo captus valdè, eum in omni fere Potu hauſerat abundè: nec poſſum ſanè quin addam, Me ſæpiſſimè Hos Bile atrâ, aut porraceâ, afflictos eſſe notaviſſe, qui frequenter prius ex Ventriculo, ob corrodens & valde pungens Acidum, laboraverant.—Jamque in Memoriam redit, quòd Annis abhinc quindecim, à generoſo quodam Juvene, Acetariis atque *Pomaceo* impensè dedito, & id propter colicis & *rheumaticis* Doloribus frequentiſſimè vexato, Sanguinem detractum attonitus viderim, cujus Serum, Succi inſtar è Porris expreſſi, erat viridiſſimum: vide porrò Obſervationem noſtram ſecundam Act. Philoſophic. N°. 382.

Haud equidem ignoro, optimum *Sydenhamium*, Bilem porraceam ex Solâ Spirituum Ἀταξίᾳ Ortum ducere affirmâſſe: quod ſi verum erat, tunc in omni graviore Animi *Pathemate*, vel Spirituum à qua-

cunque

cunque Cauſâ vehemente Agitatione, Bilis porraceæ Generatio ſequeretur, quod tamen plerumque falſum eſt. Animi *Pathemata* profectò Bilem movent & exprimunt (idcircò Phraſi aptiſſimâ dicitur, Bilem illi commotam eſſe, qui Irâ incenſus eſt:) at ſi Bilis, enormi Spirituum Motu expreſſa, acido alicui Humori in Viſceribus occurrit, fit illicò viridis; quæ perſæpe in magnis Animi Perturbationibus evomitur. Nonne autem hunc Hominem, jam, ex vehemente Animi Motu, viridem evomentem Bilem vidimus, qui paulo poſt fortè, à graviore Commotione flavam omninò vomebat? Nonne Ille, in perturbato Mari navigans, hodie Bilem viridiſſimam rejicit, qui poſtridie tamen croceam prorsùs ejecturus eſt; & è contrà? Bilis utique extra Corpus, ab Agitatione vel fortiſſimâ, haud virideſcit, nec niſi admiſto Acido, vix intra itaque.——Quod ſentio dicam; Spirituum Agitatio vehemens, ſive graviora Animi *Pathemata*, Concoctionem lædunt maximè, atque ſic *Chylus* in Stomacho aceſcit, cui profluens admiſta Bilis evadit viridis: dumque Stomachus eſt infirmus, quicquid intùs aſſumitur haud probè digeritur: unde diu in Inteſtinis & Ventriculo Pituita acida dominari poteſt.

Bilis igitur, ſeu viridis, ſeu atra, in Veſiculâ felleâ & in Ductibus hepaticis congeſta diu, & Corporis Calore fota, tandemque liqueſcens, vel ab extremis Venæ Cavæ Ramuſculis abſorpta in Maſſam rapirur ſanguineam, vel per Ductum *Choledochum* in Inteſtina effunditur. At cum utraque jam facta ſit ſummè acris, Sanguine confuſa, mira excitat mala: nempe Genus omne nervoſum irritando Dolores, Anxietates, Spaſmos, infert. Vaſcula pariter rodit teneriora, &, in Cerebrum tranſlata, illi eſt perquàm infenſa.——Inteſtinis verò aliena maximè enormes concitat Vomitus, atque horrenda Tormina.

Bilis autem atra, acida, acris ſit utcunque, nequaquam tam funeſta eſt humanæ Fabricæ, quàm Bilis atra *alcalina:* Acidum enim fortiſſimum haud æquè potenter Vaſa, Parteſque Corporis erodit, ac Lixivium fortiſſimum *Alcalinum*, quod dicto citius Subſtantias animales diſſolvit penitùs. Imò verò Bilis putreſcens, ni ab Acido mitigetur Virus, in Saniem acerrimam, omnia corrodentem, mox abit. De

hâc adeò tantùm Bile intelligendus eſt Hippocrates, Senſu abſoluto, in Aphoriſm. 22, 23, 24. Sect. iv. & Coac. Prænotion. 74. Lib. i. Edit. Duret. itemque ab Hippocrate Celſus, Lib. ii. cap. viii. "Tor-"mina ab atrâ Bile orſa mortifera." Eſt enim *gangrænoſa* Sanies Icterum, vel *Hepatitidem*, malè judicatam conſequens. Diros hujus interdum notavi Effectus, quondam præcipuè in Matronâ quâdam, Spiritibus vinoſis addictâ maximè, quæ & inde in icterum nigrum inciderat: illa namque paulo ante Mortem vomuit multa, atra, fœtidiſſima, brevique poſt multo cum Sanguine, ἄνω ϗ κάτω rejecto, (exeſis nempe Vaſculis ſanguineis) reddidit Animam.—Atque meherclè ob Acrimoniam putrefactæ Bilis, quæ omnia Vaſa deſtruit confeſtim, accidit, quod *Hæmorrhagia* Ictericis Symptoma fere ſemper funeſtum eſt.

Eſt & alia Bilis atræ (dictæ) Species, priore longè, longèque mitior, quæ Recrementum quaſi ſanguineum eſt: de hâc poſteriore ita Galenus, in Commentar. ad Aphoriſm. Hippocratis 53. Lib. vi. Μεμνῆσθαι γὰρ χρὴ τῶν περὶ τῆς μελαίνης Χολῆς, &c. *i. e.* "Meminiſſe enim "oportet eorum, quæ in aliis Scriptis noſtris de atrâ Bile definita "ſunt; nempe quod quædam ex flavâ Bile ſuperaſſata fiat, quæ om-"nino eſt maximè pernicioſa; alia vero, ut ita dicam, ex Cœno & "Fæce Sanguinis, quæ quidem craſſiore quàm illa eſt Subſtantiâ, ſed "multum à Qualitatis Malignitate recedit."——Idem vero rectiùs hanc vocat Χυμὸν μελαγχολικόν.

Has idcirco Bilis atræ Differentias protuli, nequis, ejus Species malè confundens, me de Bile mitiore, ſeu potius Succo *melancholico*, ea denarrâſſe exiſtimaret, quæ de Bile atrâ, acidâ, ſolummodò vera ſunt.

Tanta, tamque gravia, Hominibus accidunt mala, ex immodico & perlongo Fructuum ὡραίων Uſu, eorumque Succo, nec fermentato probè, nec bene defæcato; Pomorumque præſertim, quæ non ſolùm Succum habent acidum valde, ſed & auſterum inſuper.—Hunc autem longa, ac debita, Fermentatio Potum reddit jucundum ſanè & ſalutarem. Perpetuo enim & inteſtino Fermentationis Motu Sales *tartarei* craſſiores comminuuntur maximè, &, ſubtiliſſimi tandem facti, ad

per-

permeanda vel minima Corporis Vaſcula apti redduntur.——Cum verò Particulæ alicujus Momentum, in aliud impingentis, à Quantitate & Velocitate conjunctim oriatur, minima Corpuſcula leviſſimo Impetu feruntur, ni moveantur ociſſimè: Sales ergo, valde ſubtiles facti, leviter tantùm irritant Nervos, eoſque titillant potius quàm lacerant.——Præter hæc crudum muſti Oleum attenuatur maximè, Salibuſque *tartareis* intimè conjunctum, iis Vaginulas quaſi ſulphureas præbet: ita tandem Pomorum *Tartarum* fit veluti Sal quoddam *volatile* oleoſum, & Liquor pomoſus gratus valde Potus & ſatis ſalubris.

Vix utique datur ad *alcalinam* Acrimoniam præſtantius Remedium: Nihil magis, aut efficax, aut jucundum, Nautis *ſcorbuticis*; nam fœdis eorum Ulceribus brevi medetur, ac Putredinem Gingivarum fœtidiſſimam delet prorsùs: plurimos certè vidi, à Navigatione longâ teterrimis obſitos Ulcuſculis, & Lue *ſcorbuticâ* tantum non confectos, ſolo Uſu Pomorum, mox reſtitutos.——Ac nullus dubito, quin generoſum *Pomaceum* foret ſaluberrimus Potus ad Indias navigantibus: imò plures jam ſatis experti ſunt ſalutares hujus Effectus.—Hoc habeo etiam addendum, quod, ex quo, apud omnes fere Noſtrates, tanto fuit in Uſu, evanuit pene & tetra Scabies & horrida Lepra, quæ Oras has maritimas olim infeſtaverunt maximè, Cornubiam potiſſimùm.

Res nunc & Ordo poſtulant medendi Methodum.

Quod ad Sanguinis Miſſionem attinet, utcunque ea ſit neceſſaria prorsùs in Colicâ (uti dicitur) bilioſâ; ac Jure merito, apud *Sydenhamium*, alioſque, primum obtinet Locum, ubi Dolor vehemens, pulſus fortis & citatior, atque Ardor febriculoſus, hanc poſtulabunt, (ne ſcilicet gravis Inflammatio Viſcerum accederet:) in hoc tamen, quem jam deſcripſimus, Morbo, adeò nil prodeſt, ut etiam plerumque noceat. Debilis enim tarduſque Pulſus, & Spiritus graviter oppreſſi, *Symptomata* in hoc Morbo perpetua, Sanguinis Diſpendium vix tolerant, nedum requirunt.——Et vel ipſe Sydenhamius, contra quod in Colicâ bilioſâ præceperat, ubi Morbus colicus Fructibus *horariis*, nimis avidè ingeſtis, Originem debuerat, non niſi poſt ſumptum *Emeticum* & *Anodyna* Venam ſecari juſſit. At certè vix video, cui Bono

Sanguis tunc emittendus ſit, niſi nimia ejus Quantitas, Velocitas, aut Calor, Venæ Sectionem ante omnia poſtulaverint: quandoquidem, niſi Sanguine miſſo, in Corpore *plethorico*, non levi cum Periculo moveatur Vomitus.

Fateor equidem, me antequam Morbi Naturam perſpexeram penitùs, quibuſdam Sanguinis Miſſionem imperâſſe, ad Dolorem nempè atrociſſimum leniendum: at Effectus fuit Opinione longè minor; nam omnes penè in gravem Animi Deliquium inciderunt. Quid quoque hoc efficere potuit in Artuum Dorſique Dolore experiebar, at Succeſſu utique haud meliore, quinimò infauſto utplurimùm Eventu: quibus enim Sanguis largâ manu detractus fuit, omnes fere, *paralytico* Affectu correpti, Vim prorsùs Motumque Manuum perdiderunt, nec Uſum earum, niſi poſt longum Tempus, recuperaverunt tandem; ac quod dolendum certè, aliqui hoc Tempus aduſque Reſolutione Manuum laborant. Ex hoc profectò Errore, vel leviſſimum Accidens fuit diu durans Tumor Pedum hydropicus.——Paucis igitur: Si fortè Venæ Sectio, propter Sanguinis nempe Multitudinem, eſt præcipienda, debet id fieri incipiente Morbo, & priuſquam *Narcotica* adminiſtrantur: nam non in hòc ſolùm, ſed & in omni fere Morbo, perpetuum eſt, quod Ægri faciliùs longe Miſſionem Sanguinis ferunt ante, quàm poſt Opii Uſum.

Quamvis Venæ Sectio huic Morbo rariſſimè conveniebat, Medicina tamen vomitoria fuit ſemper utilis, in Principio utique perneceſſaria: ſive enim *Anodyna* dederis, ſive *Cathartica*, aut Vomitu rejecta protinùs, aut Pituitâ tenaciſſimâ implicata, neutiquam vel Dolorem lenirent, vel moverent Alvum, ſi ea præſertim in Formâ ſolidâ exhibuiſſes. ——Memini profectò me conſultum fuiſſe à Pharmacopolâ quodam Gallico, pro Uxore cujuſdam Pictoris, cui dederat ſaltem (partitis autem Vicibus) Pilul. ex Duobus ʒij, quibus & adjecerat etiam Calomel. ʒſs, eaque omnia incluſerat Potione largâ Infusûs purgantis fortioris; quid inde? Vomuit equidem, parciùs autem, at ne vel minimè reſpondit Alvus. Ego verò *Emeticum* propino ſtatim, hauſtâque dein, pro more, affatim Infuſione Salviæ & Florum Chamæmeli immenſam planè

planè ejecit Quantitatem Muci quam maximè viſcidi, cum ipſiſſimis Pilulis, nullo fere modo mutatis, quanquam plures ante Horas deglutitæ fuerant.

Hîc jam obiter venit notandus Error eorum, qui *Cathartica* reſinoſa exhibent, nec cum Sale aliquo ſolvente, nec Ovi Vitello, commiſta; quæ faciant ut Reſina ſit in Viſceribus diſſolubilis: Si quis enim ſinceram, aut Jalapii, aut Scammonei, Reſinam alicui porrigit, pituitoſis & aquoſis Humoribus in primis Viis abundanti, haud magis Alvum movebit, quam ſi meras miniſtrabat Quiſquilias, & hujus Actionem ita non juvat (quod Vulgus tamen ſolet) juſculi avenacei larga Potatio, ut eam prorsùs impediat.——Plantas ideò reſinoſas, optimè præparatas, porrexit alma Natura Sale nempe proprio ſolvente divites, quem certè, dum Reſinam conficit male feriatus Chemicus, perdit omninò.

Sed è Diverticulo in Viam.——Imprimis itaque, hoc Morbo laboranti, ad hunc Modum præſcripſimus.

℞ Rad. Ipecacuanh. ʒi vel ʒiſs. Sal. Abſynth. ℈ſs. coq. ex Aq. font. ℥iv. ad ℥ij. dein coletur Decoctum, cui adde Aq. Flor. Chamæm. Comp. Syrup. è Spin. Cerv. ana ℥ſs. m. f. Potio emetica.——Ad Vomitum promovendum hauriat affatim Pulli gallinacei Decoctum, vel, quod magis probo, Infuſum Salviæ & Flor. Chamæm.

Emeticum hoc noſtrum, præ omnibus, quæ probavi unquam operando videtur leniſſimum, at detergendo potens ſatis & Effectu certiſſimum; citò enim Vomitum ciebit, nec longâ in Inteſtinis Morâ Tormina creabit: (quod, Ipecacuanh. in Pulvere aſſumptâ, ſæpiſſimè evenit) huic, dum violentius volo, *Tartari emetici* Grana aliquot, aut Cochleare unum, alterumve, Vini benedicti adjicio.

Vomitus hoc Modo provocandus eſt alternis Diebus, vel ad quartam nonnunquam Vicem: cùm etenim maximâ Copiâ Pituitæ tenaciſſimæ obruitur Stomachus, cùm magna Vis corruptæ Bilis eum opprimit, quis Medicinæ Profectus expectandus eſt, niſi hæc expurgantur penitùs? Quod rectiùs longè ſurſum, quàm deorſum, faciendum eſt: licet enim ponatur ea ejici poſſe per inferiora, nonne tamen longè commodiùs per vicinum Os evomenda ſunt, quàm per longum Inteſtinorum iter de-

tur-

turbanda? Quinetiam, dum per Inteſtina depellitur putrida Ventriculi Colluvies, Pars iſtius tenuior ab Oſculis Venarum Lactearum reſorpta, Sanguinem inquinabit, dum Pars craſſior, in Plicis Viſcerum hærens, atrocia excitabit Tormina: atqui ſi omnia expurgari potuerunt, inter deſcendendum tamen Tunicam Inteſtinorum nervoſam cruciarent maximè. Conſtat igitur ineptum eſſe velle per Alvum purgare Stomachi Colluviem.

Nec ſolùm ad hunc Morbum proficit Vomitio, quatenus perpurgat Ventriculum, ſed & inter vomendum Partes Stomacho proximiores concutiuntur & vellicantur maximè: quicquid ita Humoris in Hepate, vel Pancreate, ſtagnaverit exprimitur, ac Vomitu proinde ejicitur.— Cum autem ſtagnando corrumpatur omnis Corporis Humor, atque inde Acritudinem contrahat aſſiduè; ſi per Alvum excernendus foret, tum Inteſtina torquendo, tum Vaſa Lactea ſubeundo, plurima produceret Mala. Vomitione ergò optimè exantlatur Bilis, ſive porracea, ſive atra, utraque in hoc Morbo frequentiſſima.——Quinetiam ſæpe certè notavi, ex peractâ Vomitione, vel ipſos Artuum & Humerorum Dolores ceſsâſſe, pro Tempore ſaltem; ad divini Senis Effatum Lib. ii. Prædictorum, quod ſic reddit Celſus noſter, Lib. ii. cap. 8. "Humerorum Dolores, qui ad Scapulas, vel Manus, tendunt, Vomitu atræ Bilis ſolvuntur."

Cum jam Vomitus conquieverit, quod exhibitis *Paregoricis* citò efficitur, danda ſunt protinùs Medicamenta per Alvum purgantia; iiſque rectiſſimè addenda ſunt *Anodyna:* ſiquidem obſtinata Alvus & Dolor Ventris graviſſimus ſunt in hocce Morbo *Symptomata* perpetua. ——Ideò ubi colicus Dolor ſævit admodùm, *Opiata* Purgantibus adjici debent; nempe ut Dolor reddatur tolerabilis, ut Inteſtinorum Relaxatio deinde ſequatur, atque ut eorum Motus periſtalticus fiat conſtans & regularis, nec interruptus, nec perverſus.——Dolor omnis agit ut Stimulus, vel rectiùs Stimulus ſenſum Doloris excitat: Stimulus autem omnis ad Contractiones concitat Fibras, eaſque in *Spaſmos*, ſi ſit vehemens, adigit. Cum itaque Dolor colicus atrociſſimè urget, Inteſtina in quibuſdam Locis Convulſionibus afficiuntur, & Faſciâ quaſi conſtringuntur, adeò ut, niſi Tormento ſopito, nec Alvus nec

Flatus infrà tranſmitti poſſit: hâc adeò de Causâ, Dolor colicus vehemens ſecum plerumque habet Comitem Alvum valde aſtrictam. Rectiſſimè ergò in omni Colicâ graviore *Anodyna* purgantibus adjiciuntur; nec certè hoc novum eſt, experientiſſimus enim Riverius in Capit. de Dolore colico præſcripſit Aloes ℥i, Scammonei gr. vi, quibus Laudani Opiati adjunxit Grana duo: imò in Obſervatione primâ Centur. 2dæ iiſdem admiſcet Grana quinque Laudani.——At cum id ſe facere ex Auctoritate Hippocratis opinatur, meâ quidem ſententiâ fallitur; nam Vox Μηκωνὶς, in Loco à Riverio citato, non Succum ſomniferum Papaveris (niſi fortè τῆς ἀφρώδεος ſive ſpumei Dioſcoridis, quod vehementer ſatis purgat) ſignificat, ſed Πέπλον, ſive Πέπλιον *, Genus ſcilicet Medicamenti Alvum purgans: hoc idem etiam Μηκώνιον ſignificat apud Hippocratem ſæpiſſimè (niſi quando Epithetum ὑπνωτικὸν adjicitur, ut Lib. ii. de Morb. Mulierum, p. 670. Edition. Foëſii) ita quoque Μηκωνὶς, ſive Μηκωνίτις, à Galeno explicatur in Exegeſi Vocum Hippocraticarum, Μηκώνιον τὸν Πέπλον καλέμενον· ὃν καὶ Μηκωνίτην ὀνομάζει.

Sed ad Rem.——Vomitu peracto, Ego uti ſoleo ſequentibus ℞ Pil. Coch. min. ℈i. vel ʒſs. Calomelan. ℈ſs. Laudan. ſolid. gr. i. Ol. Caryoph. gutt. i. m. f. Pilul. vel ℞ Rad. Jalap. ℈i. vel ʒſs. Spec. Diambr. gr. viij. Calomel. ℈ſs. Syrup. de Spin. Cerv. q. ſ. m. f. Bolus.——Pilulæ autem non ita facilè rejiciuntur——Poſt duas dein, treſve, Horas Senæ Infuſionem, vel Mannæ Solutionem, atque id Genus Medicamenta, præcipio; quibus & interdum adjicio Oleum Amygdalinum, aut Olivarum, niſi ubi Stomacho Oleum valdè alienum eſt. Horum Doſin & augeo & repeto, pro Ratione *Symptomatum:* Hiſce verò pacatur Dolor, relaxantur Inteſtina, ad Dejectiones ſtimulantur leniter, & oleoſis lubrica redduntur. At ſi ne ſic quidem Alvus reſpondet, totum Abdomen foveri jubeo Fomento emolliente, idque potiſſimùm ubi Venter tenſus eſt admodùm & durus, vel *Spaſmo* maximè contractus. Hoc blando Vapore Abdominis Integumenta penetrat, ac Inteſtina ipſa demulcet, rigidas hoc emollit Fibras, eaſque nimis ten-

* Πέπλον καὶ Πέπλιον ἐγγυτάτω μὲν τὴν Ἰδέαν ἀλλήλων ἐς τὸ καθάραι. Ruf. Epheſ.

ſas

as relaxat. Mirandum planè Succeſſum ſæpe notavi ex Applicatione Fotûs hujuſmodi. ℞ Rad. Altheæ, Sem. Lini—Fœnugræc. ana ℥iij. Flor. Chamæmel. M. iij. Capit. Papav. alb. ℥iv. coq. ex Aq. font. & Lact. dulc. ana P. æqual.——At Effectus longè feliciores expectandi ſunt, ſi Æger in Semicupium demittatur ex iiſdem paratum. Mihi, hæc aſſerenti, facilem dabit Aſſenſum quiſquis feliciſſimos Balnei emollientis in Doloribus nephriticis Effectus obſervavit.—Haud rarò profectò vidi ſæviſſimum Paroxyſmum *nephriticum* ſolo Balnei Uſu derepentè ſolutum, cum nec prælarga Sanguinis Miſſio, nec Laudani Doſes, eæque haud mediocres, vel profeciſſent Hilum. Imò permultis didici Experimentis, nihil ad Dolorem ſedandum, ac Calculum per Ureterem demittendum, æquè conducere ac Balneum tepidum & emolliens.

Accidit autem ſæpiſſimè, quod Fæces alvinæ in hâc Colices Specie, valdè indurantur, & in Valvulis Coli hærentes, Flatibus & Stercori Repagula ſunt, adeò ut, dum omnia ibi ſiſtuntur, nihil ultrà tranſmitti poſſit: hâc ſolâ de Causâ ſæpiſſimè oriuntur graviſſimi Dolores, ubi præſertim Inteſtina Purgantibus irritantur. Quamobrem ſi poſt Horas aliquot, ab aſſumpto *Cathartico,* Alvus nihil reddit, oleoſum & emollientem Clyſterem injici præcipio, quo & Inteſtina reddantur lubrica & Stercora molliora: dein (ſi opus erit) Alvus acriore *Clyſmate* duci poteſt.

Si quis alius Morbus, hic profectò, de quo jam agitur, frequentem *Catharſin* Alvumque diu ſolutam requirit: Medicamenta ergò leniter purgantia per Dies aliquot continuos exhibenda ſunt; inter quæ laudo potiſſimùm Rharbarbarum, Pilul. Ruffi, Tinctur. Sacr. quibus ſubindè adjungi debent Calomelanos Grana aliquot. Terebinth. etiam Veneta aut Cypria, Ovi Vitello ſubacta & Aquæ alicui *Cardiacæ* admiſta, Alvum purgat commodè, & plurimum facit ad *rheumaticos* Dolores, Colicen comitantes. Intereà tamen *Anodyna* quædam liberali Manu porrigenda ſunt; neque enim aliter ſæviſſimos compeſcere Dolores, neque iiſdem occurrere potes, recurſuris alioquin promptiſſimè, niſi repetitâ Doſi Lacrymæ Papaveris Tormenta reprimas.—

Quod tamen ad Opii Doſin attinet, nihil certi ſtatui poteſt, cùm ipſiſſima Doſis alterum ſoporet maximè, alteri det contrà dulce furere.

Longam hanc & frequentem *Catharſin*, ut-ut nova videatur, neceſſariam eſſe comprobavit Experientia: Alvus enim aliter mox fieret aſtricta valde, & graviſſima Tormina certo certiùs ſuccederent, ob acres ſcilicet Humores in Inteſtina perpetuò influentes.

Non ſolùm ad hunc Morbum profligandum primas Vias perpurgare neceſſe eſt, diluenda eſt inſuper Sanguinis Acrimonia ſalina: nam ex polluto Fonte haud puri diffluunt Rivuli. Diluentia ergò propinanda ſunt abundè, inter quæ ἄριστον μὲν Ὕδωρ; neque enim aliud datur Salium Solvens, neque magis purum & incorruptum aliquid.—At ex omnibus Aquis laudo maximè Aquam Pyrmontenſem, aut Spadanam: hæc ſiquidem, Principio prædita *Chalybeato*, non tantùm Sales diſſolvit optimè, ſed & *Craſin* Sanguinis firmat, ac Fibrarum Tonum roborat.

Cùm per hæc Sanguis ſit dilutus apprimè, omni Ope evocandus eſt Sudor. Nil verò ad hoc idoneum magis expertus ſum quàm Camphoram, ac divinum illud miſerorum Solamen, Laudanum: his aſſumptis ad Sudores eliciendos largiter calidèque hauriri debet vel Salviæ, vel Roriſmarini, Infuſio, aut, quod Stomacho forſan arrideat magis, Serum Lactis vinoſum.

Qui Conſenſum Inteſtina inter & Cutim, qui fœtidos acreſque Sudores, vel Cuticulam ipſam erodentes, obſervaverat; haud ita multum obſtuperet, videndo tum colicos Dolores, tum *rheumaticos*, poſt Sudationem penitùs fere ſublatos, pro Tempore ſaltem.—Iſtud certè fuit Naturæ Veſtigia premere, cui Medicus, ejus Miniſter, prudenter obſecundare debet: frequenter enim Sudores, ſponte erumpentes, hanc Ægritudinem allevabant admodùm.—Hiſce apprimè convenit Baglivi Aphoriſmus Capit. de Colicâ: "Colica habitualis & endemica, à "Vino acido præſertim oriunda, ſolis ſanatur Sudoriferis; Veſperi "tamen interpoſito anodyno Remedio."—Atqui miror ipſummet Baglivum, in eâdem etiam Sectione, Uſum Opii in Colicâ improbâſſe: ſive enim Sudores moveat, ſive non, in vehemente Colicâ perneceſſarium eſt, ac longè longèque anteferendum Pulveri Foliorum Ficûs

ſylveſtris, utcunque ſit in Terrâ (quod permagni eſt haud dubio) non in Muro nata, & licèt cautè (quod præcipit) Foliis Ulmi admixta.—Sed *quandoque bonus dormitat Homerus.*—Sudores equidem non ſunt Paralyſeôs Cauſa, ſed Effectus: cum enim Materiæ morbidæ *Metaſtaſis* in Genus nervoſum facta eſt, vel Reſolutione, vel Convulſione, afficiantur Nervi neceſſe eſt. Relaxatis ideò Nervis ſubcutaneis, per patula nimis & hiantia Cutis Emiſſaria diffluunt Humores (quod in moribundis etiam eandem ob Cauſam obſervatur:) quid quod & Sudores diu poſt ortam Paralyſin durant.—Mihi certè videtur Corpus reticulare Malpighii (ſi mavis Ruyſchii) eum ob Finem effectum fuiſſe, ut foret quaſi Sphincter univerſalis Ductibus Sudoriferis, per ſua Foramina emiſſis; dumque conſtringitur fortiùs (quod Cute Aëri frigido expoſitâ accidit) tota Cutis, Puſtulis quaſi aſpera corrugatur, & Cuticulæ anſerinæ inſtar evadit: dum verò relaxatur nimium, profluunt Sudores. Sed hæc hactenus contra Doctrinam Baglivi.

Poſt Sudationem Diluentia, præ cæteris autem, Aqua quædam ferruginea, ſi ea non eſt, quàm puriſſima, iterum præſcribenda ſunt, diuque epotanda; ut corruptæ nimirum nova puraque Materia admiſceatur, ut debitus ſervetur Sanguinis Fluor, & ejus corrigatur Acrimonia. Nec verò intereà omittenda ſunt, quæ & imbecillum Stomachum juvant & Viſcera confirmant: ſic tamen ut ſubinde aſſumi debeant Rhabarbarum & Tinctura Sacra, (quæ & ipſa Inteſtina corroborandi Facultatem habent, eaque expurgant commodè) ne in illis ſcilicet coirent acres aliqui Humores—Idcircò Pulveres (utì dicuntur) teſtacei ad hunc Morbum proficiunt, quod acres abſorbeant Humores; at niſi ſalem. Abſynthii, aut Tartari fixum admiſces iiſdem, ac Rheum barbarum, vel ἐκκοπρότικα quædam ſubinde exhibes, eorum uſus non diu continuandus eſt; ne in Canali Inteſtinorum, diu morando, in lapideam penè abirent Duritiem. Quod ſanè plus ſemel obſervavi, in Puerulo præſertim Aurificis cujuſdam, cui, ob *Teſtacea* plurima exhibita, Alvi Fæces in tantum erant induratæ, ut exſiccatum Gypſum planè referrent, illaſque ex Ano, ope Inſtrumenti, neceſſe eſſet extrahere.—Hoc de *Teſtaceis* exhibendis Præceptum, niſi ubi cita

Alvus aliquos exercet, perpetuum eſſe debet. Tutiùs ideò, imò & efficaciùs longè, ad acidos corrigendos Humores datur Aqua Calcis vivæ tenuiſſima, maximè idoneis imbuta *Stomachicis*, quæ & Acidum in primis Viis, ac in Sanguine delet.

Quæ ad Dolores *rheumaticos* expugnandos, cùm Morbus Artus invaſerit, utiliſſima probavi, fuere Cinnabarina, Gummi Guaiaci, Tinctura Antimonii, Potiones è Terebinthinâ, aut è Balſamo Copaybæ, quæ quoque ad paralyticas Affectiones plurimum poſſunt. Sed ante omnia fere, minuta Calomelanos Doſis, repetita ſubinde; quod, ſi octavâ, vel decimâ, Vice ſublimetur, nobiliſſimum ad plures Morbos evadit Remedium: idque, ad Grana duo, triave, ſcilicet, præſcripſit eruditiſſimus noſter *Muſgravius*, ὁ μακαρίτης, Aſclepiadeæ Familiæ, dum viveret, egregium Decus & Ornamentum.——Calomelano frequenter adjicio Camphoræ pauxillum, quæ, ex Particulis longè ſubtiliſſimis conſtans, anguſtiſſimos Corporis Canaliculos penetrando, Pennaſque quaſi *Mercurio* addendo, Vires ejus intendit maximè. Quinetiam eadem Camphora corrodentem *Mercurialium* Præparationum Qualitatem delenit, earumque Spicula obtundit: quod probè jamdudum novit *Bateus*, eandem, in Præparatione Mercurii præcipitati griſei, Turpetho minerali addendo. Utiliſſimas quoque *Mercurii alkalizati* Dotes probavi nuper, addo & tutiſſimas.

Porrò ad crudeliſſimos *Rheumatiſmi* Cruciatus, eoſque diu permanentes inter Scapulas præcipuè, nihil magis prodeſſe novi quam *Veſicatoria* ſuperimpoſita; quæ ad Paralyſin etiam præcavendam, eamque, ſi jam facta fuerit, profligandam, maximè faciunt. Membra autem reſoluta, totaque Spina Dorſi, à ſummis Cervicibus Os Coccygis aduſque, Galbaneto Paracelſi (quod apud Cratonem, vel Riverium vide) aut quod, me Judice, melius eſt, Balſamo Galbaneto Hartmanni perfricanda ſunt, adjectâ quoque Camphorâ: habet id utique Vim penetrandi & aperiendi maximam. Eſtque hoc inſuper utile Remedium, ubi Abdomen vehementer extenſum eſt, aut Spaſmo maximè contractum: totus autem Venter eo inungi debet poſt Fomentationem idoneam. At notandum! melius longâ & clauſâ Digeſtione, quàm

Deſtillatione, (quod vulgò faciunt) præparatur: deſtillatum ſiquidem magis *cauſticum* eſt, & nonnunquam, ſi ſit tenerior præſertim, erodit Cutim. At ſi Umbilicus excoriatur, difficillimè utique ſanatur, ac diſcruciat maximè: quod quoque caveri certè debet, cùm Emplaſtra de Galbano, vel *hyſterica* dicta, medio Abdomini admoveantur; Umbilicum nempe obtegendo involuto Serico.

Cùm Dolores colici & *rheumatici* ceſſaverint paululum, tum demum uti Cibo pleniore oportet, ſed neque in lante neque valido, ne Viſcera adhuc imbecilla lædantur. Conveniunt potiſſimùm *Gelatina* de Sago, è Cornu Cervi raſo, ſeu, quæ faciliùs paratur, de Pedibus vitulinis, Ova ſorbilia, *Panatellæ*, atque id Genus alia, quæ per totum etiam Morbi Decurſum, parciùs aſſumpta, ad Vires reficiendas utilia ſunt.—Potui nihil dari debet præterquam Aqua pura, aut *chalybeata*, Vini albi verò generoſi pauxillo ſubinde adjecto; nam ſive quid flatulentum, ſive acidum eſt, id huic Morbo affectis alienum eſt maximè: facile enim redire conſuevit ex leviſſimo Diætæ Errore.——Porrò ad *Craſin* Sanguinis reſtituendam, & confirmanda Viſcera, *Chalybeata* quædam *Stomachica* idonea ſunt maximè: Infuſione ſequente utor ſæpiſſimè. ℞ Radic. Gentian——Galang. ana ℥ſs.—Zedoar.—Calam. aromat. Cort. extern. Aurant. Hiſpalenſ. ſicc. ana ℥iiſs. Caryoph. Indic. ʒii. Chalyb. cum Tartaro ppt. ℥iii: hiſce affunde Vini alb. Olyſſiponenſis ℔iiiſs, Aq. Abſynth. Comp. ℔iſs. f. Infuſio clauſa per Dies ſaltem duodecim, in Vaſe vitreo, id ſæpiùs agitando.—Ubi Viſcera infirma ſunt, & pituitoſa Colluvies redundat, maximè conducit hocce Medicamentum, minimè tamen alienum eſt Stomacho.—Semina Cardui, in Tincturâ amarâ Chalybeatâ *Loweri*, ingratum admodùm Lentorem fundunt; neque aliquid Gentianæ, præter Nomen, eſt in Aquâ Gentianæ compoſita, quam recipit Infuſio Loweriana.

Ultimum in hoc Morbo Auxilium Equitatio eſt: neque enim ulla Res Viſcera magis & Inteſtina confirmat. Ea ſiquidem, vario admodùm, ac frequentiſſimo Corporis Succuſſu, totum Abdomen concutit leniter: quicquid adeò Inteſtinis hæreat, Preſſu & Agitatione continuâ depellit; quicquid Lentoris in Vaſculis ſanguineis retardetur exprimit,

Cir-

Circuitum Sanguinis per Vaſa *meſenterica* & Venæ Portæ Ramulos promovet maximè, ubi Sanguinis Curſus tardiſſimus eſt. Sanguinem itaque partim Vi Morbi, partim longâ ibi Morâ, concretum fere perpetuâ velut Conquaſſatione diſſolvit. Obſtructiones adeò Glandularum Hepatis, Pancreatis, Meſenterii, Inteſtinorum, expedit; porrò Actionem Splenis, Jecinori inſervientis, multum adjuvat. Plurimis denique conſtat Experimentis, *Perſpirationem* maximè augeri Equitatione: ita noxios Humores in aliam Partem avertendo, ac per Cutim eliminando, non in hoc ſolùm, ſed & in omni fere Morbo *chronico* prodeſt. Profectò quos vix operoſa Medicina ſervavit, ſola utique Equitatio reſtituit penitùs: cùm igitur Equo inſidere valet Ægrotus, eo guadet quotidie, *Vireſque acquirat eundo.*

Hæc quæ conſcripſi modò de Ratione medendi Morbo colico Damnoniorum, haud malè fortaſſe accommodari poſſunt Colice Pictonum dictæ, Indias Occidentales infeſtanti ſæpiſſimè: quæ ex eâdem fere Cauſâ pendens, nimio nempe Uſu acerbiſſimi Limonum Succi, Curam forſan haud abſimilem poſcit.

OBSER-

OBSERVATIONUM

DE AËRE, &c.

VOLUMEN ALTERUM.

PRÆFATIO.

PERFECI tandem Obſervationum *de Aëre & Morbis Epidemicis* Volumen alterum (ab Initio ſcilicet Anni 1738 ad Exitum uſque 1748) in quo quidem eodem uſus ſum Ordine, atque Notis, in priore deſcriptis *.

Quàm fuerunt plena Laboris hæcce Opera ſolus ille nôrit, qui talia conſcripſerit—Lubentiùs autem ſecundum hoc Opus ſuſcepi, quòd & prius Publico bene acceptum perceperim, & mihi porrò, id meditanti, haud inutile—Dum enim Cœli atque Aëris Mutationes notarem diligenter, varioſque Morbos has conſequentes, eorum ſanè Cauſam, ac Naturam, multò meliùs dignoſcebam; quales enim Tempeſtates, tales etiam ſunt Morborum Conſtitutiones, ſicut notavit olim *Hippocrates* †, & fida dudum docuit Experientia—Multus ideò eſt divinus Senex in præcipiendo diligentem Aëris atque Tempeſtatis Obſervationem, optima quinetiam dedit Exemplaria, præcipuè in Libro primo & tertio *Epidemicorum*.

Hujus etiam Laboris aliud mihi fuit Incitamentum: quoniam ſcilicet Obſervationes hujuſmodi, quæ per longam Annorum Seriem, uno eodemque Loco factæ ſunt, meliùs longè iſtius Regionis *Atmoſphæræ* Conſtitutionem, Morbos vulgares, eorum Succeſſiones, Relationes, imò & curandi Rationem oſtendunt, quàm ſi per unum ſolummodò, alterumve Annum detur Hiſtoria: monet ideò rectiſſimè cla-

* Porro in Volumine 2do notavi, quolibet Menſe, Diem novæ, necnon plenæ, Lunæ.

riſſimus

riſſimus *Ramazzini*, "Nil foret in Arte medicâ utilius, quàm ſucce-"dentes ſibi ad invicem Conſtitutiones conferre, ut recta medendi "Methodus inſtitui poſſet, quoties eadem Tempora, ac iidem Morbi, "recurrerent *"—Paulò etiam ultrà proceſſit expertiſſimus *Hoffman*, hortando nimirùm ardenter "Omnes & ſingulos Medicorum corda-"tiores, quibus Curæ Cordique Salus Hominum eſt, ut in annotan-"dis Morborum Hiſtoriis, ſi epidemii Morbi graſſantur, & diligen-"tiſſimi & accuratiſſimi ſint; & quiſque in ſuo Loco Temporum & "Tempeſtatum præcedentium, & præſentium, Conſtitutionem, item "in Barometro Mercurii Motum, ac Gradum Caloris ex Thermo-"metro, ſimul adjiciant, integraſque & plenas Hiſtorias cum Methodo "curandi & Eventu exhibeant †."

Noſtram profectò ad Vitam ſuſtentandam omnium maximè neceſſa-rius eſt Aër, cæteris utiquè per plures Horas carere poſſumus, hoc ne vel Tempore quàm breviſſimo—An igitur purus ſit, vel impurus, ſummi procul Dubio eſt Momenti, ejuſque adeò bonas, necnon pravas Qualitates ‡, probè perdiſcere debet Medicus.—Aëris autem Nomine hìc volo Terræ *Atmoſphæram*, non merum, utì dicitur, Elementum: quæ cum ex variis admodùm Rebus componatur, variis etiam Modis officere nobis, ac proficere, poteſt—Diverſæ ergo hujus Conſtitutiones, tum ad Sanitatem tuendam, tum ad Morbos depellendos, aſſiduè ſunt obſervandæ.

Res erit Exemplo clarior—Sicca valdè & frigida Tempeſtas, perflante diu Boreâ, aut Aquilone, Corporis Habitum conſtringit, Fibras roborat, Vaſcula arctiora & fortiora facit, Humores etiam magis denſos; porrò Globulos ſanguineos accumulat, & compingit validè; *Celſi* Verbis, totum Corpus ſpiſſat, & mobilius atque expeditius reddit; ideòque, ex *Hippocratis* || Opinione, omnium Ventorum Aquilo

* Conſtitut. epidemic. urban. 1691, ipſo Initio.

† *Frid. Hoffman.* Medicin. rational. Syſtemat. Edit. *Francofurt.* 4°, 9 Vol. 1738, Patholog. general. Part. 3, Cap. 7, p. 430, Tom. 2°.

‡ Haud pauca de his dixi in Prolegomen. ad Vol. I. *de Aëre*, &c.

|| Lib. de Morbo Sacro, Sect. 15. Edit. *Vander Linden Lugdun. Batav.* 2. Vol. 8. 1665.

eſt

eſt ſaluberrimus—At ſi diutiùs talis perſtat Tempeſtas, ſolida fiunt ſtricta perquàm, & *elaſtica* nimìs, Fluida verùm craſſa valdè & glutinoſa, imò ad Vaſcula minutiſſima permeanda multò minùs idonea; namque non tantùm Humoribus inducit Lentorem, ad Inflammationes aptum, ſed & ità quoquè condenſat rubros Sanguinis Globulos, ut difficillimè per ultimos Arteriarum Ramuſculos promoveantur; duros nempè plus æquo, & haud facilè Formam rotundam in oblongam mutantes ad Tranſitum ſcilicet faciliorem; cum & jam etiam ipſæ *Arteriolæ* à Frigore coarctantur & Diſtentioni reſiſtant plurimùm.—Hinc Obſtructiones, hinc Inflammationes, Pleuritides, Peripneumoniæ, Anginæ, *Rheumatiſmi*, Morbi denique, qui à craſſo, viſcido, ac inflammato Sanguine pendent, prævalidâ Vi Cordis & Arteriarum adacto: quò magis etenim arctantur à Frigore Vaſa, quò magis *Atmoſphæræ* comprimuntur Pondere, eò velociùs, cæteris paribus, moventur contenti Humores, unde Frictio major, ac proinde Calor; quæ tandem Sanguinem incraſſant & condenſant maximè——Certa hæc ſunt omnia & conſtantia, Sanguis enim, tali perdurante Aëris Conſtitutione, denſus eſt admodùm, atque glutinoſus plerumque, vel ſi è Saniſſimis emittitur, multò magis ubi Febris accedat.

Verùm enimverò nec protinùs oritur morbidus hic Lentor, nec in omnibus, fit namque gradatìm, cùm diu nimirùm regnaverit aquilonia & ſicca Tempeſtas, neque enim intereſt quales Dies ſint, ſed & quales etiam antè præceſſerint.—Atqui laxis nimiùm & pituitoſis Hominibus adeò non nocet hæcce Conſtitutio, ut vel ſit apprimè utilis, firmos hos magis, ac vegetos, efficiendo; una ſic Naturâ, Præceptore optimo, notante *, ad Hyemem, alia ad Æſtatem, benè aut malè ſe habet.—Hinc inſuper eſſe videtur quòd una Febris *epidemica* fortibus eſt funeſta & robuſtis, parcitque imbecillis, alia verò, ſub humido tepidoque Cœlo nata, in hos teneros maximè ſævit.—Ex magnis igitur *Atmoſphæræ* Mutationibus vel mutatur maximè Morbus popularis, vel ſupprimitur prorsùs; quòd perſæpè videmus.

* *Hippocrat.* Aphoriſm. 2. Sect. 3

Ad Mala autem ſiccæ & frigidæ Tempeſtatis præcavenda (imò & tollenda) utendum eſt multâ, diluente, emolliente, tepidâ Potione, Victuque molli & relaxante, neque unquam antè progredi quis debet quàm tepidum aliquem Potum aſſumpſerit, ſive Pedibus, ſive Equo, eundum eſt contra Ventos aquilonares; at ſi inhorreſcat aliquis indè, ac febricitet, mittendus eſt actutùm Sanguis, potiſſimùm ſi Thoracis, aut Lateris, Dolor impetat: idque ſanè mox repeti debet ſi Febris invaleſcat—Hoc utiquè perpetuum eſt quòd Sanguis nunquam tutiùs, aut feliciùs, in Morbis acutis mittitur, quàm frigidas inter & ſiccas Aëris Conſtitutiones, altiùs perſtante *Barometro:* nec in Pleuriticis ſolùm & Peripneumonicis conſentaneum hoc eſt, ſed in aliis plurimis, utpotè *Variolis*, *Morbillis*, *Rheumatiſmo*, Colicâ, &c.—imò in ipſis Febribus intermittentibus, quotidianis putà, ac tertianis, opportuna tunc ſæpe eſt Venæ Sectio, per Initia ſaltem, ex facili aliter in continuas ardentes, aut *inflammatorias*, haud rarò mutantur.

E contrario, humida tepidaque *Atmoſphæræ* Κατάστασις Fibras relaxat nimiùm, Vim Vaſorum enervat, Sanguinem debito ſolutiorem, pituitoſum, inertem facit, totumque Corpus hebes, humidum, languidum, Febribus lentis, putridis, intermittentibus longis, obnoxium—Hìc ergo contraria prorſus Diæta, atque Medicina, eſt adhibenda; quæ ſolidas Corporis Partes firmare, quæ Fluidorum *Craſin* conſervare, quæ validè compingere Globulos ſanguineos poſſint, indicantur; Potus nempè ſubauſterus, frigidus, generoſus, Victus valentior, deſiccans, aſtringens, Balneum frigidum, ejuſque Generis alia.—Ad hujus autem Conſtitutionis Febres parùm utiquè confert Sanguinis Detractio, quinimò nocet admodùm, ſi ſit effuſior, oriuntur namque ab imminutâ Cordis & Arteriarum Potentiâ, à laxâ nimiùm Sanguinis Texturâ, & lenteſcente Lymphâ; tendit hinc ad *Staſin* atque Putredinem Liquidum Vitale, unde Febres intermittentes, lentæ, putridæ, malignæ, hujus Tempeſtatis ſemper ſunt Soboles; in quibus equidem curandis, quæ Vires foveant deſiderantur, quæ minuant neutiquàm—Sæpiſſimè etiam, dum talia permanent Tempora, quotidianæ, ac tertianæ, in

longas continuas putridas Febres degenerare ſolent, haud levi cum Ægrotantium Periculo, quas ſi tandem effugiant in Icterum, atque Hydropem, incidunt plerumque.—Nunquam profectò citiùs, neque feliciùs, * reſtituuntur Ægrotantes, quàm ſudo effulgente Cœlo, altèque in *Baroſcopio* ſtante *Mercurio*; hoc ego obſervavi conſtanter, idemque olim notavit percelebris *Frid. Hoffmannus*, in Medicinâ faciundâ diutiſſimè verſatus, lentiſſimè contrà convaleſcunt, dum nubilis perflat ac pluvioſus Auſter.

Cæterùm & haud parùm inſalubris eſt gelidus humidùſque *Atmoſphæræ* Status, multis quippè Modis obeſt, præcipuè frigidos inſinuando in Corpus Humores, atque *Perſpirationem* inhibendo plurimùm †—benè tunc nobis cingendum eſt Veſtibus, luculento etiam Foco, debitoque Vitæ Regimine, ab algidis Vaporibus, quantum poſſibile, cavendum eſt; omnibus denique Modis *Perſpiratio* eſt promovenda, inter quos frequens totius Corporis Frictio ad Ignem confert plurimùm, necnon Exercitatio quotidiana ‡, eaque etiam paulò fortior.

Semper adeò pugnare debemus contra peculiarem Aëris Intemperiem.

Eluceant magis forſan, quæ dixi ſuprà, ſi Morbos *endemicos* perpendamus; horum namque Pars longè major haud Dubio naſcitur à ſingulari cujuſque Loci, ubi infeſtant, *Atmoſphæræ* Depravatione; in Locis videlicet cavis, paluſtribus, uliginoſis, graſſantur ſemper Febres lentæ, putridæ, intermittentes irregulares, quæ nullis ferè cedunt Remediis, niſi mutato prorsùs & Loco & Aëre, ibi quoniam *Atmoſphæra* humidis perpetuò & noxiis abundat Vaporibus, qui Vim Fibrarum debilitant, *Perſpirationem* ſupprimunt, corrumpunt Humores —ideòque ſi quis Advena, udis in his Locis, craſſoque verſatur Aëre,

* Neque ſolùm in bono Tempeſtatum Habitu certior valetudo eſt ſed pejores morbi quoque ſiqui inciderint, leviores fient, & promptius finiuntur. Celſus, Lib. i. Cap. 1.

† Vel paucæ ſubitaneæ Nubes ſub fervido Cœlo Perſpirationem impediunt plurimùm. Vid. Obſervat. accuratiſſimæ *Joh. Lining*, M. D. *Philoſoph. Tranſact.* N°. 470.

‡ Quantum promovet Perſpirationem. Vid. elegantiſſima Experimenta *Georgii Rye*, Armigeri, in Medicinâ Staticâ Hybernicâ; ad Calcem Libri Doctiſſ. D[ris] *Rogers* de Morbis epidemicis.

per Dies vel pauciſſimos, certò ferè certiùs ægrotabit—ſi retentum namque *Perſpirabile* nec per Alvum, nec per Urinam, neque per ipſos Cutis Meatus, intra perbreve Tempus expellitur, Febris * mox creat plùs minùſve; eòque fit gravior, quò major fuerit retenti Quantitas, quò acrior Qualitas ejuſdem †.—Æſtate igitur vel Autumno, magno dum Calore acriores multò facti ſint Humores, intercepta *Perſpiratio* maximè nocet.

Contrà qui Montes habitant aridos, Aquilonem ſpectantes, Febribus *inflammatoriis* Pleuritide, Peripneumoniâ, Anginâ, affliguntur plurimùm: Has utique in Locis editioribus frigidis, Septentrioni expoſitis, crebrò notavi eſſe perfrequentes, cum per Valles autem rarus fuerit admodùm aliquis Pectoris Morbus—Quid quod & interdum vidi Febrem *Catarrhalem epidemicam*, *Pleuro-peripneumoniæ* Naturam induiſſe per Loca montoſa & algida, dum in humilioribus ad lentam proximè (ſeu *nervoſam* ut dicitur) Febrem acceſſit—Hinc equidem haud obſcura videtur Ratio, cur uno, eodemque, regnante Morbo populari, variis in Locis, diverſus celebratur Modus medendi.

Sed & hìc quoquè Ratio Ventorum habenda eſt plurimùm, *Atmoſphæram* quippe maximè mutant: Boreas nimirùm ſiccam, frigidam, ac ponderoſam, facit; Auſter verò humidam, levem, atque tepidam: magnam adeò Vim habent Loca reddendi ſalubria vel inſalubria & diverſo planè Modo afficiuntur Incolæ, hoc perflante, vel illo, Vento—Qui frigidis ergo læduntur & ſiccis, humectare, ac tepidâ ſubinde Potione fovere, Corpora debent, qui humidis ſiccare; ſemperque peculiari Aëris Inclementiæ Victu, Regimine, atque Medicinâ, obſiſtendum eſt—Neque hoc ſolùm, ſed & noxios adverſus Ventos, quantum fieri poteſt, muniendum eſt, Ædificia ſcilicet extruendo ſic, ut quàm minimè ſint objecta Flatibus pernicioſis—Peſtilentiæ quondam, Corcyræ graſſanti, occurrebat *M. T. Varro*, occluſis Feneſtris Auſtrum ſpectantibus, aliis ad Arctum apertis ‡—Magna ſanè fuit Priſcorum Diligentia in

* *Sanctorii* Aphoriſm. 11. Lib. 1.

† ——— ——— 46. ibid.—35. Sect. 2.

‡ *Varro* Lib. 1. Cap. 4. inter Scriptores de Re ruſticâ, ex Edition. *Geſneri. Lipſiæ*, 1735. 2 Vol. 4°.

Ædibus

Ædibus condendis & Oppidis, ut proſpera foret Incolarum Valetudo; Viſcera etiam Animalium, iis in Locis paſcentium, ubi Ædes ponere ſtatuebant, ſedulò perſcrutabantur, an nempè ſana eſſent, vel inſana; atque ità proſpiciebant futuræ Habitantium Saluti, omnibus Modis quærentes Salubritatem *—Nunc verò Dierum, in Ædificationibus, plerumque pluris æſtimatur Lucrum atque Mercimonium, quàm Salubritas—de quibuſdam herclè, ut de Mitylene olim *Vitruvius* †, verè dicendum eſt, "Auſter cum flat Homines ægrotant, cum Corus "tuſſiunt, cum Septentrio reſtituuntur in Sanitatem, ſed in Angiportis "& Plateis non poſſunt conſiſtere propter Vehementiam Frigoris"—Haud pauca Ædificia quidem in Convallibus paludoſis ità malè locata ſunt, ut nunquam non Morbis infeſta ſint; quorum Poſſeſſoribus utiquè Conſilium commendo laudati *Varronis* ‡, "ea vendant quot "Aſſibus poſſint, aut, ſi nequeant, relinquant."

Sed hæc obiter; qui vult plura de Situ Locorum adeat magni *Hippocratis* Librum *de Aëre, Aquis, & Locis*; porrò Librum ſecundum de *Diætâ*, ubi etiam de diverſorum Ventorum Naturâ—perplurima certè in his lectu ſunt digniſſima.

Quanquam aliquæ Febres *epidemicæ* à Contagione ducant Originem, oriuntur attamen plures ab Intemperie Aëris manifeſtâ, neque enim probabilis magis videtur communis Morbi Cauſa, quàm ipſe Aër omnibus communis—Per humidas equidem tepidaſque *Atmoſphæræ* Conſtitutiones, permanentes diu, Febres lentæ, putridæ, malignæ, ſemper graſſantur, ſicuti obſervavit tota Medicorum Schola ab ultimâ Antiquitate ad hoc uſque Tempus; nec profectò ceſſant tales niſi omninò mutatâ Aëris Temperaturâ, quod etiam perſæpè ſupprimit brevì ipſas contagioſas: —imò ipſæ Peſtilentiæ utplurimùm occurrit ſiccum Frigus hybernum; frequenter autem nimìs, ſub humido calidoque Cœlo, Vim maximam accipit.—Atque Ego quoque novi ſæpiùs Febres pu-

* *Vitruv.* Edit. *Philandri*, 4°. Lib. 1. Cap. 4.

† *Vitruv.* Edit. *Philandri*, 4°. Lib. 1. Cap. 6.

‡ *Varro* de Re ruſticâ, Lib. 1. Cap. 12.

tridas,

tridas, malignas, per æſtuoſam ac nebuloſam *Atmoſphæram*, tum Vi, tum Numero, auctas maximè, mox tamen, ſicco flante Boreâ gelidoque, extinctas penitùs—Imò ipſæ Procellæ ſæpe juvant admodùm morbida diſſipando *Miaſmata:* haud minùs corrumpitur ſtagnans Aër, quàm Aqua ſtagnans, quæ citò, niſi movetur ſubindè, putreſcit.

Quidam inſuper Morbi ſingulis Anni Tempeſtatibus reſpondent, Pleuritides nempè, Peripneumoniæ, Anginæ, tertianæ Febres, Tempori verno, Autumno autem quartanæ, putridæ, malignæ, Cholera, *Dyſenteria*; quod nimirùm ſolita, iſtis Temporibus, Aëris Diſpoſitio his producendis Morbis, aut illis, faveat—Atqui ſi intempeſtivè ſe habuerint Tempeſtates, Morbi proindè variabuntur maximè ita ut iſti, qui Autumno ſunt proprii, per calidùm humidumque Ver dominari poſſint, per Autumnum verò frigidum Febres Veri magis peculiares, utpotè Pleuritides, Peripneumoniæ *, *&c.*—Sed plerumque in Febribus autumnalibus, qualeſcunque ſint, Humores longè magis ad Putreſcentiam tendunt ob prægreſſam Æſtatis Calorem, nec adeò largum admittunt Sanguinis Diſpendium.—Suppreſſa, ex ſuſcepto Frigore, *Perſpiratio* Vere Febres *inflammatorias*, Autumno putridas plerumque, aut malignas, generat †—imò ſi, per Autumnum, infeſtant Alvi Fluxus, multò magis acres ſunt, ac bilioſi, quàm Tempore verno, ut ſatìs ſuperque Medicis notum eſt—Æſtatis ſiquidem Ardor *Perſpirationem* auget maximè, Corporis humidiſſima difflat, Sales Oleaque animalia exaſperat, undè naſcitur ſenſìm magna Sanguinis Acrimonia; quæ ad Autumnum uſque increſcit, niſi diluentibus idoneis, atque demulcentibus, temperatur quotidie.

Sed audi de his Rebus Coum Oraculum ‡, Naturæ Interpretem:—“ Omnium Generum Morbi profectò omnibus Temporibus fiunt,

* *Hippocrat.* Lib. *de Humor.* Sect. 7.

† *Sanctor. Aphor.* 35. Sect. 2.

‡ Citavi plerumque *Hippocratem* ex Editione *Lindeni*, non quòd hanc valdè probo (nam *Foëſianum* huic longè antefero) ſed quia Textum *Hippocraticum* in varias diſtribuit Sectiones; quo faciliùs inveniuntur Loca citata.

qui-

"quidam verò in quibuſdam magis gignuntur, & exacerbantur, *Aphor.*, "19°. Sect. 3.—Qualia Tempora (Ὧραι) tales Morborum Conſtitu- "tiones—Tempora tempeſtiva, & benè ordinata, Morbos regulares "(εὐςαθέας) & judicatu faciles faciunt. Lib. *de Humorib.* Sect. 7. & "*Aphoriſm.* 8. Sect. 3—Atqui, prout variaverit Tempus, ſimiles, aut "diſſimiles erunt Morbi, qui in hoc oriuntur, Lib. 1. *de Humor.* Sect. "7.—Converſiones Temporum * (Anni) maximè pariunt Morbos, & "in ipſis Temporibus magnæ Mutationes, Frigoris putà, aut Caloris; "& ſic de cæteris, *Aphoriſm.* 1. Sect. 3. Lib. *de Humorib.* Sect. 8.— "Conſtitutiones Hominum aliæ ad Æſtatem, aliæ ad Hyemem, benè "aut malè ſe habent, Morbi porrò ad Tempora, *Aphor.* 2. 3. Sect. "3. Lib. *de Humor.* Sect. 8.—In Anno autem aliquando Hyems ma- "ximè prævalet, aliquando Ver, modò Æſtas, modò Autumnus, Lib. "*de Natur. Homin.* Sect. 16.—Hyeme Pituita in Homine augetur, "ibid. Sect. 12—Vere Pituita magis dominatur, at Sanguis increſcit, "ibid. Sect. 13.—Æſtate Sanguis adhuc viget, ſed & Bilis exaltatur; "per Æſtatem etiam, ac Autumnum, Bile Corpus abundat; Autumno "autem atra Bilis plurima eſt & fortiſſima, Sanguis verò parciſſimus, "ibid. Sect. 14."

Quicunque Morbi Hyeme augeſcunt, Æſtate ceſſant, qui per Æſtatem increſcunt, deſinunt Hyeme, Lib. 3. *Epidemic.* Sect. 3 & *de Natur. Hominis,* Sect. 17.—Sin autem diu productam Hyemem inſequitur Ver perfrigidum, hyberni fiunt Morbi, Tuſſes, Peripneumoniæ, Anginæ:—quinimò ſi Ver proceſſerit More Autumni Morbum regium producit, licèt propriè ſit Morbus autumnalis, Lib. *de Humor.* Sect. 7.—Siquidem verò hæc, vel illa, Anni Conſtitutio duraverit, diutiùs, Morbi huic congruentes diutiùs quoquè permanebunt, atquè eò erunt fortiores, quò magis prævaluerit & perduraverit Tempeſtas peculiaris; etiam & communiſſimi graſſabantur, & perlongo Tempore perſtabunt, *Aphoriſm.* 7. Sect. 3. Lib. *de Humor.* Sect. 9.—Ex Anni Conſtitutionibus Siccitates (Αὐχμοὶ) ſunt pluvioſis ſalubriores, ac minùs

* Αἱ Μεταβολαὶ τῶν Ὡρέων.

lethales,

lethales, *Aphor.* 15. Sect. 3.—Etſi per magnas Siccitates Febres acutæ, ibid. *Aphor.* 7—Sed in valdè pluvioſis Febres longæ, putridæ, Alvi Fluxiones, Anginæ, Apoplexiæ, ibid. *Aphor.* 16.——Auſtri Caput gravant, Corpus diſſolvunt, & humidum, languidum, hebes faciunt *—Aquilo Tuſſim movet, Fauces exaſperat, Ventrem aſtringit, Horrores excitat, item Dolores Lateris & Pectoris, attamen Corpus compactum, firmum, agile reddit, & benè coloratum, ibid. *Aph.* 5. 17.—& Lib. *de Humor.* Sect. 8.—Aquilo enim omnium Ventorum eſt maximè ſiccus, atque ideò ſaluberrimus; Auſter verò quoad omnia huic contrarius, Lib. *de Morbo Sacro* Sect. 15—Si Hyems ſit moderata, nec valdè frigida, Vere porrò, ac Æſtate, tempeſtiva decidat Pluvia, Annum eſſe ſaluberrimum conſentaneum eſt Lib. *de Aëre Aquis & Locis*, Sect. 25.—At ſi ſicca ſit Hyems, atque aquilonia, Ver autem pluvioſum, & auſtrale, erit Æſtas Febribus abundans; nam, Æſtu mox accedente, non poteſt fieri quin acutiſſimæ Febres perplurimos invadant, præcipuè pituitoſos, Dyſenteriæ verùm Mulieres & Viros humidiores, ibid.—Atqui ſi circa Caniculæ Exortum accedunt Pluviæ, frigidique Aquilones †, Spes Ceſſationis eſt, necnon Autumni ſalubris, ibid. Sect. 26.—Si quando Æſtatem pluvioſam, atque auſtrinam, ſimilis ſequitur Autumnus, plurimos Morbos excitat Hyeme—Siccæ autem Æſtati, Boreâque perflatæ, pluvius, & auſtralis, ſuccedens Autumnus, Hyeme producit Capitis Dolores, Cerebri Corruptiones ‡, Gravedines, Raucedines, Tuſſes, imò & Tabem, ibid. Sect. 28.—Quòd ſi aquilonius ſit Autumnus & ſiccus, neque Pluviæ ſub Cane, nec vel ſub Arcturo, decidunt, confert equidem pituitoſis, humidis, ac Mulieribus; bilioſis verò nocentiſſimum eſt, quòd humidiſſima Corporis diſſipat, craſſiſſima autem & acerrima relinquit, ibid. Sect. 29.—Medicus ideò ſic Morbis occurrere debet, ut reſpiciat ſemper cum Hominum Conſtitutiones, tum etiam varias Tempeſtatum

* Νότος καρηβαρικὸς, ideò aptiſſimè hunc plumbeum vocat *Horatius*, Lib. 2. Satyr. 6.

† Καὶ χειμὼν καὶ οἱ Ἐτήσιαι.

‡ Σφακέλους τοῦ Ἐγκεφάλου.

Mutationes, contraria nempè contrariis curando; oportet igitur laxa nimìs conſtringere, ſolvere ſtricta, Lib. *de Natur. Hominis* Sect. 17, 18.

Nec tantùm reverà diverſos diverſarum Tempeſtatum Morbos deſcripſit optimè divinus Senex, ſed optimum quoquè Regimen, atque Medicinam, ad hos præcavendos, ac curandos, præſcripſit, præcipuè in Lib. *de Salubri Victûs Ratione,* necnon per Initia Lib. 3. *de Diætâ*—Sed iſta jam nunc perſcribere longum eſt—Hæc pauca verò paſsìm ex Scriptis *Hippocraticis* excerpſi, & paulò forſan tranſtuli liberiùs, cum eo tamen (ni fallor maximè) ut Senſum ſemper Auctoris tradiderim fideliter—Sed propiùs ad Fontes accedite, Medicini Tyrones, atque haurite affatìm, percipietis indè quàm ſagax, quàm admirabilis fuit Priſcorum Diligentia—videbitis utiquè non minùs ingenioſam fuiſſe antiquitùs Obſervationem, quàm nunc Rationem; ut pulchrè de Veteribus olim dixit *Caius Plinius,* Hiſtor. Natural. Lib. 18. Cap. 29.

At enim ſi quis fortaſsè his objiciat, quòd Obſervationes ab *Hippocrate,* ſuâque Scholâ per Græciam factæ, ad Noſtrates pertinent parùm; ſciat ille velim, ſimilem eſſe ubiquè Hominum Naturam, ſicco nempè Frigore ſemper & conſtringuntur Corporis humani Solida, & condenſantur Fluida, hæc porrò utraque humidus Calor ſolvit ſemper; nuſquam non minuit *Perſpirationem* uda frigidaque Tempeſtas, hanc nuſquam non promovet tepida Serenitas: adeòque magnæ Aëris Mutationes, quòd ad Calorem, aut Frigus, Siccitatem, aut Humiditatem, magnos paritèr ubiquè Terrarum ſortiuntur Effectus—Nec profectò multùm differre videntur, factâ diligenter Comparatione, Obſervationes *Hippocraticæ* ab illis, quæ captæ fuerunt nuperis Annis, & in Locis à Græciâ longè longèque remotis, inter etiam

et penitùs toto diviſos Orbe Britannos.

Sed diluit hanc Objectionem optimè clariſſimus *Wintringhamus* in Prolegomenis ad Commentarium ſuum Noſologicum:—Subjiciam verò & ipſe, quòd etiamſi Græciæ Regiones Cœlo magìs clemente gaudeant quàm Inſula noſtra, haud levibus tamen Aëris Mutationibus ſubjectæ ſunt frequenter; imò in ipſis Conſtitutionibus, ab *Hippocrate*

deſcriptis, leguntur ſubindè, Ὕδατα πολλὰ, Αὐχμοὶ, Χειμῶνες μεγάλοι, Χιόνες μεγάλαι, Οὐρανὸς λαιλαπώδης, ἐπινέφελος, &c; quin ejuſdem planè Generis Febres populares apud *Hippocratem* paſsìm occurrunt; quibus & noſtra quoquè *Britannia* plectitur ſubindè—*Epidemica* quippe Febris Effectus tantùm eſt Cauſæ *morbificæ,* iſta autem Cauſa plerumque peculiaris *Atmoſphæræ* Conſtitutio; adeòque hanc gignit aquilonia, illam auſtrina, ubicunque nimirùm hæc, vel illa, diu duraverit.

In ſequente (necnon in præcedente) Morborum *epidemicorum* Hiſtoriâ, non tantùm Febres populatìm graſſantes expoſui, ſed & hos etiam Morbos, qui unà cum iſtis ſparsìm intercurrebant; eo ſcilicet Animo, ut ſingulorum indè Natura clariùs innoteſceret; ſequens in hoc utiquè magni Præceptoris Veſtigia, qui in deſcribendis Aëris & Morborum Conſtitutionibus hanc tenuit Rationem.—Sæpè quippè ſæpiùs accidit, dum Pleuritides & Peripneumoniæ per ſiccam valdè & frigidam Tempeſtatem ſæviunt, Anginæ quoquè, *Ophthalmiæ, Rheumatiſmi,* Cruciatus Inteſtinorum, eodem etiam Tempore, multos infeſtant; atque utplurimùm haud minùs ab inflammato, ac viſcido Sanguine pendent quàm ipſæ Pleuritides, nec minùs Sanguinis Miſſionem poſtulant; aliis quanquam Temporibus meliùs multò Purgantibus diſcutiantur.—pone jam aut *Variolas,* aut *Morbillos,* tunc unà graſſari, longè tum ſanè liberiùs, cæteris paribus, Venæ Sectionem, his in Morbis, conſulerem, quàm ubi non talis prævaluerit frigida *Atmoſphæræ* Temperies, nec proindè tam viſcida Sanguinis *Diatheſis.*

Si noſcimus equidem qualem Sanguinis *Craſin* hæc progignit, vel illa, *Atmoſphæræ* Conſtitutio, ſatìs benè conjectare poſſumus, quales indè Corporis Affectiones ſint futuræ, qualiaque poſcant Remedia; Morbi enim, ut monet *Hippocrates,* non derepentè Hominibus accedunt, ſed paulatìm ſunt collecti, licèt erumpant ſubitò;—* Exempli Gratiâ, robuſtis & exercitatis Hominibus inſitus eſt naturaliter Sanguis denſus atque tenax, adventante jam aridâ, & aquiloniâ Tempeſtate, Fibræ vaſaque magis adhuc conſtringuntur, magiſque denſa atque

* Lib. 1. de Diætâ Sect. 3.

craſſa

craſſa redduntur Fluida, uſque eò ut Sanguis tandem fiat valdè glutinoſus; his jam ita conſtitutis, mox oritur facillimè, ex Frigore ſuſcepto, Labore nimio, Ingluvie, aut quolibet fermè, in Vitâ, Errore, Lentor inflammans, qui infixus nunc Pulmoni Peripneumoniam, nunc Pleuræ Pleuritidem, nunc Inteſtinis colicam Inflammationem, generat.

Vides adeò, Lector amice, quantum ad Prophylaxin valeant Obſervationes meteorologicæ, quantumque etiam ad Morborum Curationes.—His igitur fruere modò, tandemque meliores ede.—Quatenùs nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixiſſe teſtemur †.

† *Plinii* Epiſt. Lib. 3. Epiſt. 7.

DE AËRE,

ET

Morbis Epidemicis,

ANNO MDCCXXXVIII.

Nova Luna Die 9° JANUARIO. *Plena Luna* 24°.

ORIENTE Anno totum obducitur Cœlum Nubibus, quæ continuas ferè deſtillant Pluvias, furente ſubindè Procellâ. Hoc verò per Initia Menſis, pòſt enim Pluvia parcior, at durat uſque Conſtitutio Aëris craſſiſſima, ac maximè humida, quæ *Barometrum* ad Stationem præaltam ſuſtinet; quod quidem ſæpiſſimè accidit dum *Atmoſphæra* * eſt valdè nebuloſa; Vapore nempè unà cum Aëre premente.

Rarum hoc Menſe Gelu, nec Frigus ſolitum, Ventus plerumquè inconſtans, Malacia nonnunquam.

Pluvia $\overset{//}{1}$. $\overset{//}{2}$. $\overset{/}{3}$. 4. 5. $\overset{/}{6}$. $\overset{/}{7}$. 8. $\overset{///}{9}$. 10.—12. $\overset{/}{13}$. $\overset{/}{16}$. $\overset{//}{21}$. 22. 23.
Dig. Dec.
30 = 2.974.

Nox procelloſa 2. W S W 4. Procella 5. p. m. S W 4. Fulgur, Tonitru, & Turbo vehementiſſimus 6. Horâ ſextâ p. m. Procella 7 p. m. S W 4, gravis Procella 9. p. m. & totâ ferè Nocte S W 4. Nix & Grando 11. Gelu 14. 15. N N W 1. Magna *AB*. 14. H. 10. p. m.

☿ Altitud. maxim. 17. 30.5 N. 1.
——— minim. 9. 29,0. S W 4. } media 29.9$\frac{20}{29}$.

Dies frigid. 15. 66. N N W 1.
— tepid. 23. 48. Malacia. } media 54$\frac{7}{29}$.

* Vide Menſ. Januar. 1728.

Febris

Febris *Catarrhalis* & *Rheumatiſmus* paſſim, *Pleuritides* aliquæ, *Peripneumonia* notha * verò longè frequentior eſt; Tuſſis creberrima; gravis Arthritis torquet permultos. Febris lenta, *nervoſa* frequens, quæ nonnunquam, rubris urentibus Puſtulis, Die nempè nono, undecimo, aut decimo quarto, erumpentibus, ſolvi videtur, maximè ſi craſſæ, ſubſidentes Urinæ concurrunt. Haud multum utiquè Boni ſperandum eſt ab Eruptione Puſtularum dum Urinæ crudæ prorsùs & tenues perſtant; in ipſis etiam *Variolis* ac *Morbillis* peſſimè ſignificant: Ne vel ullus Sudor ſalutifer habendus eſt, dum aquoſa fertur Urina.

Nova Luna 7° FEBRUARIO. *Plena Luna* 23°.

Perſtitit ad quintum Februarii Diem humidiſſimus *Atmoſphæræ* Status, tunc Boreas diſcuſſit Vapores rigido accedente Gelu: à decimo ſexto ab Occidente plerumque Ventus, ac alia Rerum Facies.

Pluvia 8. $\overset{//}{16}$. 17. $\overset{//}{18}$. 20. $\overset{/}{22}$. 24. 26. 27. = 0.928. Dig. Dec.

Nix ſuper Montes 14, nulla hìc autem.

☿ Altitud. maxim.	6.	30,4.	E N E 1.	media 29,8.$\frac{4}{28}$.
——— minim.	18.	29,0.	S W W 3.	
Dies frigid.	13.	75.	N E 1x.	media 58$\frac{3}{28}$.
— tepid.	1.	49.	N W b W 1.	

Tuſſis & Angina inter Equos valdè frequentes, haud pauci ſuffocantur.—*Pleuritis*, aut *Peripneumonia*, multos corripit Homines, ſpuria tamen eſt ut plurimùm; Tuſſes permultæ.

Tempeſtas quidem haud inſalubris eſt, at plures jam *Phthiſi* tabeſcunt pulmonariâ, cui dedit Originem malè judicata Febris *catarrhalis* † hìc maximè ſæviens ultimo Novembri & Decembri. Periclitantur admodùm qui Aſthmate olim, aut Tuſſiculâ ſiccâ, laborabant, quorum in Pulmone nempè delituerant Tubercula; quæ, cùm ſint Impedimento trananti Sanguini, facilè inflammantur, ac in ulcera tandem degenerant; vel, negatâ, his in Locis obſtructis, Sanguini Viâ,

* Vide quæ de Peripneumoniâ nothâ dixi, *Eſſay on Fevers.*

† Poſt nimias Deſtillationes Tabes, *Celſ.* Lib. II. c. 7.

nimius

nimius ruit ad alias Pulmonum Partes, unde *Hæmoptöe* ſequitur deniquè, aut Inflammatio, aut tabifica in *Bronchiorum* Cavâ Deſtillatio.

Non omnis utiquè Tabes pulmonaria ab Ulcere pendet (rarior enim eſt hic Caſus quàm vulgò putatur) plures enim quotidiè per longum Tempus immenſam Muci ſalſi, dulcis, vel etiam planè inſipidi, Copiam per Tuſſim rejiciunt, cui nec Fœtor ineſt, nec purulenti aliquid, Glandulis nimirùm cum Ductibus Aſperæ Arteriæ relaxatis nimiùm. Hoc tamen ſæpè, licèt Ægros diutiùs trahens, haud lethale minùs fit quàm ſi vel ipſam Saniem expuiſſent. Haud abſimilis interdum Laticis vitalis eſt Profuſio *Diabete* laborantibus; ſimile quid ſæpè *Diarrhœâ* tabeſcentibus, ubi ne vel minimum Ulcus, ut inciſis Cadaveribus patuit. Nuper trimulum incidi Puerulum pertinace admodùm Alvi Fluxu peremptum; hujus Inteſtina peralba, tenuiſſima, ſedulâ quaſi arte deterſa inveni, minimè autem ulcerata.

Augetur ſemper hoc Malum ex leviſſimo ſuſcepto Frigore, occluſis ſcilicet Cutis Spiraculis, maximum fit in Pulmones Influvium; haud alitèr ſanè quàm perſæpè videmus retentum *Perſpirabile* per Nares depluere. Contra ſicca frequenter urget Tuſſis, & ſpirandi Difficultas, obſtructis adeò & induratis Pulmonum Glandulis, ut in lapideam penè abeant Duritiem *, dum *Bronchia* præ nimiâ Siccitate rigeſcant, Muco naturali deficiente. Quis non videt quàm diverſam prorsùs Medicinam poſcunt hæc duo Mala, utcunquè in Praxi faciundâ haud ſemper ſatìs probè ſervatur Diſtinctio? Nec pauci ſunt equidem, qui in omni ferè Tuſſi, ſit ſicca, ſit humida, *Oleoſa*, *Emollientia*, *Dulcia*, *Ecclegmata* porrigunt. Id quidem in priore rectè ſatìs, modò *Incidentia* aliqua commiſta ſint; ſecùs longè ubi ſeroſa Colluvies inundat Pulmonem: Relaxant enim nimìs, Humoribus Lentorem inferunt, & *Perſpirationem* impediunt; unde augetur vel ipſe Morbus. Cibi inſuper Appetentiam & Concoctionem peſſundant, demumque *Diarrhœam* colliquantem inducunt. Rectiùs multo blandè moventia Sudores †, inter Scapulas *Epiſpaſtica*, ac lenia ſubindè *Cathartica*

* Haud ita pridem Juvenem generoſum, tabidùm, vidi Lapillos aſperos extuſſientem, qui, Tracheam lacerantes, haud leve Sanguinis Sputum movebant.

† Vide *Bennet.* Theatr. Tabidor. Sect. 28. 39, &c.

præcipienda ſunt, interpoſitis crebrò *Anodynis*; maximè ſi ſit tenuis admodùm ac irritans Illuvies, hanc enim demulcent & incraſſant, quo faciliùs longè per Sputa emolitur. Porrò ad hoc Genus Valetudinis plurimùm facit Decoctum Corticis *Peruviani* cum Ligno *Guiacino* & Styrace, quod in altero Caſu foret nocentiſſimum: Nec inutiles hìc ſunt Suffitus * deſiccantes idonei, qui quidem in Deſtillationibus haud parùm valent.

Ubi verò *Tracheæ* & *Bronchiorum* Glandulæ obſtruuntur, nec ſatìs oleoſi Mucoris ſecernunt ad lubricandas eorum Membranas; atque, utì ſæpè fit, Lacerti muſculoſi Aſperæ Arteriæ † & Bronchiorum rigidi ſunt, ac nimìs contracti, ibi lenis, emolliens, tepida Potio, ejuſque Vapor, hauſta ſæpiſſimè proficiunt maximè oleoſis, & relaxantibus ſubindè aſſumptis.

Nova Luna 9° MARTIO. *Plena Luna* 24°.

Principio Ventus *borealis* afflavit, mox irruebat Auſter madidus, à decimo autem ad decimum ſextum Aquilo ſiccam fecit *Atmoſphæram* & frigidiorem: Libs inde ut plurimùm, Pluviâ ſæpè cadente.

Pluvia 5. $\overset{''}{\overline{8}}$. 9. 11. $\overset{'}{\overline{17}}$. 18. 19—22. $\overset{''}{\overline{23}}$. 24. $\overset{''}{\overline{28}}$. $\overset{'}{\overline{29}}$. 30.
Dig. Dec.
Grando 1. = 1.730.

Levis Procella 8. p. m. S S W 4_x.—gravis Procella 19 Mane S 4^x.

☿ Altitud. maxim. 31. 30,1. N N W 1. } media 29.5$\frac{24}{30}$.
——— minim. 8. 28,8.

Dies frigid. 16. 62. N N E 1. } media 54$\frac{6}{30}$.
— tepid. 22. 46. S S W 2.

Frequens *Ophthalmia*; Tuſſes plurimæ & acres admodùm, quæ utique Exitio ſunt pluribus, illis maximè, qui *Aſthmate* vetere laboraverant, aut quibus infelix Exitus *epidemicæ* Febris hyemalis obſtructum Pulmonem, & Pectoris Oppreſſionem intulerat, citâ nempe *Phthiſi* abreptis.

* Vide *Bennet*. Theatr. Tabidor. Sect 28. 30, &c.

† *Andr. Laurent*. Hiſtor. Anatomic. Lib. 9. c. 14, porrò *Jo. Bapt. Morgagni* Adverſar. Anatomic. Sect. 25.

Pleuri-

Pleuritides & *Peripneumoniæ* frequentes; ſæpè etiam & Latus vehementer affectum eſt & Pulmo; Morbum vocant *Pleuripneumoniam* *, in quo, dum ſævit Lateris Dolor, urget ſimul Tuſſis & Pectoris Gravitas: Fit evidentior ſi Sputa ſanguinolenta exantlantur.

Jam certè multa Sputa cocta, facilia, non multo Sanguine tincta, Morbum ſolvunt feliciter; ſæpè tamen vel tenuis prorsùs & acris Colluvies ejicitur, vel vana ſunt omninò Naturæ Conamina, eludente nimirùm pertenui & incocto Humore Vim Pulmònis: Peſſimum certè ubi nihil excreatur, aut nil niſi crudum & ſpumòſum †.

Nunc quoquè in his Malis pulmoneis haud raròo erumpunt Puſtulæ magnæ, urentes, imò etiam interdum dolentes valdè, circa Pectus, Scapulas, Cervices, quinto circiter aut ſeptimo plerumque Die, quarum aliquæ plurimùm acerrimum fundunt *Ichorem* ‡: Felix hoc ſemper ferè & fauſtum fuit Ægrotis.—Diligenter utiquè in Morbis notandum eſt, quò Natura ſuâ Sponte vergit; adeò cum Puſtulas excitet, aut Furunculos in Humeris, aut Cruribus, per eas quoque Vias Arte tentandum eſt Morbum levare, admotis *Epiſpaſticis*, Cucurbitulis, &c.—In omni itidem Naturæ Molimine, ſive ſit per Cutim, ſive per Alvum, aut Urinæ Vias, aut libera Sputamina, invigilandum eſt Medico ut idonea & concurrentia adhibeat Auxilia.

Nova Luna 8° Aprili. *Plena Luna* 23°.

Varius fuit Ventus variaque Tempeſtas hoc Menſe, Imbre, ut ſolet, decidente frequenter: Exeunte Menſe Eurus ſpiravit plerumque, iſque frigidus valdè.

Dig. Dec.

Pluvia 1. 4—6. 11. 12. 14. 15. 19. 21. 22. 23. 24. 25=1.110.

Glacies 20. 24. ENE 1. Levis *AB*. 5. H. 10. p. m. 10. WNW 2.

* Vid. Librum Noſtrum de Febribus, &c. (*Eſſay on Fevers*) Cap. de Perip. &c.

† Ibid.

‡ Φλύκταιναι, Hippocrat.

C c ☿ Alti-

☿ Altitud. maxim. 17. 30,2. E b N 1. } media 29.6$\frac{1}{10}$.
——— minim. 23. 28,8. W S W 2.

Dies frigid. 20. 56. E N E 1. } media 47$\frac{1}{3}$.
— tepid. 13. 40. S W 2.

Plures *Ophthalmiâ* vexantur: Tuſſes plurimæ; haud pauci jam acri Tuſſi & *hecticâ* Febre conſumpti pereunt. Id utique perpetuum eſt, quòd ſæviente *epidemicâ* Tuſſi *Aſthmatici* & pulmonarii peſſimè ſe habent; novo nimirùm accedente Malo veteri Morbo.

Qui *Phthiſi* laborant periclitantur maximè ineunte Æſtate, quoniam augeſcente indies Tempeſtatis Calore Sanguis expanditur, unde tranſit difficiliùs per obſtructos Pulmones, hinc etiam augetur *hectica* Febris & Sudor colliquans. Tales ideò Ægrotantes hortor, ut ſe tunc Ruri recipiant, ubi Aura purior & frigidiuſcula, lenis & accurata Diæta, forſan & miſſus paulatim Sanguis, ſi nimiùm ebullit, rapidum Morbi Curſum reprimere poſſunt.

Nova Luna 7° Maio. *Plena Luna* 22°.

Ventus auſtralis, perpetuus ferè ad Diem vigeſimum Menſis, Argentum vivum in *Barometro* ſuppreſſit, Aëremque fecit denſum ac humidum: inde per tres Dies Boreas, poſteà Zephyrus.

Pluvia 3. 4. 6. 9. 10. 12. 13. 14. 15. 17. 18. 20. 22—24. 26. 27. 30. = 1.544.
Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 21. 29,8. N E 1. } media 29.4.
——— minim. 5. 29,0. S S W 1.

Dies frigid. 2. 54. S S E 2[x]. } media 38$\frac{8}{29}$.
— tepid. 21. 30. Malacia p. m.

Tuſſes, Gravedines, & *Ophthalmiæ* humidæ frequentes: Quoſdam *Apoplexia*, quoſdam *Paralyſis* corripit; *Pleuritis* & *Peripneumonia* multos præcipuè ineunte Menſe: Febres intermittentes paſſim.

Nova Luna 6° Junio. *Plena Luna* 20°.

Conſtans fuit ab Occidente Ventus per totum Junium, nunc ad Auſtrum, nunc ad Septentrionem flectens; inde Pluviæ, ſatìs & Frigoris; Aër interim factus eſt craſſus valdè & humidus.

Pluiav

Pluvia 2. 4. 7. 8. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 20. 22—24.
Dig. Dec.
Grando vehemens 12. 13. = 2.398.

Circius admodùm ferox 1. p. m. Procella 14 primâ Nocte S W 4. —20 Mane S W b S 4. Fulgura 11 Nocte.

☿ Altitud. maxim. 30. 29,9. N W 1. } media 29.4$\frac{13}{28}$.
——— minim. 16. 28,9. S W 2.

Dies frigid. 18. 42. W. N W 1ˣ. } media 34$\frac{15}{28}$.
— calid. 30. 24. Malacia p. m.

Tuſſes acres & implacabiles ferè ſunt valdè frequentes, multæ quoque *Peripneumoniæ*, & veræ & nothæ; crebri, atque fortes interdum, Impetus *apoplectici*.

Qui Capite magno ſunt & breviore Collo facti, multoque abundantes Sanguine, ex facili in *Apoplexiam* incidunt, quâcunque de Cauſâ nimiùm caleſcant Humores.——His Curæ ſit ideò præcedente Vere, ac invaleſcente Calore, & Sanguinem mittere, & leni, & parco Victu, præcavere Morbum; maximè ſive Vertigo incidit, ſive Capitis Dolor, aut Tinnitus Aurium, aut falſi ac ſubiti Splendores; hæc, ni caveantur maturè, certa ſunt ſæpè ſæpiùs ſubitaneæ Mortis Prænuncia.

Nova Luna 5° Julio. *Plena Luna* 19°.

Magna jam Cœli facta eſt Mutatio, fuit enim hic Menſis & ſiccus & calidus valdè, flante plerumque ab Oriente, vel Septentrione, Vento, qui *Barometrum* erexit, ac diſcuſſit Vapores.

Dig. Dec.
Pluvia 11. 12. 14. 19. 20. 21. 23. 28. = 0.590.

Fulgur & Tonitru 20 primo Mane, Dies valdè fervidi 4. 17.

☿ Altitud. maxim. 3. 29,8. E 1. } media 29.6$\frac{5}{28}$.
——— minim. 19. 29,2. S W 2.

Dies frigid. 31. 33. N 1. } media 24$\frac{4}{28}$.
— fervid. 4. 17. Malacia.

Graves Capitis Morbi adhuc paſſim, & Tuſſes plurimæ; *Colica* bilioſa frequens; Sudores maximè profuſi omnes ferè debilitant valdè.

Perplures jam Mulieres largiſſima patiuntur Menſtrua ſummo cum Virium Languore; an fuſo Sanguine, an rarefacto duntaxat?

Nova Luna 4° AUGUSTO. *Plena Luna* 18°.

Redit pluvia Tempeſtas, quæ porrò pro Anni Tempore eſt admodùm frigida, unde Meſſis infelix: Corus ſubindè flavit, Libs ſæpè, nonnunquam Vulturnus, interdum Aquilo.

Pluvia $\overset{/}{3}$. 5. 7. $\overset{//}{8}$. $\overset{//}{9}$. $\overset{/}{10}$. 12. 14. 17—$\overset{/}{22}$. 23. $\overset{///}{24}$. 25. $\overset{/}{27}$. 28 = 2.210. Dig. Dec.

Grando 10. Levis Procella & Fulgura 7 Nocte S b W 4.

☿ Altitud. maxim.	29. 29,9.	N 1.	} media $29.6\frac{4}{36}$.
——— minim.	8. 29,2.	S W b S 3.	
Dies frigid.	27. 39.	N N E 1*.	} media $32\frac{6}{30}$.
— calid.	9. 27.	S W b W 2.	

Cholera, & Morbus colicus paſſim: Anginæ, & Febres putridæ haud paucæ. *Variolæ* jam frequentes à miſeris *Saltzburgenſibus*, Patriâ expulſis, huc advectæ.

Jure merito inter Morbos maximè contagiòſos ponuntur *Variolæ*, adeò ut vel unus Puerulus hiſce correptus, fortè longè latèque ſæpiſſimè Luem diſpergit: Atqui niſi etiam unà conſpiret, Contagium fovens, Aëris Conſtitutio, ſæpè vel intra unum, alterumve Domicilium, in ipſis quaſi Incunabulis, extinguitur Morbus.—Hoc utiquè vel in ipsâ Peſte quandoque notatur, quam Hyems frigida coercet *.

Nova Luna 2° SEPTEMBRE. *Plena Luna* 16°.

Pluvia ferè perpetua ad medium uſque Septembrem, Africo ſubindè fremente, Vulturno interdum; à decimo octavo autem Ventus Orientem inter & Septentrionem perſtabat.

Pluvia 1. $\overset{/}{3}$. $\overset{//}{5}$. 6. $\overset{///}{7}$. 8. 9. $\overset{//}{10}$. 11. $\overset{///}{14}$. $\overset{//}{16}$. $\overset{//}{18}$. $\overset{//}{27}$. 28. = 2.912. Dig. Dec.

Procella 10 p. m. S W b W 4.

☿ Altitud. maxim.	30. 30,0.	E b N 1.	} media $29.6.\frac{20}{29}$.
——— minim.	10. 29,3.		
Dies frigid.	29. 48.	E N E 1.	} media $29\frac{22}{29}$.
— tepid.	1. 32.	S W 3.	

* *Hodges* de Peſte per Initia.

Multæ

Multæ *Variolæ*, *Morbilli* & Tormina frequentia; Febris *Catarrhalis* Pueros infeſtat: Menſis verò fuit parùm morboſus.

Nova Luna 2° OCTOBRI. *Plena Luna* 16°.

Ineunte & exeunte Menſe Ventus ab Oriente prævaluit, intermedio autem Tempore fuit varius admodùm, ſæpè turbidus Auſter perfremuit, labente *Baroſcopio*, & Pluviâ ruente; à viceſimo tertio tamen nulla prorsùs.

Pluvia 2. 3. 4. 5. 6. 7. 10. 11. 12. 15. 18. 20. 22. 23 = Dig. Dec. 3.330.
Procella 13. W S W 4.—20. p. m. necnon inſequente Nocte S 4.
Maxima Procella 23 Nocte S 4^x. Maximæ Pruinæ 16. 17.
AB. 21. H. 10. N W b N 1—24. H. 9. W N W. 1—25. N N W. 1—27. H. 9. W b N 1.

☿ Altitud. maxim. 16. 30,4. E N E 1.
——— minim. 6. 28,7. S W b S 3^x. } media $29.4.\frac{24}{30}$.

Dies frigid. 22. 55. N N W. 1.
— tepid. 5. 40. S W b W 2^x. } media $45\frac{2}{3}$.

Variolæ & *Morbilli* ſparſim, *Ophthalmiæ*, *Rheumatiſmi*, & Morbi colici frequentes: Febres lentæ *nervoſæ* paſſim.

Nova Luna 31° *ultimo* NOVEMBRI. *Plena Luna* 15°. *Nova Luna* 30°.

Parca admodùm Pluvia ante Diem decimum ſeptimum decidit, dum vel Subſolanus ſpiravit, vel Ventus *borealis*, ſurgente *Barometro*; poſt irruit nimboſus Auſter, multaque Pluvia; quod *Atmoſphæram* humidavit plurimùm, quæ fuit ante ſicca ſatìs & tenuis.

Pluvia 8. 17. 18. 19. 20. 23. 24. 25. 26. 29. 30. Grando gravis 27 primo Mane = Dig. Dec. 1.874.
Procella 19 à Diluculo ad ſeram Veſperam S. W 4.
——— 20 p. m. W S W 4^x—vehemens 25 p. m. S 4^x.
Maximus Halo circa Lunam 10. 11. primâ Nocte E S E 2.

☿ Alti-

☿ Altitud. maxim. 9. 30,3. E N E 1. } media $29.7\frac{23}{30}$.
——— minim. 25. 28,8. S 4^x.

Dies frigid. 9. 66, rigidum Gelu. } media $53\frac{1}{3}$.
— tepid. 20. 47. S W 3^x.

Pleuritides, *Peripneumoniæ*, & *Ophthalmiæ* frequentes, præcipuè Menſis Initio: Multi *Rheumatiſmo* laborant, aliqui lentâ Febre. Tuſſes, Anginæ, Coryzæ, Gravedines undiquè. *Variolæ* adhuc, *Morbilli epidemici*.

Plena Luna 15° Decembri. *Nova Luna* 29°.

Per Initia Menſis Aër tepidus & humidus, Libs ferè perpetuus & pluvioſus; ab undecimo ad viceſimum quartum Boreas perflavit, qui & *Barometrum* ad Altitudinem enormem evexit, & frigidam fecit *Atmoſphæram* & paulò ſicciorem: Ventus erat poſteà varius, frigidus, & pluvius.

Pluvia $\overset{\prime}{\overline{1}}$. 2. 3—5. $\overset{\prime}{\overline{6}}$. 7—9. 12. $\overset{\prime\prime}{\overline{20}}$. $\overset{\prime\prime\prime}{\overline{25}}$. 26—30. $\overset{\prime\prime}{\overline{31}}$. Grando cum Fulgure & Tonitru 7. Nix 21 Nocte. = 2.404. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 14. 30,7. N N E 1. } media $29.8\frac{23}{31}$.
——— minim. 3. 29,1. S W 2.

Dies frigid. 24. 72. E N E. valdè rigidum Gelu. } media $57\frac{17}{31}$.
— tepid. 2. 47. W S W 2.

Ophthalmiæ *, *Rheumatiſmi*, ac *Morbilli* plurimi adhuc, *Variolæ* paſſim: Multi Vertigine corripiuntur. Anginæ, pleuriticæ & *peripneumonicæ* Febres valdè frequentes; haud paucæ lentæ *nervoſæ*; longè plures tamen acutæ ab acri & inflammante Viſcido; quod, dum ad varias transfertur Partes, varios producit Morbos, *Pleuritidem* puta, *Peripneumoniam*, *Anginam*, *Ophthalmiam*, &c. prout nempè in hâc, vel illâ Parte conſiſtat obſtruens Lentor. Nec mirum ideò quòd *Ophthalmiam* in Anginam interdum mutatam videmus, Anginam in *Peripneumoniam*.—Τῶν ὀδυνέων ϗ ἐν πλευρῆσι, ϗ ἐν ϛήθεσι, ϗ ἐν τοῖσιν ἄλλοισιν μέρεσιν ην μέγα διαφέρωσι, καταμαθητέον.

Hippoc. Aphor. Sect. 6.

* Per frigidas & humidas Aëris Conſtitutiones diu durantes Ophthalmias eſſe perfrequentes obſervavit *Frid. Hoffman*, Medicin. rational. Tom. 4. Part 1. Cap. de Inflam. Oculor.

Tota

Tota Pluviæ Quantitas, quæ Ann. MDCCXXXVIII. decidit, fuit = 24.004. Dig. Dec.

Plena Luna 13° JANUARIO. *Nova Luna* 28°.

Per Anni Initia Pluviæ multum & Procellæ, cadit hinc *Barometer*, paulò tamen poſt, elucente Sudo, reſurgit, dum Corus intervenit; mox autem Libs nubilus; brevique iterum Corus; variante ſic perſæpè Vento variat quoque Cœli Facies: atqui per totum Menſem Aër fuit valdè craſſus & longè humidus, ac plerumque tepidior ſolito.

Pluvia 1. 2. 3. 4. 5. 6. 10—13. 19. 20. 21. 23. 24. 25. 26. 28. 29. 31. Grando 1. 5. 25. Nix 2. = 3.962. Dig. Dec.

Procella 3 Nocte & totâ Die 4. W S W 4—6 Nocte W S W 4x.
——— 24. S W. 4—29 Nocte S S E 4x. Fulgur & Tonittu 4. 25.

☿ Altitud. maxim. 11. 30,3. W N W 1.
——— minim. 4. 28,7. W S W 4. } media 29.7.

Dies frigid. 2. 66. N W 1x.
— tepid. 31. 50. S W 3x. } media $54\frac{16}{19}$.

Morbilli Epidemici, *Variolæ* ſparſim & Ruri & in Oppido: Plures acerbo admodùm & pertinaci *Rheumatiſmo* laborant, multos vehemens & diu durans Arthritis excruciat. *Peripneumonia* & vera & ſpuria paſſim: Tuſſis *convulſiva* inter Pueros frequens; acerrimè quidem ſæpè poſt *Morbillos* ſævit, vix utiquè compeſcenda niſi Miſſione Sanguinis tollatur *Diathеſis phlogiſtica*, ac Colluvies acris lenibus expurgetur, miti nempè Vomitione, & blandâ *Catharſi*, ſervatâ interim molli, diluente, accuratâ Diætâ: peſſimus ſanè Nutricularum Mos eſt Carnem mox & Piſcem poſt *Morbillos* porrigere, hinc enim ſæpiſſimè Febris *Peripneumonica* inſequitur.

Plures gravi Anginâ cum acuto Aurium Dolore capti ſunt, cui non rarò *Parotis* acceſſit ſæpè in interiore Aure, aut Faucibus Abſceſſus, imò nonnunquam *Phrenitis* & Strangulatio ſubita: Duos, treſve breviſſimè abreptos novi, attonitos quaſi & prorsùs ſtupidos, quibus

3 Vox

Vox primò mirè admodùm ſtridula, mox omninò intercluſa fuit; horum tamen unus faciliùs multò quàm quis crederet oblata quæcunque deglutiebat.—Dirum hoc Symptoma quàm maxime ſemper timendum eſt, quòd Inflammationem Muſculi *Arytænoïdis*, & ſuperiora Aſperæ Arteriæ denotat; unde, occluſâ penitùs Rimâ *Glottidis*, Spiritus protinùs eliditur: eſtque ſtridulus hic Clangor hujuſce Inflammationis Signum *diagnoſticum*. —In Morbo hoc peſtifero opportuna *Bronchotomia* Ægrum interdum vindicat ab imminente Morte: Vana tamen eſt omninò, atque irrito celebratur Auſo, dum Inflammatio Pulmones etiam corripuit, utì funeſtum ſæpè docuit Experimentum. Hujus Signa præcipua ſunt Pectoris Oppreſſio, ſumma Anxietas, perpetua *Orthopnœa*, & ſuffocans quaſi Tuſſicula. Ità tamen non pertimeſcenda eſt hæc Operatio, ut vix Vena faciliùs tundatur; modò idoneus ſit Artifex. Quid quod memini, triginta abhinc Annis, Diſcipulum quendam Chirurgicum veſano Puellæ cujuſdam Amore percitum, qui *Cartilaginem Thyroideam* ter, quaterve Scalpello pertudit, adeò ut Lucernam extingueret illicò Flatus erumpens, dum officiosè conſueret Vulnuſcula Magiſter Chirurgus: quem monui, tandem advocatus, deſiſteret, potiùſque, Brachiis Juvenis Lectulo alligatis, prohiberet ne violentâ Manu Vitam impeteret rursùs; inde Emplaſtro ſolùm adhærente, Vulnera probè contegente, ex facili ſanatus eſt.

Si quâ unquam & Cautelâ & Feſtinatione ſimul eſt Opus, in Anginâ quidem ſuffocante neceſſarium eſt. Hoc triſti olim Exemplo perſenſi in quodam Amico: erat hic ſexagenarius ferè, agilis, rubicundus, & *Pſychroluſiâ* gaudens ferè quotidie.—Mane, Die Saturni, frigido uſus eſt pro More Balneo, poſt Meridiem gravi Horrore correptus penè obriguit, paulòque poſt incaluit vehementer, mox acceſſit Ardor Faucium intolerabilis, ac Dolor ſummus: Veſperi miſſus eſt Sanguis; mediâ Nocte vocatus detrahi iterùm ℥xvi juſſi, Clyſterem emollientem cum multo Sale marino injici, *Mannam*, *Cremorem Tartari*, *Nitrum* ex *Decocto laxante* exhiberi affatìm, *Epiſpaſtica* largiora & acria Cervicibus admoveri. Mane, Die Solis, omnia pejora, adeò ut vel Liquidi vel Solidi Deglutitio ferè impoſſibilis, multò minùs *Mannæ*, &c. ſatìs ad Alvum ſolvendam.

dam. Hinc Humeris Cervicibuſque affixis Cucurbitulis extractus eſt Sanguis ad ℥x, Lociſque ſcarificatis applicata Veſicantia, injectumque acrius *Enema*; ſed nec ſic quidem ullatenùs levatum eſt Malum, imò jam Vox evaſit ſtridula valdè, etiam & ſubindè intercisa prorsùs; unde de *Bronchotomiâ* ſuggeſſi aliquid; id verò quaſi eſſet Hominem jugulare non ſervare muſſitabant adſtantes: timidulus factus, junior tunc Medicus, deſtiti, ne Ægrotum occidiſſe viderer niſi ſervâſſem. Secta adeò rursùs eſt Vena, ac repetitum *Enema:* Jam paulò facilior Deglutitio, multòque minùs Doloris, aſt Vox argutiſſima, * ſubindè nulla; porrò *Dyſpnœa* maxima, Anxietas ſumma, Pulſuſque vacillans admodùm, ſæpè intermittens prorsùs cum Sudore frigidulo.—Jam tandem mihi maximè pœnituit neglectæ *Bronchotomiæ*, ſatìs ſuperque percipiens Pulmones jam morbo eſſe obrutos penitùs, factâ *Metaſtaſi* lethali. Dum deliberavi quid ultra faciendum erat, Vir bonus, inſcius, Alvum egeſſit, † mox Diſtentione nervorum correptus occidit; vix elapſis triginta & ſex Horis à primâ Morbi Inſulturâ.

Eſt utiquè funeſti plerumque Eventus dum augetur Spirandi Difficultas vaneſcente ſubitò Anginâ, Fauciumque Tumore; idque notat ab *Hippocrate* ‡ *Celſus*, "Si Angina ſubitò finita eſt, in Pulmonem id Malum tranſit, idqué ſæpe intra Diem ſeptimum occidit."—imò multò ante Diem ſeptimum, ſi ruit Morbus ad Laryngem & Tracheæ Lacinias muſculoſas, primo ſcilicet, aut ſecundo, aut tertio Die; id ipſum quoquè monente divino Sene *Lib. Prognoſtic.* necnon *Coac. Prænot.* 1. Sect. de Anginâ *Edit. Dureti:* quinimò notante || *Aretæo* etiam eodem Die: nec mirum utiquè cum & præcludatur Spiritus, & Sanguinis per Pulmones Tranſitus.—Omni igitur Ope nitendum eſt ut ad extra Tumor vergat, admotis acribus

* Ὀξυφωνίη κλαυθμώδης, πονηρόν. Lib. 1. Prorrhetic. Sect. 6.

† Οἷσι διὰ σφοδρότητα πνιγμοῦ, Κόπριον ἐξαπίνης διαχωρέει θανάσιμον. Coac. Prænot. 7. Cap. de Anginâ *ex Edit. Dureti.*

‡ Lib. 2. Cap. 7.

|| Vid *Aret.* de Morb. acut. Lib. 1. Cap. 7. ubi accurata admodùm habetur Anginæ Deſcriptio & Diſtinctio.

Cataplaſmatis, imò acerrimo ad Collum anteriùs applicato Veſicante; quod quidem, etſi haud uſitatum, eſt tutum ſatìs & valdè efficax Auxilium: Nec certè omninò ſpernendum eſt * *Celſi* Conſilium "incidere ſatìs altis Plagis ſub ipſis Maxillis, ſupra Collum, & in Palato "circa Uvam, vel eas Venas quæ ſub Linguâ ſunt, ut per eâ Vulne-"ra Morbus erumpat." Atque hanc *Methodum* à *Cælio Aureliano* laudatam video, utcunquè molliter plerumque *Methodici* tractabant Ægros. Venæ quidem ſub Linguâ in Anginâ ſæpè ſecantur feliciter, at ſi vehemens urget Morbus, Febriſque itidem, non ſatìs Sanguinis fundunt: ideò à Brachio priùs debita Quantitas emitti debet, rectèque monet † *Aretæus* ex largo Vulnere, & ad Animi ferè uſque Deliquium, ut gravis Inflammatio nempè citiùs tollatur, ægrum aliter brevì ſuffocatura. Porrò in graviore Caſu ſuaderem Cucurbitulas ſcarificatas Cervicibus apponendas atque ſummis Humeris (Occipitio, Palis, & Pectori etiam vult ‡ *Cælius Aurel.*) mox his ipſis Locis *Epiſpaſtica*; Nihil enim negligendum eſt in tanto Diſcrimine, ubi quàm breviſſimo Tempore de Vitâ agitur, & ubi ſæpiſſimè parùm valdè agendum eſt per Remedia Ore aſſumpta: Clyſteres adeò laxantes, irritante quodam Sale adjecto, marino putà aut *Cathartico* communi, injiciendi ſunt ſubindè—non quod non Purgantia refrigerantia protinùs exhibenda ſunt, ſi fieri poteſt, *Nitroſa* quoquè diluentia & *Emollientia* affatìm, hauſto interim Vapore tepido relaxante perpetìm, Fauces etiam colluendo, ac fovendo, Liquore: Gargariſationes verò fortes & frequentes utiquè minimè laudo, quod & Dolores augent & Inflammationem.

Eſt tamen quædam Anginæ Species ubi Gargariſmata, imò & acriora, valent plurimùm, à Deſtillatione nempè falsâ & pituitosâ in Fauces & *Pharyngem*, quæ tument quidem plurimùm, at ſubalbidæ ſunt & Muco plurimo obductæ; atqui Febris tantùm modica ſubeſt, Reſpiratio autem eſt ſatìs difficilis & Deglutitio obſtructa plurimùm.

* Lib. 4. C. 4.
† De Curatione Anginæ.
‡ Lib. 3. C. 3.

In

In tali equidem Caſu non multâ Sanguinis Miſſione Opus eſt, ſed *Epiſpaſticis* & *Catharticis:* Suadet etiam *Elaterium Aretæus*; habemus tamen mitiora multò, at efficacia ſatìs: Sinapi interim ex Mulſo & Aceto coctum & idoneum facit Gargariſma & perutilem Vaporem, quodque mirè elicit Colluviem. Attamen fugienda ſuut omninò hæcce ubi magna ſubeſt Inflammatio, Ficus enim hìc & Nitri Decoctio ex Aquâ & Lacte, melius multò eſt Gargariſma & tutius longè, etiam & haud inutilis Potio.

Sed hæc hactenùs de Anginâ; cujus quidem variæ cùm ſint Species * variam quoquè poſcunt medendi Methodum. At ea ſanè, quæ longis accedit Morbis, vel lentis Febribus, ubi nec Tumor eſt extrà, nec in Faucibus aliquid conſpicuum, ſed aridæ ſunt quodammodò & pallidæ, Sanguinis Diſpendium & Alvi Purgationem minimè fert, nedum indicat: *Cardiaca* contra idonea atque Victum inſtaurantem poſtulat, his enim ſolis ſi ullis, levatur Malum. Eſt tamen ut plurimùm certus Exitii Nuncius.

Plena Luna 12° FEBRUARIO. *Nova Luna* 26°.

Altam plerumque Stationem tenuit *Barometer* hoc Menſe, etſi Libs ſæpè furebat, Pluviâ quoquè haud parcâ cadente; immenſa tamen *Atmoſphæræ* Denſitas Mercurium ſuſtinuiſſe videtur; porrò Corus interfuit ſæpè, Subſolanus interdum. Vix ullum Gelu hoc, aut elapſo Menſe: Aër craſſiſſimus ſemper ac humidiſſimus.

Pluvia $\overset{\prime\prime}{\overline{1}}$. 3. $\overset{\prime}{\overline{5}}$. 6—$\overset{\prime}{\overline{8}}$. 9. $\overset{\prime\prime}{\overline{10}}$. 11. 13. 14. 17. 18. $\overset{\prime\prime\prime\prime}{\overline{19}}$. $\overset{\prime}{\overline{26}}$. $\overset{\prime}{\overline{27}}$.
Dig. Dec.
28 = 2,876.

Maximus Halo circa Lunam 5. H. 9. p. m. Magna *AB.* 23. H. 7. p. m. E 1.

☿ Altitud. maxim. 23. 30,3. E 1 } media 29. 8[illegible]
——— minim 19. 29,4. S S W 1. }

Dies frigid. 6. 59. N W b N 1^{x}. } media 51[illegible]
— tepid. 27. 47. S W b W 3^{x}. }

* De his Vide *Celſum*, Lib. 4. C. 4.—Necnon *Aretæum* de Morb. acut. Lib. 1. C. 7.

Ophthalmiæ, Pleuritides & *Peripneumoniæ* paſsim. Tumores Colli Fauciumque cum acerbo ſæpè Dentium Auriumque Dolore valdè frequentes: Haud raro naſcuntur in Meatu auriculari *Apoſtemata*, vel in Tonſillis, ſubindè *Parotides* diu dolentes, tandemque aliquando ſuppurantes.

Rheumatiſmus & Arthritis ſævit maximè: *Variolæ* plurimæ.

Morbilli puſtuloſi, & maximè eminentes, admodùm ſunt *Epidemici*; at, neſcio unde, magis funeſtos edunt Effectus quàm vel merè maculoſi; mox enim ab Initio vehemens invadit Tuſſis, & perpetua ferè Sternutamenta cum maximâ ad Oculos Nareſque Fluxione, protinùs ardens accedit Febris cum Delirio plerumque, & permagnâ Præcordiorum Oppreſſione; quæ fit etiam, Morbi ſtatu, multò violentior, adeò ut tunc Affectio ſæpiſſimè evadat prorsùs *Peripneumonica*. Hinc Stupor accedit, vel ſæviſſimi Dolores *Colici*, ſæpè *Dyſenteria*; Tuſſis autem uſque ingraveſcit, unde haud rarò expuitur Sanguis, rupto in Pulmone Vaſculo, interdum etiam ex Naribus plurimus effunditur—Sanguinis Miſſio *Colicam* æquè levat ac *Peripneumoniam*; perneceſſaria eſt utiquè, ſine quâ quidem vix aliquid proficit, poſt autem *Cathartica* lenia Morbi Reliquias expurgant feliciter, modò parcus ſit Victus & idoneus. Plures equidem Pueros hic Morbus opprimit, vehementi Pulmonum Inflammatione, aut lentâ Tabe & importunâ admodùm Tuſſi conſumptos.—Qui Artuum Laſſitudinem * ac Dolorem graviter diuque plorabant, imminente Morbo, ſævum admodùm perpeſſi ſunt: quod in *Variolis* quoquè ſæpiùs notavi. An Humorum Acrimoniam indicat hoc *Symptoma*, an Globulos ſanguineos in Vaſculo Sero Sanguinis duntaxat idoneo impactos, *&c.?*

Plena Luna 14° MARTIO. *Nova Luna* 28°.

Et ineunte & exeunte Martio ſublimis fuit *Barometer*, Ventus ab Oriente, aut Septentrione, per totum ferè Menſem, unde Sudum plerumque: atqui inter 14 & 25, ſubſidente Mercurio, Nix multa,

* Ὀστεοκόπος. Hippocrat.

Pluvia.

Pluvia frequens & Grando, atque algida Tempeſtas: rigidum Gelu 18. 19. N E 1.

Pluvia 6. 14. 18. 21. 22. 23. 24. Nix 11. 15. 16. 18. 20.
Dig. Dec.
Grando 17. 22 = 1.512.

Magna *AB*. 1. H. 10. p. m. N E 1.—magna variata *AB*. 15. H. 7. N. b W. 2^x fuit tamen majore ex Parte Coloris Ferri igniti: hujus Radii lucidi vel à S W & S E jaculati fuere pone: maxima rursùs lucida verſicolor *AB*. 30. H. 10. N b W 1. Centrum Coronæ (ut dicitur) certiſſimè ad Plagam orientalem Lineæ meridionalis divergebat per Gradus ferè quindecim, totidemque ſaltem ab ipſo *Zenith* ad Auſtrum declinabat.

☿ Altitud. maxim. 30. 30,4. N b W 1. } media 29.7.
——— minim. 22. 29,1. E S E 2. }

Dies frigid. 16. 66. N b W 2. } media 55.
— tepid. 31. 46. N b W 1. }

Morbilli adhuc *Epidemici: Variolæ, Ophthalmiæ, Pleuritides* & *Peripneumoniæ* plurimæ: non hìc tantùm ſæviunt omnes hi Morbi ſed & undiquè Tuſſes *convulſivæ*, vehementes, ſuffocantes, *Morbillos* ſæpe & *Variolas* inſequuntur, quæ magnam ſanè edunt Stragem.—Cum 4° ab Eruptione Morbillorum Die probè deſquamatur Cuticula, quaſi Furfure craſſiore aſperſa, læta Spes effulget; at parva certè, ubi Puſtulæ lividæ, aut luridæ fiunt. Tunc, autem *Epiſpaſtica* haud parcè admovenda ſunt, & Frictiones calidæ per totum Corpus mox adhibendæ; intereà Serum Lactis vinoſum, tepidum, ſorbillandum eſt affatìm, paucis *Sp. C. C.* Guttis, ſi languet Pulſus, inſtillatis.

Coryzæ, Raucedines, Faucium Collique Tumores, apud omnes ferè; haud pauci etiam Anginâ corripiuntur, quæ tamen eſt plerumque mucoſa, nec multâ Febre, nec magnâ Spirandi Difficultate ſtipata: *Paraſynanchen* hanc Anginæ Speciem vocabant Veteres. Pendens autem à multâ Colluvie ſeroſâ rectiùs *Epiſpaſticis*, blandis Sudoribus, & Alvum purgantibus, diſcutitur, quàm largâ & repetitâ

San-

Sanguinis Miſſione; utcunquè ſit prudens, in ipſo Morbi Initio, Venam ſecare: Hìc etiam detergentia & paulò acriora Gargariſmata proficiunt, quibus quoquè aſtringentis aliquid immiſcetur utiliter. Sæpè equidem nimii ſumus in *Emollientibus* ubi Fluxio ſeroſa quaſi Fauces inundat, quia plus Humoris ibidem invitant.

Longè tamen alia debet eſſe Ratio medendi ubi urget peſtifera *Cynanche*, hìc enim plerumque Febris eſt acutiſſima, rubet tumetque Vultus, uſque eò ut interdum etiam liveat, torvi ſunt Oculi & inflammati, pulſant dolentque admodùm Tempora; mox ſuccedit Phrenitis, aut Stupor ſomnolentus, difficillimè trahitur Spiritus, imò vix reſpirare valent niſi prorsùs erecti, protinùſque ſuffocantur niſi juvat cita, larga, & repetita Sanguinis Miſſio.

Plena Luna 12° APRILI. *Nova Luna* 26°.

Aquilo perflavit ſæpiſſimè hoc Menſe, interveniente ſubindè Cauro, interdum Vulturno, unde valdè frigida Tempeſtas: Nix, Grando, Gelu, frequenter per Initia, ſub Finem Pluvia, ſpirante Auſtro.

Pluvia 1. 2. $\overset{\prime}{7}$. $\overset{\prime\prime}{11}$. 15. 21. 22. 24. 25. 26. $\overset{\prime}{27}$. $\overset{\prime}{28}$. $\overset{\prime}{29}$. Nix 3. 4. 8. $\overset{\prime}{9}$. Grando 8. 9. 10. Acre Gelu 5. N E 2 = 1.698. (Dig. Dec.) Magna ignea *AB*. 20. H. 9. E N E 3. Procella 8. N N W 4_x.

☿ Altitud. maxim. 11.29,8. N E 2.
——— minim. 24.29,1. S E 2. } media $29.4.\frac{25}{30}$.

Dies frigid. 5. 64. N E 2
— tepid. 30. 44. S W b S 2. } media 50.

Ophthalmiæ, *Pleuripneumoniæ*, Anginæ, valdè frequentes, multòque magìs vehementes. *Variolæ* graſſantur plurimùm, at multò magìs *Epidemici* ſunt *Morbilli* magiſque etiam funeſti.—Tuſſi graviſſimâ infeſtantur Pueri; febricitant ſæpe haud leviter; ægrèque admodùm exantlatur tenax Pituita, unde haud pauci Diſtentione Nervorum corripiuntur: Miſſione Sanguinis levantur & Uſu *Oxymel. Scillit. Expreſſione Milleped.* &c. Tempeſtas eſt valdè funeſta Tabidis. Longæ & difficiles *Apthæ*, ac Faucium Ulcera pertinacia haud rarò febri-

febricitantibus * accidunt: *Hecticis* & *Phthiſicis* utiquè ſunt certa, imò & cita, Mortis Præſagia.

Febres tertianæ aliquæ; Arthritis & *Rheumatiſmi* ſæviſſimi.

Plena Luna 12°. Maio. *Nova Luna* 26°.

Menſis Initio Ventus ab Auſtro non parcam demiſit Pluviam: à 13° Subſolanus ſæpè, mox Vulturnus, tunc Aquilo, Corus interdum: 15° Fulgur, Tonitru, Pluviæ, Vento omni Modo, & omni Horâ, variante: 16° Aquilo velox, nulla Pluvia; Nocte tamen Vis immenſa, etiam inter Horam Noctis undecimam & Meridiem 17^{i}, Pluviæ Digitus integer decidit, minimè intereà ſubſidente Baroſcopio. Perſtitit Aquilo ad 19^{m}; inde Ventus inconſtans micante ſubindè Fulgure: ſub Finem Aquilo rursùs, qui, contra quod ſolet, fuit hoc Menſe plerumque Auſtro tepidior.

Pluvia $\overset{/}{1}$. $\overset{///}{2}$. 3. 5. $\overset{/}{7}$. $\overset{//}{9}$. $\overset{///}{10}$. 11. $\overset{//}{15}$. $\overset{////}{17}$. 18. 19. $\overset{//}{24}$. 30. = 3.210. Dig. Dec.

Procella 2 Nocte S S E 4$_{x}$ Fulgur & Tonitru 18.

☿ Altitud. maxim.	25.	30,0.	N E 1.	media 29 5$\frac{20}{29}$.
——— minim.	10.	29,2.	S S W 3.	
Dies frigid.	2.	47.	S b E 3^{x}.	media 38$\frac{7}{29}$.
— tepid.	27.	28.	E N E 1.	

Opthalmiæ, Anginæ, *Pleuritides*, *Peripneumoniæ*, & veræ & ſpuriæ, frequentes: *Variolæ*, *Morbilli*, ac Febres *Miliares* paſſim. Tuſſis *convulſiva* plurimos infeſtat Pueros, aliquos protinùs ſuffocat. Plures ſolito à *Pleuripneumoniâ* malè judicatâ fiunt *empyici* †, rupto interdum in Latere Abſceſſu, haud rarò intra Pulmonem; qui faciliùs purulenta expuunt ſervantur, ſin aliter brevì totus abſumitur Pulmo, magnâ accedente Raucitate, & Gutturis Aſperitate.—*Raucedo* frequenter utiquè Pulmonarios vexat, eaque pertinax admodùm; quod ſanè inter confirmatæ *Phthiſeos* Signâ rectè numeratur, nec profectò longê Mors abeſt ſi *Apthæ* accedunt, aut Gutturis Ulcera: pertimeſcenda eſt adeò

* φάρυγξ ἑλκωμένη, σὺν Πυρετῷ, δεινόν. *Hippocr*. Prognoſtic.

† De Signis Empyematis perlege *Hippocr*. Prognoſtic. & Libri, de Locis in Homine, Sect. 28.

in

in Morbis Pulmonum Raucitas, maximè ſi viridia ſint Sputamina aut quaſi cœnoſa.

Plena Luna 10° Junio. *Nova Luna* 25°.

Infauſta, pluvia, frigida Tempeſtas toto ferè Junio, Ventus ab Occidente plerumque, ad Auſtrum ſubindè vergens, haud raro etiam ad Septentrionem.

Pluvia 1. 2. $\overset{/}{5}$. 6. $\overset{//}{7}$. $\overset{///}{9}$. $\overset{////}{10}$. 11. $\overset{//}{15}$. 18—20. $\overset{///}{23}$. 24. $\overset{//}{25}$. $\overset{//}{26}$. 27. 30. = 4.218. Dig. Dec.

Fulgur & Tonitru 5° Noctu. Levis Procella 26 Mane S S W 4_x.

☿ Altitud. maxim. 16. 29,8. N N W 1.
——— minim. 10. 29,0. S S W 3. } media 29.4$\frac{18}{30}$.

Dies frigid. 3. 38. N b E 1.
— tepid. 29. 27. W N W. 1. } media 32$\frac{2}{3}$.

Variolæ & *Morbilli* adhuc frequentes: Febres *Miliares* compoſitæ (ut dicuntur) haud raræ: Multos torquet *Rheumatiſmus*, & Laterum Dolor; nec paucos opprimit *Peripneumonia*, at plerumque notha. Tuſſis ſæviſſima paſsim apud Pueros, quæ vix ſedatur niſi poſt Vomitus frequentes, & repetitas *Rharbarbari Doſes*; tunc vero *Decoct. Cortic. Peruviani* brevì fugatur.

Plena Luna 9° Julio. *Nova Luna* 24°

Perdurat uſque frigida, ac humida Tempeſtas, Aër plerumque craſſus valdè & nebuloſus, Pluviæ quidem plus ſatìs; unde Fructus ὡραῖοι crudi prorsùs & inſuaves. Ventus ab Occidente prævaluit, ad Auſtrum ſæpè flectens, ſæpiùs tamen ad Septentrionem, interfuit Boreas interdum, aliquando Malacia.—Raræ admodùm Papiliones, rariſſimæ Cicadæ.

Pluvia $\overset{/}{1}$. 3—5. 9. $\overset{///}{10}$. $\overset{//}{11}$. $\overset{///}{12}$. $\overset{///}{13}$. 14. 15. $\overset{//}{18}$. 25. $\overset{//}{27}$. 28. 29. $\overset{/}{30}$. $\overset{//}{31}$. = 3.172. Dig. Dec.

Fulgur & Tonitru 12 a. m. Malacia.

☿ Altitud.

☿ Altitud. maxim. 20. 30,1. N b W 1^x. } media 29.6$\frac{14}{29}$.
——— minim. 11. 29,2. W S W 2_x. }

Dies frigid. 13. 40. N N E 1 } media 31$\frac{9}{29}$.
— calid. 23. 24. Malacia. }

Variolæ epidemicæ, haud tamen valdè lethales, *Morbilli* aliqui, Tuſſis *convulſiva* atrox adhuc: Diu duravit Angina quædam *apthoſa*, quæ omnibus penè Morbis acutis accedit, præcipuè puſtuloſis; jamque etiam *peripneumonicos* vexat.—Moleſtum ſanè, ac ſæpè periculoſum eſt *Symptoma,* ubi in Febribus Membrana Faucium inflammatur, ac Puſtulis obſidetur: Paucæ utiquè *Variolæ,* in ipſo Faucium Iſthmo, multò plus nocet quàm mille extrà.

Plena Luna 7° AUGUSTO. *Nova Luna* 23°.

Prior Auguſti Pars fuit læta ſatìs, poſterior infelix admodùm Pluviâ ferè perpetuâ cadente, quæ Segetes corrumpit maximè: *Atmoſphæra* porrò, quæ vigeſimum uſque fuit ſicca ſatìs, jam facta eſt craſſiſſima ac humidiſſima, Libs intereà perflavit; Corus autem prævaluit Initio.

Pluvia 1. 2. 5. 6. 12. 21. 22. 23. 24. 25.—27. 28. 29. 30. 31 = 2.016.
Dig. Dec.

Fulgur & Tonitru 23. Permagnus igneus Halo circa Lunam 5 H. 10. p. m. W 1^x. Procella 21 Nocte S S W 4_x—24 Nocte S W 4_x—26 Nocte S W 4.

☿ Altitud. maxim. 18. 30,0. N 1. } media 29.6$\frac{2}{30}$.
——— minim. 29. 29,2. S W b W 3. }

Dies frigid. 31. 42. W N W 2^x. } media 31$\frac{13}{30}$.
— calid. 15. 20. N N W 1_x. }

Variolæ epidemicæ, Tuſſis *convulſiva* adhuc frequens, præſertim in *Cornubiâ* citeriore: Anginæ, & *Peripneumoniæ* nothæ paſsìm, multis Puſtulis, rubris & aquoſis, Statu Morbi, erumpentibus, iiſque plerumque ſalutiferis. *Rheumatiſmus* vexat Plurimos, qui multò nunc fæliciùs *Catharſi* cedit quàm Venæ Sectioni.

Magnus Languor omnes opprimit; imò vel Aviculæ contriſtantur, ſilet ipſa Cicada.

Plena Luna 6° SEPTEMBRI. *Nova Luna* 21°.

Pluvioſus porrò ac frigidus ſequitur September; Libs furibundus ſæpè ineunte Menſe, poſt xvi Vulturnus plerumque, intercurrente nonnunquam Malaciâ—Nimio Squalore obruta tabeſcunt plurima Frumenta.

Pluvia 1. 3. 5. 6. 7. 8—10. 11. 12. 15. 17. 19. 20. 21. 22. 26. 27. 28. 30 = 3.452. Dig. Dec.

Levis Procella 3 Noctu S W 4_x—gravis 10 Nocte S W 4^x—11. a. m. W S W 4.

Fulgura & Tonitrua 7 Nocte—Fulgura perpetua ſine Tonitru 10 Veſperi—21 Veſperi—perpetua ſine Tonitru quoquè 23 ab Horâ 6 p. m. ad mediam Noctem & ultra. *AB.* 12 & 13. Horâ 8â p. m. N W b N 1.

☿ Altitud. maxim. 14. 29,8. N N E 1.
——— minim. 11. 29,0. W S W 4. } media 29,5$\frac{3}{30}$.

Dies frigid. 14. 48.
— tepid. 22. 32. S S E 1. } media 38$\frac{2}{3}$.

Variolæ uſque vagantur, hìc autem benignæ ſatìs ſunt, aliis tamen in Locis haud rarò lethales. Tuſſes *convulſivæ* etiamnum frequentes: Febres lentæ *nervoſæ* atque *miliares* paſsìm, aliquæ etiam putridæ, aliquæ intermittentes.

Icterus & Hydrops, jam ſæpè quidem unitis Viribus, plures opprimunt.

Tuſſes plurimæ, Fauciumque Tumores, Colli. *Parotidum*, Maxillarum, levi ſæpè cum Anginâ, ubiquè permoleſti ſunt.

Plena Luna 5° OCTOBRI. *Nova Luna* 21°.

Ab ultimo Septembris Diem ad uſque viceſimum ſecundum Octobris Boreas perflavit aſſiduè, unde ſublimior *Barometri* Statio, & ſicca Tempeſtas; porrò inter xiv & xxiii frigida valdè: ſub Finem Menſis infremuit pluvius Vulturnus. Gelu rigidum 18.

Pluvia 2. 13. 24. 25. 26. 27. 28—31. Grando 28 = 1.516. Dig. Dec.

Procella 29—30. S E b S 4. *AB.* 19. H. 8. p. m. E N E 1.

☿ Altitud. maxim.	8. 30,3.	E N E 2_x.	} media $29.7\frac{29}{31}$.
——— minim.	31. 29,1.	S E 3^x.	
Dies frigid.	18. 65.	E N E 2.	} media $52\frac{15}{31}$.
— tepid.	1. 44.	N N E 1.	

Ubiquè ferè dominantur *Variolæ*, plerumque tamen ſunt benigniores. Febres aliquæ, putridæ, intermittentes aliquæ, ceu potiùs remittentes quæ faciliter *Eccoproticis* lenibus abiguntur, epoto ſubindè *Hauſtu ſalino* cum *Corticis Peruviani* tantillo—*Ophthalmiæ*, Anginæ, Coryzæ, Tuſſes humidæ, creberrimæ; *Pleuritis*, ac *Peripneumonia*, & vera & notha, frequens.

Spuria Pleuritis plerumque nihil aliud eſt quàm Affectio Muſculorum externorum Pectoris, quæ *Rheumatiſmi* utiquè Species eſt; at ubi ipſum Coſtarum *Perioſtæum* inflammatur, Dolor ſæpè vehemens urget, & pertinax admodùm, unde Reſpiratio haud raró impeditur maximè*—atqui jam ex facili diſcutitur, molli exiſtente Pulſu, Fomentis idoneis, & leni *Catharſi.*

Plena Luna 4° NOVEMBRI. *Nova Luna* 19°.

Ipſo Menſis Initio gravis decidit Pluvia, Auſtro fremente; à vi ad x Aquilo frigidiſſimus prævaluit, mox Vulturnus Diem ad uſque xvii durans; frigidus hic quoquè, ac ſæpè nimboſus & pluvius. xxi Veſperi gravis irruit Procella, Libanoto furente vehementer, dum perplurima corruit Pluvia; duravit hæc per integrum ferè Triduum, quo maxima fuit, imò & inſolita, *Baroſcopii* Depreſſio, Æſtus autem Maris immenſi †: ad Finem verò Caurus *Mercurium* erexit.

Pluvia $\overset{////}{1}$. $\overset{/}{3}$. 4. 5. 7. 8. $\overset{/}{11}$. 12. $\overset{/}{13}$. 14. $\overset{/}{15}$. $\overset{/}{17}$. 19. 20. $\overset{///}{21}$. $\overset{///}{22}$. $\overset{//}{23}$. $\overset{/}{24}$. 25. $\overset{/}{26}$. $\overset{/}{27}$. 28. $\overset{//}{29}$. Grando 23 & 29 = Dig. Dec. 4.574.

Levis Procella 12 Nocte S E b S 4_x. Procella 21 Veſperi S S W 4—totâ Die 22 S W b W 4^x—23 Mane S W 4. Fulgur & Tonitru 21 Nocte—23 Nocte.

* Vid. *Eſſay on Fevers*, Cap. de Pleuritide. † De his Vid. Vol. I.

☿ Altitud. maxim.	14. 30,1.	S E b E 3.		media $29,4.\frac{12}{28}$.
——— minim.	23. 28,2.			
Dies frigid.	10. 70.	N N E 1.	Gelu valdè rig.	media $58\frac{10}{56}$.
— tepid.	1. 48.	S 3.		

Pleuritides & *Peripneumoniæ*, & veræ & ſpuriæ, haud infrequentes, nec Febres *nervoſæ*, ac *miliares*; præcipuè in *Cornubiâ*: Crebra Tuſſis *convulſiva* inter Pueros. Anginæ & Tumores Facium, *Parotidum*, ac Maxillarum undiquè, qui ſæpè ſuppurantur & intùs & extrà.

Variolæ epidemicæ hìc, & ubiquè, jamque multò pejoris ſunt Notæ, ſæpè cum lividis & nigris *Petechiis*, ſæpè ſeſſiles ſunt prorsùs & ſubnigræ, ſæpè vacuæ omninò, ſæpiùs acri admodùm ac crudo *Ichore* turgidulæ: Plures ſanè jugulant: Qui evadunt plurimis moleſtiſſimis Furunculis & Ulcuſculis frequenter admodùm infeſtantur—Haud rarò immenſâ fit, ipſis primis Morbi Diebus, *Salivatio*, tenuis quidem ea & acris maximè unde Fauces & totum Os mox exulcerantur. Semper mihi ſuſpectus eſt utiquè præmaturus hic & crudus Fluxus*, Tædii quippe plurimum Ægrotis ac Doloris facit, arcetque protinùs Somnum; unde nec fauſtè replentur Puſtulæ, nec maturantur benè. Porrò magnam hoc Sanguinis indicat Acrimoniam; quod quoquè valdè frequens Sternutamentum denotat, & enormis Narium ac Oculorum Fluxio: unde hæc rectè inter mala Signa ponuntur—Nihil huic Malo ſuccurrit magìs, imò & ſæpè occurrit, quàm tempeſtiva, ſummos inter Humeros & pone Aures *Epiſpaſticorum* Applicatio, quibus acris evocetur Humor.

Plena Luna 4°. DECEMBRI. *Nova Luna* 19°.

Tempeſtas hoc Menſe fuit planè mirabilis; ad Initium Boreas, rigidum Gelu, mox pluvius & turbidus Auſter, paulò pòſt Libs furens, multaque Pluvia, ſurgente tamen Baroſcopio: xiv ac xv Corus, xvi Boreas Geluque recurrunt: xix & xx Vulturnus velox; Libs iterùm nimboſus xxi; inde Eurus ad xxviii, intercurrente tamen Boreâ perfrigido xxv & xxvii: Hinc ſæviſſima Procella ab Oriente ad Finem uſque cum rigidiſſimo Gelu & Nive perpetuâ minutiſſimâ; brevì

* Vid. *Eſſay on Fevers*. C. de Variolis.

omnia

omnia penetrabile Frigus adurit intùs atque foràs, vel generoſiſſima Vina congelans; quicquid Aëri expoſitum eſt dicto citiùs conglaciat—ad Ignes luculentos rigentes, etiam in Lectulis algidi, adeò ob Frigus horrendum torpemus ut vix ferè ſimus vitales.

Vehementiſſima Tempeſtas ad Finem Decembris perplurimas Aves & Aviculas abs Terrâ abripuit, illaſque ad immenſam à Littore Diſtantiam abegit; quæ defeſſæ prorsùs perlongo Volatu ad Naves ſe contulêre medio in Oceano, & à Nautis erant facillimè captæ: Mirum utiquè Genus Aucupii!—Ipſe vidi, Januarii ſequentis Initio, fortè tunc viſitans nobiliſſimum *Comitem Deloraine*, in Navi præſidiari *(the Weymouth)* ægrotantem, Artocream ex Aviculis confectam, quas Nautæ in Reditu ab Olyſſipone ad Portum noſtrum captâverant, longè longèque ab ullâ Terrâ.

Pluvia $\overset{///}{3}$. $\overset{//}{4}$. $\overset{///}{5}$. $\overset{/}{6}$. 7. $\overset{/}{8}$. $\overset{//}{9}$. 10. 11. $\overset{//}{12}$. $\overset{///}{13}$. $\overset{///}{14}$. 15. 20. $\overset{///}{21}$. $\overset{/}{22}$. $\overset{///}{23}$. 24 = 4.102. Dig. Dec.

Multa Pluvia 21. 22. 23. etſi *Barometer* erat ad 30.1. Libs porrò perfurebat, atqui Aër fuit longè craſſiſſimus ac humidiſſimus, immensâ ſcilicet Vaporum Copiâ per *Atmoſphæram* diffusâ.

Non potui Nivis Quantitatem æſtimare, quippe quæ fuit à Vehementiâ Ventorum è Recipiente difflata.

☿ Altitud. maxim.	16.	30,2.	N E 1.	} media 29.8.	
——— minim.	4.	29,1.	S S W 3x.		
Dies frigidiſſima per Hominum Memoriam	31.	90.	E N E 4x.	} media $61\frac{26}{28}$.	
— tepida ———	10.	52.	S W b W 3x.		

Febres *miliares* & *nervoſæ* aliquæ, Variolæ paſsìm, Anginæ & Ophthalmiæ crebræ: Tuſſes, *Rheumatiſmi*, *Pleuritides* ac *Peripneumoniæ* ſunt frequentes.

Tota Pluviæ Quantitas Anno MDCCXXXIX. = 36.308. Dig. Dec.

Plena Luna 2°. JANUARIO. *Nova Luna* 17°.

Perſiſtit adhuc frigus enorme, quale quidem in hâc Regione haud perceptum fuit antehàc unquam: Primo licèt Menſis Die maxima fuit

fuit Nivis Solutio, decidente Pluviâ, mox tamen recurrit Boreas, ac Gelu acerrimum, ad Finem uſque Menſis perdurans—Quamvis enim omnia Solis Ardore liquantur interdiù, conſtringuntur Noctu rigidiſſimo Gelu. *Atmoſphæra* fuit plerumque craſſa valdè & veluti offuſcata Fumo, inter x verò & xvii tenuiſſima. Dies frigidiſſimi erant 11. 15. 16. 17. 18. 26. 27. 28; adeò ſævum regnabat Frigus ut Vina omnigena, foràs expoſita, mox congelarentur; imò ac vel ipſum ad Littora Mare, quod utiquè hìc accidit rariſſimè. Plantæ & Arbores innumeræ pereunt, vel & ipſæ duræ Geniſtæ, vix vides viridem Herbam. Innumerabiles huc advolant Aves aquaticæ, perplurimæ etiam ab exteris Regionibus, vix unquam hìc viſæ.

	Dig. Dec.
Pluvia ″ 1. 2. 9. Nix & Grando 8.9 =	0.416.

Nullum vidi Lumen boreale toto hoc Menſe, etſi Ventus ferè perpetuus è Septentrione ſpiravit.

☿ Altitud. maxim.	14.	30,4.	E N E 2.	} media $30.1\frac{14}{31}$.
——— minim.	1.	29,1.	S W 2.	
Dies frigidiſſimus	26.	84.	N N E 1.	} media $75\frac{11}{31}$.
— tepidus	31.	69.	S E b E 3x.	

Variolæ adhuc *epidemicæ* ſæpè parvæ ſunt admodùm, ſeſſiles & ſubnigræ, ſæpè lethales; Ægroti, his correpti, parùm tument, perpaululùm expuunt, unde non raro 8, aut 9 Die ſuffocantur. Perpetuùm eſt ferè, quod per ſiccas ac frigidas Aëris Conſtitutiones, diu durantes, *Varioloſi* parciſſimè expuunt *; unde tali prævalente Tempeſtate ſuaderem Gargariſationem emollientem ac frequentem, Potus tepidos, relaxantes, continuos, Vaporem aquæ tepidæ, aut Lactis dulcis, Ore hauſtum, ut per hæc, laxatis Fibris, attenuato Sanguine, reſeratis Salivæ Ductibus atque abſterſis, eliciatur *Salivatio* libera, quæ in hoc Morbo maximi ſemper eſt Momenti.

Tumores Faucium, *Parotidum*, Tonſillarum, &c. apud omnes ferè, qui & Tuſſi quoquè vexantur & acri Deſtillatione. Anginæ,

* Vide *Eſſay on Fevers.*

Odon-

Odontalgiæ, *Pleuritides*, *Peripneumoniæ*; ſunt undiquè frequentes. Perniones innumeris moleſti ſunt, ſæpè etiam in Adultis ulcerant.

Febres lentæ, *nervoſæ* aliquæ, aliquæ *miliares*; *Aſthma* grave admodùm ſævit plurimùm, haud paucos Senes jugulat.

Plurimi in Viciniâ, & hìc quoque, Tumore Faucium, Colli atque Capitis corripiuntur, mox Inguinis & Teſticulorum Dolore acuto, ac Tumore: hunc Morbum tamen Sanguinis Miſſio, & lenis Alvi Purgatio, ex facili diſcutit—Sanguis ſubflavo Glutine, haud autem valdè tenaci, obducitur.

Plena Luna 1°. FEBRUARIO. *Nova Luna* 16°.

Siccus quoque & frigidus valdè fuit hic Menſis, utcunquè enim per Initia Vulturnus Brumam aſperrimam temperavit aliquantulùm, rediit tamen mox Aquilo cum duriſſimo Gelu: Ad Finem verò Ventus auſtralis ſpirabat, qui pluviam fecit *Atmoſphæram* ac multò tepidiorem. *Barometer* altam tenuit Stationem toto Menſe: Aër fuit interdum pertenuis, plerumque tamen craſſus valdè & fumoſus, intercurrente ſubindè Malaciâ: Maximæ ſæpè ſæpiùs Pruinæ; medio nempè Die à Solis Fervore relaxata Terra plurimos exhalavit Vapores, quos Frigus nocturnum mox condenſavit, imò & gelavit Formâ Pruinæ.—Mare ad Littora ſæpiùs congelatum fuit hoc Menſe.

Pluvia 16. 19. 26. 27. 28. 29. Nix aliqua 12 = 0.482. (Dig. Dec.)
AB. 11. H. 8. p. m. N. 1ˣ. Enorme Frigus 14; Thermom. 84.

☿ Altitud. maxim. 23. 30,5. E N E 1. } media $30.1\frac{2}{29}$.
——— minim. 28. 29,8. S W 2. }

Dies frigidiſſima 14. 84. E N E 2ˣ. } media $68\frac{11}{29}$.
— tepid. 29. 56. S S E 2. }

Pleuritis, *Peripneumonia*, Angina, *Rheumatiſmus*, maximè frequens undiquè; miſſus ex his laborantibus Sanguis craſſus eſt valdè & glutinoſus, parùm habet Seri ſublutei. Perplurimi *Tuſſi*, *Catarrho*, *Aſthmate* ſævo premuntur: Multi *Xerophthalmiâ* laborant. Innumeri, etiamque Seniores, Pernionibus dolentibus, aliquando exulceratis, cruciantur. Febris quædam *Catarrhalis* cum acuto Capitis Dolore & Ver-

Vertigine, accedente etiam aliquando *Phrenitide*, multos detinet—*Phthiſici* & *Aſthmatici* jam peſſimè ſe habent—*Variolæ* adhuc paſsìm.

Scabies fœda jam regnat undiquè inter Popellum.

Plena Luna 2° MARTIO. *Nova Luna* 16°.

Perſtat uſque alta *Mercurii* Statio, Aër craſſus valdè & frigidus plerumque, Malacia frequens, præſertim Menſis Initio. Primo Die flante Vulturno, multa decidit Pluvia, pòſt autem Ventus inter N W & N E conſtitit: Gelu ſæpè hoc Menſe & maxima Pruina.

Pluvia $\overset{'''}{1}$. 3. $\overset{'}{5}$. 7. 11. $\overset{'}{14}$. 18. 23. 26. 27. Grando 12 = $\overset{\text{Dig. Dec.}}{1.278}$.

Circus vehemens 8 Mane. Magna *AB*. 12. H. 9. N N E 2. levis *AB*. Veſperi 13 N N W 1.—14 H. 9. N W 2: Perfrequenter ſanè notavi *AB*. per duas, treſve Noctes conſequentes Vento à Plagis Septentrionalibus ſpirante.

☿ Altitud. maxim.	30.	30,3.	N 1_x.	media $30.0\frac{4}{31}$.
——— minim.	1.	29,7.	S E b E 1_x.	
Dies frigid.	13.	67.	N N E 1.	media $55\frac{18}{31}$.
— tepid.	18.	51.	N W b N 1.	

Anginæ frequentes & Faucium Tumores; *Rheumatiſmi* multi, & gravis ſæpè Arthritis: *Variolæ* adhuc. *Aſthma* ſæviſſimum, diuquè admodùm durans, permultos premit; plures *Phthiſici* moriuntur. *Pleuritides* & *Peripneumoniæ* plurimæ, perrarò autem Sanguinolenta expuuntur, ne liberè quidem & copiosè aliquid, unde haud parùm in Morbo Diſcriminis.

Sanguis, ex omnibus *Pleuriticis* & *Rheumaticis* miſſus, eſt denſus valdè & tenax, & non Sero ſatis imbutus.

Neſcio unde, ſed per plures Menſes, Juniores, atque etiam haud pauci Adulti, Lumbricis teretibus infeſtantur, qui per Morbos ſæpiſſimè dejiciuntur—An à corrupto Frumento *, necnon immaturis & crudis Fructibus, Progenies hæc verminoſa?

* Vid. Menſ. Auguſt. Anni 1739.

Plena

Plena Luna 1° APRILI. *Nova Luna* 15°.

Siccus fuit hic Menſis & frigidus maximè, ſtetit plerumque Ventus Orientem inter & Septentrionem, Malaciâ interdum interveniente; Pruina ſæpiſſimè, & nonunquam Gelu, ad xv Nix ſæpè, & Grando pòſt; permanſit Nix ſuper Montes ad xxvi uſque.

Pluvia 8. $\overline{12}^{\prime}$. $\overline{13}^{\prime\prime}$. 14. 25. 26. 29. Nix 20. 21. 22. Grando 26. 27 = 0.802. (Dig. Dec.)

Levis Procella 23 p. m. N N W 4^{x}.

☿ Altitud. maxim. 17. 30,2. Malacia	} media $29.8\frac{2}{27}$.	
——— minim. 12. 29,3. E 2.		
Dies frigid. 14. 62. E N E 2^{x}.	} media $51\frac{3}{27}$.	
— tepid. 19. 45. N N W 2.		

Perdurante adhuc eâdem Aëris Conſtitutione, iidem prorsùs ſæviunt Morbi, jamque multo ſunt ſeveriores; pereunt permulti Ruri & in Oppido.

Morbis acutis jam ſæpè accedunt *Petechiæ*, etiam ipſis *Peripneumonicis*, hoc tamen accidit præcipuè inter Nautas; Horum verò Sanguis parùm glutinoſus eſt, ſed magìs putridus, ac lividus quaſi, ejuſque Serum aut viride eſt, aut turbidum maximè ac veluti Luto fœdatum; purulenta quoquè protinùs expuunt & perſæpè fœtida: à *Scorbuto* * forſan hæc qui longè longèque, his in Oris ſaltèm dominatur.

Variolæ paſſim, & *Pleuritis* quædam acerbiſſima, quæ haud paucos jugulat More *paraphrenitico*, quarto vix elapſo Die; horum Sanguis extractus merum ferè Gluten refert.

Plena Luna 30 *ult.* *Nova* 14°. MAIO. *Plena Luna* 30°.

Permanet uſque ſicca atque frigida Tempeſtas, Ventus ferè perpetuus ab Oriente, flectens plerumque ad Septentrionem, ad Auſtrum etiam aliquando, ſæpè velox, mox tamen omninò ſilens, maximè ſub

* Vid. *Eſſay on Fevers.*

 Noctem,

Noctem, inſolitum & planè ſtupendum fuit Frigus pro Anni Tempore Die v, vi, & vii Menſis; imò haud parùm Nivis decidit quinto. —*Atmoſphæra* fuit perquàm craſſa,. etſi tam Pluviæ parùm decidit.

Pluvia 4. 5. 12. 14—17. 20. 23. 26. Nix 5. Grando 4. 5. 6. = 0.538. Dig. Dec.

Procella 25. a. m. E. 4. *AB*. 27. Veſperi N W b W 1.

☿ Altitud	maxim.	9. 30,1.	N E 1.	media $29.7\frac{11}{39}$.
———	minim.	4. 29,3.	N N E 2x.	
Dies frigid.		6. 62.	N b W 2.	media $42\frac{22}{30}$.
—	tepid.	30. 32.	Malacia.	

Perfurunt uſque Febres pulmonariæ, magiſque multò jam ſunt malignæ Maculis nigris, lividis, fuſcis ſæpè ſtipatæ; dolent vehementiùs Caput Dorſumque, Præcordia premuntur maximè; nunc quoquè ſemper ferè accedit Phrenitis effera, ac perſæpè Angina quædam ulceroſa vel ab ipſo Initio, totas Fauces ſenſim perreptans: Vel cruda prorsùs, vel ſanioſa expuunt: Cruda, lurida, turbida Urina, peſſimè ſignificans, Nihil unquam deponit. Fauſtè interdum, ſub Morbi Finem, Puſtulæ erumpunt & Furunculi—ſæpè verò jugulat Ægros hic Morbus, dirâ Anxietate jactatos, perpaucos intra Dies, More quaſi *Paraphrenitidis*; imò etiam haud raro *Hepatitide* correptos: nam & Situs Doloris & Color ictericus & intenſa Urina Flavedo hoc indicare viſa ſunt.

Jamque etiam graſſatur Febris putrida *petechialis*, quæ plurimos Nautas Orco demittit, atque inter Popellum multos. Hæ febres ſæpè complicatæ videntur & unitis Viribus ſæviunt, pulmonaria nempè atque *petechialis*.

Variolæ nunc magìs frequentes ſunt, ut plurimùm tamen mites, licèt parcè admodùm expuitur: At diſcreti ſunt plerumque Generis, quod mirum utiquè videtur, quandoquidem alii Morbi acuti Monſtri jam quid maligni alunt.

Tuſſis vehemens inter Equos cum Anginâ ſuffocante & Febre plures obruit; imò & bubulum Pecus tali etiam effectu ſæpè abripitur.

I —Grex

—Grex lanigera ſummâ Macie & aridâ Tuſſi maximè laborat; pereunt Oves innumeræ, quarum omnium Jecur tumet multùm & indureſcit, Veſicula Fellis autem, ſubatrâ Bile turgida, ad enormem creſcit Magnitudinem.

Nova Luna 13° Junio. *Plena Luna* 28°.

Major fortè nunquam obſervata fuit Siccitas, Fontes areſcunt prorsùs, & Flumina deſiccantur; *Pabula caneſcunt, cum Frondibus uritur Arbor*; Ov. Quamvìs *Hygroſcopia* omnigena ſicciſſimam Aëris Temperiem denotant, tota *Atmoſphæra* tamen craſſa valdè & fumoſa quaſi apparet — undè utiquè neſcio, ni deficit forſan ſufficiens in *Atmoſphærâ* Humor ad regularem Luminis Tranſmiſſionem — Sic Corpora quædam videmus, quæ, humectata, pellucida ſunt, arida verò opaca prorsùs.—Subſolanus à i ad v; à xix iterùm ad xxv; cæterùm Corus plerumque, haud raró etiam Libs.

Pluvia 5. 7. 8. 10. 11. 13. 24. Grando multa 7. p. m. = 0.742. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim.	18.	30,2.	Malacia	media $29{,}7\frac{24}{28}$.
——— minim.	7.	29,3.	S W b W 3.	
Dies frigid.	12.	42.	S W b W 2.	media $33\frac{3}{28}$.
— calid.	25.	25.	S E b E 1.	

Durat adhuc Febris *pneumonica*, quàm ſæpiſſimè comitantur *Petechiæ*—Sanguis in hoc Morbo detractus lividus valdè imò & ater conſpicitur, ac plerumque nimiùm ſolutus *, haud raró ſanè prorsùs ſanioſus.

Variolæ frequentiores, ſed ut plurimùm benignæ Indolis.—Febricula quædam cum Puſtulis rubellis & valdè urentibus, quæ per ipſa Morbi Initia erumpunt, perfrequens; levis tamen videtur & evaneſcit citò magnâ Cuticulæ Aſperitate relictâ.

Febris nautica peſtilentialis jam ſævit maximè; en hujus Hiſtoriam.

* In Febre *Petculari* epidemica, quàm accuratiſſimè deſcripſit *Ramazzini*, Sanguinem ſemper roſeum, purpureum, ſolutum, invenit, minimè verò glutinoſnm: vid. *Ramazzini* Conſtitution. Epidem. Ann. 1692, &c. Sect. 27, 47.

Ineunte Vere ad hunc Portum appulſæ ſunt Naves duæ bellicæ (*Panther* & *Canterbury*, quarum poſterior mox à Mari *Mediterraneo*) ex his Ægroti pluſquàm ducenti ad Terram protinùs delati ſunt, horumque Pars major Febre malignâ, imò peſtilente laboravit; hinc in Vulgum quoquè ſparſa maximam edidit Stragem.—Nec vana forſan fuit Suſpicio has quidem Naves Peſtilentiâ quâdam per Africas Oras tunc longè latèque graſſante, attactas fuiſſe, quoniam has inter & illas frequens fuerat Commercium.

Levis Rigor primò corripuit Ægros, mox ſubitus Ardor incerto prorsùs Ordine; Pulſus intereà fuit admodùm inconſtans, nunc incitatus valdè, nunc mirè depreſſus; acceſſit proinde Gravedo Capitis, aut Dolor acutus, ſæpè Occipitis, ſæpè Sincipitis, ſæpiùs autem in Temporibus, aut paulò ſupra Oculos, qui quidem longè vehementior —perdolebant etiam ipſi Oculorum Globi Luminaque refugiebant: Sopor interim perpetuus urgebat, at parcus admodùm aderat reverà Somnus, Tinnitu Aurium ſemper moleſtante aut Vertigine gravi. Fœdus valdè & amarus in Ore Sapor Vomitiones excitabat frequentes & bilioſas admodùm, multâ tamen permiſtâ Pituitâ. Lingua ferè ſubflava erat, aut fuſca & ſordida, rarò autem valdè arida, medio autem ſcabra. Jam extemplò plurimùm debilitati diſcumbunt, anxii tamen & quaſi perterrefacti, errantibus per omnia Membra huc illuc Doloribus. Urinæ tenues, crudæ, aquoſæ, aut luridæ, ſæpè tamen rutilæ, ceu tantillum ineſſet Sanguinis intimè permixtum, aut fortiſſimum aliquod Lixivium referentes; parcæ hæ & tenues ſemper, & Nihil prorsùs deponebant:—Mali admodùm Ominis nunquàm non omnes has notavi Urinas.

Hæc quidem inter Morbi Initia, exactis autem tribus, quatuorve Diebus in pejus multò ruebant omnia; jam enim vehementiùs ardet Febris, mox Phrenitis accedit, aut *Coma* Vigil, cum torvo Aſpectu & fulvo oculorum Rubore; Jactatio perpetua, Anxietas ſumma, vix vel ipſis aſtantibus tolerabilis; ſæpè Furor immanis, levis ſæpè Deſipientia aliena ſubindè murmurans.

Petechiæ

Petechiæ violaceæ, lividæ, fuſcæ, imò & ipſæ nigræ, ſextum inter Diem & undecimum ſæpiſſimè prodibant, nunc citiùs, nunc tardiùs; quò magis floridæ eò meliùs; fuſcæ tamen quaſi Cutis Lenticulæ, parvæ, innumeræ, malè ſemper ſignificabant, at peſſimè omnium Vibices, & Ungues atque ſummi Digiti lividi * aut plumbei—Funeſtum utiquè ſemper eſt hoc ultimum in Morbis acutis, indicat enim ſtagnantem in extremis Arteriis Sanguinem—bonum verò omninò ubi vividus adeſt Unguibus Color:—Medici eſt igitur hos etiam diligenter inſpicere.

Adfuit vel ab Initio permagna Præcordiorum Oppreſſio, quæ aucta quotidiè cum ſtringente quodam (hoc enim ſemper plorabant) Cordis Angore, & Reſpiratione tremulâ & ſingultiente quaſi (imò ſæpè diro cum Singultu ac Languore ſummo, haud raró ad Deliquium uſque) maximum portendebat Diſcrimen; cum & jam quoquè Tremores, Subſultus Tendinum, Capitis Vacillatio, incerti Rigores, frigidique Sudores ingruerent—Pedes erant ſæpè frigidiſſimi, dum Facies, Genæ præſertim, magno flagrabat Ardore, profuſus intereà & valdè fœtidus Sudor manabat Talos ad uſque; Pulſus interim exiliſſimus erat, at quàm citiſſimus: jam jamque inſtabat Mors.

Frequenter autem *Diarrhœa* fœdiſſima Miſeros colliquabat, aridâ prorsùs factâ ac durâ Cute, Corii ad inſtar, dum Lingua, quaſi fuerat indurata Fumo, rigebat, impos ferè Motus, nedum Loquelæ. Haud raro etiam in ſummo Morbi Statu *Apthæ* ſubnigræ, ulceroſæ, totas Fauces cruciabant Gulamque, quas paulò pòſt perpetuus inſequebatur Singultus; Senioſa indè, aut *gangrænoſa*, *Dyſenteria* Ægrotos brevì conficiens—Levis attamen obrepens Alvi Fluxus circa undecimam, ceu Arte, ceu Sponte eveniens, Saluti fuit plurimis, modò nec lividus, nec liquidus nimiùm.

Jam nunc quoque (Morbi nempè Statu) interdum maximum attulit Levamen larga Puſtularum Eruptio, More veluti Variolarum, quæ tamen nil niſi tenuem & acrem *Ichorem* continebant †—erumpebant etiam aliquando multò minores, at urentes admodùm, quæ verò

* *Eſſay on Fevers.*

† Φλύκλαιναι veterum Medicorum.

in

in Squamas mox abirent: ſalutiferæ quoquè & hæ. In quibuſdam peralbas quaſdam & latas Maculas notavi, paulò eminentes, quaſi ex Urticæ Morſû; hæ verò difficilis indicii.

Erant verò Ægrotantes plurimi ubi nihil horum planè, ſed aut *Parotides*, aut Tubercula, aut in Auribus *Apoſtemata*, eos ſublevabant: omnibus erat ferè magna Surditas, diu durans.

Multis fuit Narium *Hæmorrhagia* ſalutaris, at peſſimum ubi paucæ, acres, ſubcruentæ Guttulæ deſtillabant; nec utiquè juvabat ſemper copioſa; nam haud rarò longè nimiùm profundebant Nares, imò ad *Syncopen* uſque, præſertim ſub Julii Finem, cum eſſet ſæpè prodiga valdè: tunc etiam *Dyſenteria* cruenta ſæpiùs accederet.—Vix ullam memini Febrem in quâ *Scotomiæ* & falſi Oculorum Splendores erant tam frequentes.

Nihil utiquè novi æquè certum Victricis Naturæ Signum ac liberum valdè & copioſum Sputum, benigno prodeunte Sudore, aut fluente affatìm fulvâ & craſsâ Urinâ: perrarò autem Sedimenti aliquid depoſuit Lotium per totum Morbi Decurſum; imò, cum interdum craſſum fuiſſet admodùm per Horas aliquot, mox tenue prorsùs reddebatur. Signum hoc ſemper eſt malè judicatæ Febris: atque adeò hæc vel ex leviſſimâ Cauſâ fuit recidiva—Si quis Carnem comederet vel Piſcem, niſi probè purgatus & confirmatus benè, certò certiùs hoc paſſus eſt magno herclè cum Vitæ Periculo; nec minùs ſanè ſubiret Diſcrimen ſæpè ab acriore *Cathartico*.

Mihi equidem haud levis Noxa Popello accidiſſe viſa eſt à nimiâ Comeſturâ Piſcium, qui abundantiſſimè hâc Tempeſtate undiquè ſcatebant, præcipuè Scombri; quippè qui lentos generant ac rancidos Humores. Sudor vel ſaniſſimi Hominis, qui multo utitur Piſce, longè magìs fœtidus eſt quàm ſi Carne ſolùm et Pane veſceretur—quinimò jam diu notum eſt, quòd nimius Piſcatus *Scorbutum* infert & Morbos cutaneos.

Hæc adeò de Febris Naturâ, jam quoquè de Curatione pauca.

In Morbis equidem curandis Regulæ quædam generales ſervandæ ſunt, cum eo tamen, ut propria quoquè cujuſque Ægrotantis Natura per-

perſpicienda ſit: ideò ex *Hippocrate Celſus* * dixit " Mederi oportere " & communia & propria intuentem." Nec in ullâ Re magis hoc neceſſarium eſt quàm in Sanguine mittendo, ubi & Vires & Ætas & Habitus diligenter ſunt conſideranda.

Ipſo harum Febrium Initio rectiſſimè mittitur Sanguis, plùs, minùſve, pro Ratione *Symptomatum* nempè †: Si Pulſus ſit validus, ſi Febris vehemens, ſi Dolor acutus, repeti id debet, maximè ſi Pellicula tenax Cruorem obtegit, minimè tamen ſi haud ſatìs firma ſit Sanguinis *Craſis* & tenuis nimiùm, præcipuè ſi Serum ejus ſit luridum valdè, aut rubellum—Haud tamen fida ſatìs à Colore & Superficie Cruoris deſumitur Indicatio, niſi pleno Flumine & Impetu proſiliat: cum per Brachium deſtillat, aut exit quaſi guttatìm, falsâ ſemper & floridâ Specie decipit.

Sectâ imprimis Venâ, mox Vomitum leni *Emetico* movere oportet, maximè ſi Nauſea urget, aut Vomitio; hoc enim Modo exantlatur optimè bilioſa Colluvies, Fomes ſi reſtaret futurus Morbi—Hoc etiam ipſa Natura indicat, ſuâ ſæpiſſimè Sponte Vomitiones concitans—Nec ſolùm Initio, ſed in quolibet Morbi Statu eluendus eſt Ventriculus, ſi urget Vomendi Conamen, aut Ructatio bilioſa, & ingrata valdè ‡—Vitellus Ovi putridus, vel ad perpauca Grana datus, horrendam mox excitat Choleram; ſtagnans & putrida Bilis haud multò minùs virulenta eſt, quàm primùm igitur eſt ejicienda.

Sequitur plerumque poſt *Emeticum* Alvi Dejectio, ſi verò, non reſpondet, Clyſtere leniore ducenda eſt: ſive ſic parùm reddit, ſive fuerat ante Febris Acceſſionem aſtrictior debito, *Pharmacis* idoneis liquanda eſt, Manna nimirùm, *Cremore Tartari*, *Rhabarbaro*, Sale *Glauberi*, &c. quæ ſcilicet in primis Viis præcipuè agunt, minimas ſaltèm movent in Sanguine Turbas.—*Draſtica* utiquè *Cathartica* deprecor

* *Celſ.* Præfat. p. 17. ex Edit. *Almèloveen.*

† Perlege quæ de Sanguinis Miſſione dixi in Febribus putridis malignis, *Eſſay on Fevers.*

‡ Ubi Ructus amari cum Gravitate Præcordiorum ſunt, ad Vomitum protinùs confugiendum eſt. *Celſ.* Lib. 1. C 3.

prorsùs,

prorſùs, utpotè nocentiſſima: mitiora verò hæcce exterminant commodè Humores, qui in Viſceribus diutiùs morando majorem indièṡ acquirunt Acrimoniam, imò & in Sanguinem per Vaſa *Meſaraica*, Venaſque lacteas remigrant perpetuò.—Et poſt Vomitum & poſt *Catharſin Theriacæ Andromachi* aut *Elixiris aſthmatici* paululum adminiſtrandum eſt.

Hiſce peractis pauliſper jam cunctandum eſt, ut quà Natura vergat ſcrutemur, nec officioſâ Medicamentorum Farragine illam agamus deviam *; intereà tamen Diluentia quædam ſubacida propinanda ſunt affatìm, ut nova puraque Materia corrupto Sanguini admiſceatur, ut acres ejus ſolvantur Sales, atque peccans corrigatur Acrimonia; hoc enim Modo *Criſis* promovetur optimè, præſertim ſi lenia aliqua attenuantia ac ſolventia adjuncta ſunt. Nec facilè video quæ alia Medicina hoc Tempore Febris tentanda ſit, ni forſan Vis Vitæ langueat, & torpeat Sanguinis Motus; tunc enim Stimulis agitandum eſt idoneis, *Epiſpaſtica* admovendo nempè; generoſa porrò exhibenda ſunt *Alexipharmaca*.—Sed ne nimius ſis, obſecro Medice! in Salibus *Volatilibus Alcalinis* ingerendis, ruunt enim jam omnia ad ſummam Putredinem, niſi Humorum Acrimoniam temperare potes, & Sanguinis Diſſolutionem prohibere.—Ideò ubi calidiora Medicamina exiguntur, admiſcere ſoleo plerumque Acida quædam, utì Acetum, *Limonii* Succum, vel *Elixir Vitrioli*, quod Aromatibus imbutum haud contemnendum eſt *Alexipharmacum*, cujuſque Guttæ aliquot ſæpiùs exhibendæ ſunt, ex Vino aromatite, aut *Julepo* quodam *Cardiaco* cum Bolo ex *Confec. Cardiac.* Croco, *Rad. Contrayerv.* &c.—Sed nihil neceſſe eſt tradere Formulas, cum qui, quid indicatur in Re præſente, calleat facillimo Negotio poteſt adaptare Remedia †: cave tamen ne Calcaribus utaris cum Opus eſt Fræno; nec vehemens nimiùm eſto in Sudoribus expri-

* — Ἀκμαζουσῶν τῶν Νούσων Ἡσυχίην ἔχειν βέλτιον. *Hippocrat.* Aph. 29. Sect. 2. Maximi profectò eſt hoc Monitum in acutis, quis prudens Medicus Naturam durante Paroxyſmo vel Febris intermittentis interturbat?

† Εἰ τίς εἰδεὶη τὴν Αἰτιήν τοῦ νουσήματος, οἱός εἰη προσφερεῖν τῷ ξυμφέροντα. *Hippocrat.* de Flatib. Initio.

mendis

mendis præcalidam Medicinam urgendo, nam ſi probè diluitur Sanguis, & ſervatur benè miſtus, ſuo ſemper Tempore, ſuâque Sponte, ipſa Natura Sudorem profert *——Haud ibo Inficias equidem quod abſque Sudore quàm rariſſimè ſolvitur Febris, profuſus tamen mihi ſemper ſuſpectus eſt.

Hanc adeò in Morbis hujuſmodi curandis *Methodum* plerumque ſequor—Per Initia Febris, debitas poſt Exinanitiones, *Hauſtus ſalinos* præcipio, ex Sale nempè *Alcalino* fixo aut *volatili* (prout Res poſtulat quorum hic Sudores, ille Urinam magìs movet) Succo *Limonum, Aurantiorum* Hiſpalienſium, aut Aceto Vini acerrimo, benè ſaturato, cui admiſceo Aquam *Alexeter.* ſimplicem Sp. Lavend. C. aut his ſimilia. Hoc modo conficitur Medicamentum, blandi ad inſtar Saponis, craſſos reſolvens Humores ac cum aquosâ Sanguinis Parte Olea Saleſque intimè commiſcens—Diluentia interim ſubacida affatìm miniſtranda ſunt, quæ, mediante hoc Remedio ſalino, toti Humorum Maſſæ promptiſſimè admiſcentur: Sic benè miſtus & fluidus ſervatur Sanguis, ejuſque temperatur Acrimonia; dum acres ſoluti Sales per Cutim, per Alvum, per Urinam effluunt perpetìm; nec verò intereà interturbatur Natura dum Concoctionem molitur. Atqui ſi tardat nimìs languetque, generosâ magìs Medicinâ vacillantem refoveo; id maximè, ſi aut Sudor ſit frigidulus, aut Urina pallida, aut Eruptiones (Puſtulæ ſint ſive *Petechiæ)* Coloris minùs vividi.

Per hæc efficitur plerumque ut blandi tandem Sudores erumpant, qui Febrem tenuant quotidiè; ſi tamen inæquales ſunt, & parùm conſtantes, aut ſubfrigidi, aut profuſi admodùm, haud ita feliciter, mox enim Rigor accedit ſæpè, ac Febris *Exacerbatio,* paulòque poſt Phrenitis; quâ quidem ingruente Alvus protinùs *Enemate* ducenda eſt ſi fuerat aſtricta (vellem utiquè ſemper teneram potiùs quàm conſtipatam per totum Morbi Decurſum) Si Furor urget ad Cucurbitulas ſcarificatas, Humeris Cervicibuſque affixas, confugiendum eſt; quo peracto *Epiſpaſtica* admovenda ſunt ponè Aures, Occipiti, ipſis quan-

* Πάντη δὲ ἀνοιγόμενον, τε καὶ ἀναπνέον, καὶ κινέμενον τὸ Σῶμα, συμφέρον ποιήσει. *Hippocrat.* de Locis in Homin. Sect. 39.

doque Locis ſcarificatis; Tibiis proindè aut Femoribus—Hæc verò maximè ex Uſu ſunt, ubi Vis Naturæ torpet, languetque Pulſus Arteriarum—Jam autem Bolis *cardiacis* adjicio *Camphoram* ac Succini Salem, interpoſitâ quoquè interdum Unciâ unâ, vel alterâ, *Diacodii*, imò ſi Vigiliæ urgent uno, alterove Extracti Thebaici Grano.

In hâc ferè Medicinâ perſiſto Morbi uſque Statum, quo aut in melius, aut pejus multò ocyùs mutantur omnia; nec Dies jam ſed & vel ipſæ Horæ æſtimandæ ſunt: Si modò nec propitius adjuvat Sudor, neque *Diarrhœa* blanda, nec libera accedit Expuitio, in Malis Æger eſt—Tentandum eſt tunc utiquè quid poſſit lenis Alvi Purgatio, exhibendo nimirùm *Rhabarbarum*, *Mannam*, *Cremorem Tartari*, *Salem Glauberi*, &c; ſubveniendum eſt intereà Virium Ruinæ *Cardiacis* idoneis: vix meliora novi utiquè quàm Vinum rubrum generoſum Aromaticis incoctis, Cinnamomo ſcilicet, Maci, Nuce *Moſchatâ*, Cort. *Aurant.* Hiſpalienſ. *&c.* cum Aquæ Dimidio, aut ſubauſtera quædam *Alexipharmaca* cum *Elix. Vitrioli*, vel *Limonum* Succo; hæc quippè & Vim Fibrarum & Sanguinis *Craſin* confirmant, Humorum autem Putrefactioni obſiſtunt maximè. Quod quidem diligenter cavendum eſt, ubi aliter Sanguis in Saniem, Lympha verò in *Ichorem* degenerant, brevìque obrepit omnium Diſſolutio putrida, ac ſi Sanguini immiſtum fuiſſet Viperæ * Venenum.

Purgationem per Inferiora poſcunt Hypochondria tumida, Inteſtinorum Murmura, Abdomen tenſum, Alvus adſtricta, Caput grave, Somnolentia nimia, Vertigo, ingruens Delirium, Halitus fœtidus valdè, & Præcordiorum Oppreſſio cum Ructu frequente.—Prohibent autem Sudores faciles, conſtantes & æquales, Puſtulæ, aut *Exanthemata* jam erumpentia, Expuitio copioſa adveniens; nam vel in *Peripneumonicis Diarrhœa* ſæpè Sputa ſupprimit prorsùs; quod quoquè in *Variolis* haud rarò accidit infeliciter—minùſque commodè ſemper fert *Catharſin* magnus Virium Languor.

Sub Conditionibus autem ſuprà expoſitis nullo non Tempore Morbi Alvum moveo †, maximè declinante Febre, ubi nullâ aliâ Viâ molitur Natura *Criſin*.

* Vide *Eſſay on Fevers*. † Ibid.

2 Tenta-

Tentatur ſæpiſſimè, fauſto admodùm Succeſſu, hæc purgandi Methodus in *Variolis* confluentibus, nono, vel undecimo ab Eruptione Die, cùm parùm aliquid ultrà per Salivæ Ductus, aut per Cutis Meatus exterminari poſſit: Quidni & in hâc quoquè Febre?—Procul Dubio ubi putrida Colluvies atque corrupta Bilis in Ventriculo & Inteſtinis abundant, quantocyùs herclè expurganda ſunt, ni vis uſque fovere Morbum, auctâ in Horas Putredine *.—In hâc Febre profectò, de quâ nunc agitur, & per Vomitum & per Alvum immenſam Vim bilioſæ Saburræ ſæpiùs rejectam vidi, magno utiquè cum Ægrotantium Levamine; ſuavi mox accedente Somno, ubi per plures Dies Noctesque ſumma anteceſſerat Anxietas, ac Vigilia perpetua—Dum Ventriculus ſanè acribus gravatur Sordibus, & putridâ Bile, laborat ſemper maximè Caput, perturbantur Spiritus, & proſternuntur admodùm Vires—Nec in primis tantùm Viis felices edit Effectus Vomitus, ſed & per omnem undiquè Vaſculorum Compaginem, ubi lenteſcentes attenuat Humores, putridoſque expellit †.

Nova Luna 12° Julio. *Plena Luna* 27°.

Hic quoquè Menſis fuit ſubfrigidus, Aër autem maximè ſiccus & quaſi fumoſus: Libs ſæpè afflavit, Corus ſæpiùs, Eurus interdum: Fons omnis & Rivus exareſcunt ferè, vix viridis inventa eſt Herba.

Pluvia 4. 7. 9. 10́. 12́. 16. 19. 20. 26. 30 = 0.608. Dig. Dec.

Tonitru 30. Pluvia graviſſima ad Septentrionem 28.

☿ Altitud. maxim.	15.	29,9.	N N W	1.	media 29 $6\frac{16}{31}$.
——— minim.	26.	29,3.	S S W	3.	
Dies frigid.	22.	39.	N N W	1.	media $31\frac{3}{31}$.
— calid.	3.	26.	S W b W.	2.	

Variolæ jam *epidemicæ*, mites tamen plerumque; *Rubeoli* paſsìm & Morbi Pulmonis; ſub Finem Menſis *Dyſenteria* frequens.

Jam maximè furit Febris peſtilentialis plùrimoſque demittit ad Umbras; Funera certè nunc ſexiès ſaltèm excedunt ſolitum Nume-

* Vide *Eſſay on Fevers*.

† Vide *Dr.* Cheyne's *new Theory of Fevers*, p. 83.—94. *Edit.* 3. Ann. 1722.

Gg 2 rum:

rum: nec ſolùm hìc, ſed & per Viciniam jam graſſatur Morbus.—Anxietas horrida, Jactatio perpetua, atrox Capitis Dolor, cruciant Ægrotos, atque mox ferox accedit Inſania, paulòque ſæpè pòſt Veternus, aut Nervorum Diſtentio: Alvus, Urina, Lachrymæ, Nil ſentientibus effluunt, ſæpè Vox Faucibus hæret prorsùs, ſæpè Lingua nigra aridiſſima, Verba incondita, aut aliena balbutit.—Plurimis ſub Morbi Finem adeſt Exulceratio Faucium acerbiſſima, etſi Initio levis tantùm erat Aſpretudo: difficillima hinc Deglutitio, nec ſine ſummo Tormento. *Parotides*, *Bubones*, Furunculi admodùm dolentes, haud rarò nonum inter Morbi Diem & decimum quartum erumpunt; Salutaria hæc plerumque, maximè ſi probè ſuppurant, peſſima utiquè ſi mox recedunt: interdum verò per plurimos Dies indurata permanent ſine vel minimâ Suppuratione, præcipuè in Cervicibus, ubi per Menſes etiam aliquando perdurant.

Circa hoc Tempus quoquè ſæpe *Diarrhœa* ſalutifera oritur, id potiſſimùm ſi bilioſa, aut ſubnigra, atqui non nimìs liquida, dejiciuntur: Alvus autem ſanioſa, cruenta, aut valdè aquoſa, mala ſemper—hujus autem Fœtor plerumque vel Aniculis miniſtrantibus, imò & ipſis Ægris, planè intolerabilis: interdum urget admodùm peſtifer Teneſmus.

Urina vel in Convaleſcentibus cruda perſtat, ac ſæpè tenuis, ſæpè autem turbida, lactea, & oleoſa quaſi, nihil tamen omninò Sedimenti deponit: evidens hoc magnæ Cruditatis Argumentum eſt; adeòque, licèt Ægrotantes penè reſtituti viderentur, frequenter tamen promptiſſimè in * Recidivas incidunt. Convaleſcentes ſanè, qui Carnem nimìs citò, aut Piſces comedunt in Febrem certò certiùs relabuntur; præcipuè haud probè priùs purgato Corpore.—Fortiora tamen *Cathartica* hos etiam in idem Periculum conjiciunt.

Quibus in Meatu auriculari, aut ponè Aures, aut per Cervices Abſceſſus enati ſunt, maximè ſi circa Labia Puſtulæ plures urentes, certa ferè Spes Salutis effulſit: omnibus Ægrotantibus Surditas ac Tinnitus Aurium accidit, diu ſæpè pòſt ruptum *Apoſtema* durans.

* Febris, quæ ſine Ratione, ſine bonis Signis, finita eſt, ferè revertitur. *Celſ.* Lib. 2. C. 7. *Hippocrat.* Aph. 12. Sect. 2.

Mirum

Mirum eſt herclè, quod Eruptio tantillæ Materiæ morbidæ tam felices ſortiatur Effectus, quod tamen perſæpè videmus: vix enim hoc Modo ejici poſſe videtur Morbi Cauſa. Suſpicor ego quidem hoc duntaxat eſſe Signum, quòd validæ adhuc ſint Naturæ Vires, & quòd ſit uſque Sanguini Motus ſat expeditus per ultimas minimaſque Arteriolas; quibus deficientibus, nec maturatur *Apoſtema*, aut Tuberculum, nec emergunt Puſtulæ. Hinc vides paulò ante Mortem, ſuccumbente nimirùm prorsùs Naturâ, Ulcuſcula pallida, aut exiccata, &c, ſi quæ ſint Puſtulæ, eas palleſcentes, aut luridas, hærente ſcilicet in extremis Vaſculis Sanguine.

Inter ſalutifera Signa inſuper fuit acidus, aut ſalſus in Ore Sapor, cum Sputo multo; contrà verò amarus & quaſi ex Ærugine (ut dicerent) fœdus certum fuit malè judicati Morbi Signum, ac Febris mox recidivæ, ni per Vomitum, aut lenem *Catharſin* ocyùs expurgata forent putrida Bilis & colluvies morbida. Quo quidem peracto felices quotidiè experiebar *Tincturæ Corticis Alexipharmacæ* * Effectus, & ad Vires reficiendas & Febris Reliquias abigendas. Hujus eſt utiquè Medicamenti roborare Fibras atque debitam Fluidorum Conſtitutionem reſtituere, nec tamen intereà prohibet morboſi Humoris Exitum per Cutis Meatus: hinc longè tutiùs ſæpè exhibetur quam ipſe Cortex *Peruvianus*, qui haud rarò vehementer nimìs conſtringit.

Per totam hanc inſaluberrimam Tempeſtatem *Veſicatoria* immenſam ferè fundebant Humorem, ſaneſcebant verò difficillimè; quoſdam certè enormi Fluxu conſumebant prorsùs.

Diu fuit undique Piſcium immenſa Quantitas, maximè Scombrorum, quorum Uſu immodico procul Dubio plures generantur Morbi; augent enim & Humorum Putredinem ac Labem *Scorbuticam*, jam ubiquè graſſantem, inter Nautas præcipuè, quorum Gingivæ exeſæ ſunt admodùm & Halitus Oris valdè olidus——Rectiſſimè ideò cum Piſcibus comeditur Aceti plurimùm, quod rancidum eorum Oleum corrigit, & putreſcentem Indolem—Nullus utiquè dubito

* *Eſſay on Fevers.*

quin

quin largus Aceti & *Pomacei* Uſus foret Nautis utiliſſimus in longis Navigationibus * : imò hoc jam ſatìs expertum eſt, adeò ut ſecum plurimi ad Indiam uſque Orientalem *Vinum Pomaceum* deportant: Acetum verò Carnis & Aquæ Corruptionem prohibet.

Nova Luna 11° AUGUSTO. *Plena Luna* 25°.

Maxima jam Cœli eſt & Soli Mutatio, perpetuæ ferè decidunt Pluviæ, atque omnia nimio diffluunt Humore; undè Meſſis infelix admodùm, Frumentum penè corruptum, & Fructus prorsùs fatui— Immenſa ſcatet undiquè Vis Fungorum.

Ventus fuit auſtralis ſæpiſſimè; haud rarò ſæviit Libs procelloſus, hinc *Atmoſphæra* craſſa valdè, frigida, & maximè humida, præſertim ſub Menſis Finem.

Pluvia $\overset{//}{2}$. 3. 4. $\overset{/}{5}$. 6. 10—12. 15. $\overset{/}{16}$. $\overset{/}{17}$. 18. $\overset{//}{20}$. 21. 22. 24. 25. $\overset{////}{26}$. $\overset{/}{27}$. $\overset{/}{28}$. $\overset{///}{31}$. = 3.510. Dig. Dec.

Procella 26. a. m. S S W 4_x—28. a. m. S W. 4. Magna Pruina 29.

☿ Altitud. maxim.	30.	29,9.	S E 1.	media $29.4\frac{2}{4}$.
——— minim.	3.	29,1.	S W 2.	
Dies frigid.	29.	42.	N 1.	media $34\frac{25}{30}$.
— calid.	1.	27.	N W 1.	

Variolæ Epidemicæ, quæ hic quidem parùm ſunt lethiferæ, longè aliter tamen aliis in Locis.

Dyſenteria cruenta, ac Cholera frequens—multi levi Anginâ atque Faucium Tumore vexantur cum Doloribus vagis *rheumaticis*.

Graſſatur adhuc Febris nautica maligna, plurimoſque trucidat, quoſdam vel Die ſeptimo, imò interdum citiùs; multos autem vel ad viceſimum & ultra trahit—jam ſæpè aut nullæ prorsùs apparent *Petechiæ*, aut raræ; ſæpè tamen totum Corpus maculant—crebrò Sudores pingues & fœtidi Ægrotos colliquant; haud rarò quos Febris ferè reliquerat ſæva *Dyſenteria* conſumit: Solutis adeò Sanguinis Principiis, quâ datâ Portâ ruunt Humores.

* Vide Monitum noſtrum de Sanitate Nautarum tuendâ ad Calcem Libr. *de Febribus.*

Nova

Nova Luna 10° SEPTEMBRI. *Plena Luna* 24°.

Ventus ab Occidente, ad Auſtrum plerumque vergens, prævaluit decimum uſque octavum, continuâ ferè ac gravi decedente Pluviâ, pòſt autem contrario planè Curſu ſpirabat, ſurgente *Baroſcopio*, Aëremque ſiccabat.

Pluvia 1. 2. 3. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 13. 15. 16. 17. 22. 23. Dig. Dec. 24 = 3.628.

Levis Procella 7. p. m. S W b W 4_x.—27 Nocte E b S 4_x. Paraſelene 17. H. 7. p. m. W N W 1.

☿ Altitud. maxim. 25. 30,0. N E 1. }
——— minim. 11. 29,0. W 3. } media 29. $6\frac{2}{28}$.

Dies frigid. 30. 59. N E 1. }
— tepid. 6. 34. S W 2^x. } media $41\frac{1}{2}$.

Febres malignæ jam nec Vi, nec Numero, adeò ſæviunt. *Dyſenteria* plures cruciat; Tuſſis quædam gravis *Aſthmatica* haud paucos. Tumores Faucium, *Parotidum*, Maxillarum cum acerbo Dentium Dolore permultos divexant: Morbus colicus à *Pomaceo* novello, cum Alvo citiſſimâ plures exercet, *Ophthalmia* paſſim, *Variolæ* plurimæ.

Nova Luna 9° OCTOBRI. *Plena Luna* 23°.

Fuit hic Menſis multò frigidior ſolito, Gelu ipſo Initio, etiam rigidum Die decimo; Boreas plerumque ſpiravit, Eurus haud raro, pluvius Auſter nonnunquam: Alta fuit utplurimùm Barometri Statio, Aër verò craſſus.

Pluvia 4. 5. 6—8. 16. 17. 19. 20. 21. 23. 24. 28. 29. Grando & Nix multa 23 = Dig. Dec. 1.914.

☿ Altitud. maxim. 27. 30,3. N E 1. }
——— minim. 20. 29,3. S W 2_x. } media $29.8.\frac{22}{28}$.

Dies frigid. 27. 69. }
— tepid. 20. 44. } media $56\frac{12}{28}$.

Febres

Febres lentæ *nervoſæ* frequentes: permanent uſque aliquæ malignæ quibus ſub Finem accedit *Diarrhœa,* interdum *Dyſenteria* mucoſa cum Sanguinis Strigmentis.

Tuſſis, Angina, Faucium Tumores, Dentiumque Dolores perplurimos corripiunt. Jam regnat admodùm *Colica pomacea,* haud ſolito tamen cum Furore, ob *Diarrhœam* ferè ſemper comitantem: *Variolæ adhuc epidemicæ.*

Nova Luna 8° Novembri. *Plena Luna* 22°.

Fuit & *November* perquàm frigidus, Aër plerumque craſſus, afflavit Aquilo ſæpè, ſæpè Corus, intercurrente frequenter Africo furente & pluvioſo; maximæ ſubindè Pruinæ, haud raró rigidum Gelu.

Pluvia $\overset{////}{1}$. $\overset{/}{2}$. 5. 7. $\overset{/}{9}$. 10. 11. 13. 14. $\overset{//}{16}$. 20. $\overset{//}{21}$. 22. 23. $\overset{///}{25}$. $\overset{/}{27}$. 28—30. Grando 1. 5. 25. Nix multa $\overset{/}{2}$. 24. 25. = 3.844. Dig. Dec.
Procella graviſſima 1 à primo Mane ad Noctem uſque. N W 4_x.
———— 21 Mane S W b W 4—26 Nocte S W 4_x.
Fulgur & Tonitru 25 Veſperi.

☿ Altitud. maxim. 18. 30,2. N N W 1. }
——— minim. 24. 28,8. E 2. } media $29.5\frac{14}{29}$.

Dies frigid. 25. 69. N N E 1. }
— tepid. 15. 50. S W b W 1. } media $60\frac{20}{29}$.

Variolæ uſque graſſantur; Febres malignæ paſſim, lentæ ac *miliares* ſparſæ, Ruri præcipuè: Eryſipelas, Angina, Tuſſes acres haud paucos corripiunt. Plurimi Colicâ *pomaceâ* laborant cum *Diarrhœâ* plerumque, adeòque citò profligatur; ſolutum enim Ventrem raró torquet admodùm Colicus Morbus, ſaltem brevì cedit Anodynis; iiſque opportunus eſt Locus poſt unam alteramve Rhabarbari *Doſin*; neque inter hæc melius eſt aliquid *Philonio,* cave tamen ne Alvum nimìs citò ſtrictam reddas, nam pauló pòſt utplurimùm recrudeſcit Dolor, congeſtâ ſcilicet iterùm acri Colluvie: tenera idcirco ſemper

per

per Dies aliquot ſervanda eſt; probè autem intereà muniendum eſt Corpus à Frigore, aliter, conſtrictâ Cute, mox plectuntur Viſcera *.

Nova Luna 7° Decembri. *Plena Luna* 21°.

Per Initia *Decembris* dira, procelloſa, pluvia Tempeſtas, Libs interim quotidiè perfremuit: Die 2 & 3 Fulgura ſæva cum Tonitru, Grandine, Pluviâ; hinc Aër factus eſt craſſiſſimus & maximè humidus. Ab undecimo ad viceſimum, mutatâ penitùs Rerum Facie, rigidiſſimum Gelu, immenſæ Pruinæ, Cœlumque ſudum perflante Boreâ: inde verò Auſter prævaluit atque *Atmoſphæram* denſam valdè ac udam maximè fecit.

Pluvia 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 19. 21. 22. 23. 26. 27. 29. 30. 31. Grando vehemens 2. Nix 14. 15. 19. 20. = 6.290. Dig. Dec.

Furens Procella 1. Nocte S W 4^x—2 p. m. S W b W 4.

Procella 3 S W 4_x—5 W 4_x Veſperi—6 primo Mane W S W 4.

———— 20 ante Lucem N W b N 4—21 toto Die S S E 4_x cum enormi Pluviâ, quæ omnem penitùs Nivem colliquabat; iſto etiam Die Fulgura & Tonitrua graviſſima.

Nebula fœtidiſſima 27. W S W 1_x.

☿ Altitud. maxim. 31. 30,0. N W 1_x. } media 29.4.
——— minim. 22. 28,8. S S W 3^x.

Dies frigidiſſim. 19. 80. E N E 1. } media $61\frac{25}{30}$.
— tepid. 8. 49. S W 3.

Crebræ adhuc *Variolæ: Pleuritides, Peripneumoniæ, Rheumatiſmi* paſsim: Febres *petechiales* aliquæ adhuc, Tuſſis vehemens, & *Aſthma* grave plurimos premit: Morbus colicus frequentiſſimus, hunc tamen Alvus cita admodùm & bilioſa brevì ſolvit.

Tota Pluviæ Quantitas Anno MDCCXL. = 24.042. Dig. Dec.

* Conſenſum Cutim inter & Inteſtina probè novit *Alex. Trallianus*, "αὔξεσθαι γὰρ τὸ ῥεῦμα (ad Inteſtina ſcilicet) εἰς ὅσον ἂν πυκνωθῇ τὸ Δέρμα." *Trullian.* p. 216. ex Edit. *Goupyli*, ſed etiam *Hippocrat.* Lib. 6. Epidem. Sect. 3. ipſo Initio *Lutet.* Fol. 1548.

Nova Luna 6° Januario. *Plena Luna* 20°.

Ab Initio Menſis ad Diem ſextum ſpiravit Caurus, inde ad decimum quintum frigidiſſimus Boreas, tunc Libs pluvius irruit, à viceſimo ſexto tamen ad Finem uſque fremuit ſubindè Vulturnus—Medio Menſe acerrimum Gelu, Aërque valdè ſiccus; dum autem Africus perflavit factus eſt humidiſſimus, liqueſcente prorsùs Gelu.

Pluvia 2. $\overset{/}{\overline{16}}$. $\overset{//}{\overline{18}}$. $\overset{///}{\overline{19}}$. $\overset{/}{\overline{21}}$. $\overset{/}{\overline{22}}$. 24. 25. $\overset{/}{\overline{27}}$. $\overset{/}{\overline{28}}$. 29. Nix 10. 12. 14. = 1.936. Dig. Dec.

Procella 27. Nocte & toto Die ſequente S E b E 4.

☿ Altitud. maxima	1.	30,3.	N W 1.	media 29.8.
——— minima	16.	28,9.	S S W 3.	
Dies frigidiſſima	15.	79.	E N E 1x.	media $61\frac{22}{31}$.
— tepid.	22.	52.	S W 3x.	

Variolæ frequentes etiamnum; Perplurimi Colicâ laborant, multi ſanè ex Uſu *Pomacei* novelli, haud pauci verò à ſuperabundante Bile; omnes liquida citaque Alvus exercet, nunc bilioſa valdè, nunc mucoſa, Multi acuti Pectoris Morbi; Anginæ & *Rheumatiſmi* frequentes. *Apoplexia* & *Epilepſia* paſsìm.

Tabidi pulmonarii jam peſſimè ſe habent, auctâ nempè plurimùm Tuſſi & Gravitate Spirandi.

Febris *petechialis* jam paulò magìs ſævit.

Fœda admodùm Scabies dominatur maximè inter Popellum, obſtructis nimirùm Cutis Spiraculis, à gravi longóque Frigore, detinetur Materia, quæ perſpirare debebat, unde Glandulæ *miliares* obſerantur atque roduntur tandem—In frigidis Regionibus & Tempeſtatibus ſemper graſſatur *Scorbutica* Lues, denſatâ plurimùm Cute, ac retentâ nimiùm ſalinâ Corporis Fuligine—annon hinc hujus *Prophylaxis*, annon hinc Cura ex facili elicitur? Multò faciliùs utiquè curatur per Æſtatem quàm durante Hyeme aſperiore.

Nova

Nova Luna 4° FEBRUARIO. *Plena Luna* 19°.

Sublimè utplurimùm ſtetit *Mercurius* in *Baroſcopio* hoc Menſe, idque etiam Initio, licèt Vulturnus nonnunquam flavit, imò & ipſe Auſter; Aër autem tunc fuit humidus valdè & craſſus *; à decimo octavo tamen ad Finem uſque frequens Ventus borealis *Atmoſphæram* tenuem fecit, perquàm frigidam, & multò ſicciorem.

Pluvia 1. 5—7. 10. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 26. Grando multa 15. 16. 17 = 1.456. (Dig. Dec.)

Barometer fuit ad 30. 5 † ſeptimo etſi Ventus S S E 2_x.

Maxima verò tunc Nebula.—Procella 16 Mane S 4_x.

Fulgur & Tonitru Veſperi. Quàm maximus Halo circa Lunam 11. H. 9. p. m. S W b W 1.

☿ Altitud. maxim.	27.	30,6.	E N E 1.	media 29.9$\frac{5}{28}$.
——— minim.	16.	29,2.	S b W 3^x.	
Dies frigid.	24.	72.	E N E 1.	media 59$\frac{9}{28}$.
— tepid.	6.	53.	Malacia.	

Multæ adhuc *Variolæ*: *Rheumatiſmi*, *Peripneumoniæ*, *Pleuritides*, & veræ & nothæ paſsìm. Tuſſes vehementes, & diri admodùm *Aſthmatis Paroxyſmi* frequentes: hinc Tempeſtas fuit maximè noxia tabidis, nam Tuſſim movet Boreas, Pulmones verò conſtringit ac Sputa ſupprimit.—*Colica* & *Diarrhœa*, ſeu Tormina ſæviunt plurimùm.

Durat uſquè Febris maligna, inter Nautas verò præcipuè, & maximè in *Noſocomiis*.

Nova Luna 6° MARTIO. *Plena Luna* 21°.

Præalta fuit *Barometri* Statio toto *Martio*, Ventus intereà perpetuus Orientem inter & Septentrionem; Aër verò ſicciſſimus ac frigidus valdè, Gelu frequens admodùm, imò ad Finem uſquè Menſis aſperum: per totum ne vel Guttula Pluviæ.

* Vide Vol. I. † Vide idem.

Dig. Dec.
Nix 18. 19. Grando 28 = 0.072.

Maris Æſtus ſuppreſſit maximè Boreas longè frequens, paululùm etiam magna *Barometri* Altitudo *. Hoc ſanè perpetuum eſt, quòd adventante procelloſâ, pluviâque Tempeſtate et Sonitus Maris permagni, et Æſtus enormes præcedunt, quinimò portendunt, his in Oris ſaltem; contrà durante Apricitate, Ventoque boreali, minimi ſunt ſemper et Fluctùs et Æſtus Maris.

AB. 5. H. 9. N N E 1.—levis 9. H. 8. E 1ˣ—21. Veſperi E N E 2.

☿ Altitud.	maxim.	7.	30,5.	N E 1.	media $30.0\frac{9}{31}$.
———	minim.	31.	29,6.	N 1.	
Dies frigid.		30.	68.	E N E 2.	media $56\frac{19}{31}$.
— tepid.		9.	50.	E b S 1ˣ.	

Variolæ ubiquè *Epidèmicæ*, plerumquè tamen paulò mitiores, niſi inter Nautas, quorum plures equidem pereunt, unà forſan conſpirante Febre malignâ, quæ permanet adhuc: Credo etiam quòd *Scorbutica* Lues, quâ hoc Genus Hominum jam maximè afficitur, Variolas magìs exitiales reddit: haud rarò Mictus adeſt cruentus, interdum Sputa ſanguinolenta.

Plurimæ *Pleuritides* ac *Peripneumoniæ*, eæque vehementes admodùm †—ſævit abundè *Rheumatiſmus* & Arthritis, nec infrequens eſt gravis Anginâ †—ſæviſſimum *Aſthma* quoſdam diu ac crudeliter premit—Tuſſis importuna valdè & laborioſa plurimos—Horum omnium ferè Sanguis extractùs eſt perquàm tenax. *Phthiſici* haud pauci ſubitò abripiuntur.

Nova Luna 4°. APRILI. *Plena Luna* 19°.

Manet uſque *Atmoſphæræ* Conſtitutio ſicca valdè & frigida; Initio Menſis Gelu & maximæ Pruinæ; Ventus Aquilonius ſæpiùs hoc

† Ὅταν χειμέριον γένηται Ἦρ καὶ ὀπισθὰ χειμὼν, χειμεριναὶ καὶ αἱ νοῦσοι, καὶ βηχώδέες, καὶ περιπνευμονικαὶ, καὶ κυναγχικαὶ. *Hippocrat.* de Humorib. Sect. 7.

3 Menſe,

Menſe, ſub Finem verò ab Oriente ſpirabat, Aër interim tenuis & maximè ſiccus, medio autem largiſſimæ Rorationes—Sub Finem multa Pluvia apud *Totneſs, Dartmouth, Kingſbridge,* &c.; hìc ne vel Guttula.

Dig. Dec.
Pluvia 1. 5. 8. $\overset{/}{\overline{9}}$. $\overset{/}{\overline{10}}$. 20. 21 = 0.452.

☿ Altitud. maxim. 3. 30,4. N 1.
——— minim. 1. 29,5. N 1ˣ. } media 29.9$\frac{24}{29}$.

Dies frigid. 2. 64 N 1.
— tepid. 14. 41. Malacia } media 47$\frac{14}{29}$.

Variolæ quaquaversùm *Epidemicæ*; *Pleuroperipneumoniæ* frequentes valdè: *Aſthma*, Tuſſis vehemens, Verbo & acuti & *chronici* Pulmonum Morbi invaleſcunt maximè: haud pauci Sanguinis Sputo corripiuntur; permulti *Phthiſici* ad plures abeunt.

Plurimæ Febres putridæ, ſæpè cum Eruptione *miliari*, ſæpè cum *Petechiis* in auſtrali *Damnoniâ*—Sedulò inquirens has plerumque eſſe Propagines Febris nauticæ contagioſæ invenio, ea nempè Loca adeunte uno, alterove Nautâ convaleſcente: parùm adeò tutum eſt recipere ex Febre contagiosâ recuperatos: diu ſanè Veſtibus adhæret Morbi Seminium.

Nova Luna 4° MAIO. *Plena Luna* 19°.

Ineunte & exeunte Menſe Aër erat maximè ſiccus, medio autem dènſus & paulò humidior; quippè frequens decidit Imber Diem quartum inter & undeviceſimum, poſteà vix Guttula Pluviæ; afflavit ſæpè Vulturnus, Aquilo tamen Initiò, ſub Finem Caurus. Ros erat ſubindè uberrimus, à viceſimo præcipuè.

Erucæ innumeræ Hortis ſunt infenſiſſimæ.

Dig. Dec.
Pluvia 5. $\overset{/}{\overline{6}}$. 7. $\overset{/}{\overline{8}}$. 10. 13. 15. 17. $\overset{//}{\overline{18}}$. 19. = 0.928.

Procella levis 19 Mane S S E 4ₓ. Imbres graviſſimi 30 ad Septentrionem hìc nulli.

☿ Altitud. maxim. 21. 30,1. E b S 1.
——— minim. 18. 29,1. S W b W 2ˣ. } media 29.6$\frac{2}{3}$.

Dies frigid. 14. 52. N b E 1ˣ.
— calid. 27. 24. N N W 1. } media 37$\frac{22}{30}$.

Vix

Vix unquam memini *Variolas* magìs ubiquè graſſantes; *Rubeoli* paſsìm, ſeu *Roſſalia Frid. Hoffmanni.*—Angina, Tuſſis, *Aſthma* frequens. Febres quædam tertianæ *, lentæ quædam ac *nervoſæ*, plures *petechiales*; jam autem multò magìs floridæ ſunt Maculæ.

Nova Luna 2° Junio. *Plena Luna* 17°.

Ventus hoc Menſe varius, Zephyrus autem prævaluit: Aër plerumque craſſus; fervida admodùm ſub Finem Tempeſtas.—Vis immenſa Erucarum omnium Generum omnia ferè Olera devorant: Cicadæ innumeræ Muſcæ infinitæ, ac Aſili Pecora maximè infeſtant.

Pluvia $\overline{2}$. 3. 6. 7. $\overline{8}$. 9. 16—18. $\overline{19}$. 20. $\overline{21}$. 24. $\overline{26}$. 27 = 1.250. Dig. Dec.

Lumen inſolitum 29. H. 11. p. m. Arcus nempè igneus lucidus valdè ab Horizonte propè S E ad Gradus ſaltem nonaginta projectus.

☿ Altitud. maxim.	13.	30,0.	N W 1.	media 29,6 15/28.
——— minim.	8.	29,3.	W S W 2.	
Dies frigid.	10.	34.	W b N 1ˣ.	media 27 22/28.
— fervid.	29.	18.	S E 1.	

Variolæ maximè *epidemicæ* longè latèque, permultos occidunt; hìc tamen non ſunt adeò lethales, niſi accedunt *Petechiæ*. Aura † ſubfrigida & Potio ſubacida liberalis eſt *varioloſis* nunc maximè neceſſaria, brevì aliter ſuffocantur; teterrimus enim jam eſt Odor confluentium *Variolarum*: neque hoc inter mala Signa numerandum eſt, modò cætera favent. Levis Febris *rubeoloſa*, ſeu puſtulata paſsìm. Anginæ, & Faucium Tumores crebri. Febres nauticæ ſparſæ.

Nova Luna 1° Julio. *Plena Luna* 17°. *Nova* 31°.

Torrida valdè & aridiſſima Tempeſtas omnia ferè aduſſit, vix viridem vides Herbam niſi in Pratis humidiſſimis, matura tamen hinc Meſſis & opima, Frumentum optimum.—Menſis Initio venit ab Oriente Ventus, pòſt ſeptimum ab Aquilone ad viceſimum uſquè,

* Conſule quæ dixi, *Eſſay on Fevers.*

† Conſule quæ dixi, *Eſſay on Fevers*, Cap. de Variolis.

indè

indè ad Finem parùm erat conſtans. Ros plurimus omni ferè Nocte. Innumerabiles garrulæ Cicadæ: Muſcæ & Aſili Armenta vexant admodùm.

Quamvis *Atmoſphæra* eſt ſicciſſima, ut *Hygroſcopia* monſtrant, levi tamen Fumo offuſcata videtur, quod quidem haud raró per ſiccas valdè & apricas Tempeſtates accidit *.

Pluvia 5. 6. $\overline{16}$. $\overline{18}$. $\overline{20}$. 25. 28. 29 = 0.764. Dig. Dec.

Fulgura 3 Nocte E S E 3. Tonitru quoquè è longinquo. Permagnum Lumen boreale & lucidum valdè, effulgente licet Lunâ, 12, per totam fere Noctem, N 1.

☿ Altitud. maxim. 9. 29,9. N N E 1^x. } media $29.5\frac{8}{27}$.
——— minim. 5. 29,3. E S E 2^x. }

Dies frigid. 20. 30,0. N 1. } media $22\frac{4}{27}$.
— fervid. 14. 14. N 1_x. }

Dies valdè fervidæ 1. 7. 9. 10. 11. 13. 14. 15. 24. 28.

Variolæ undiquè. Febres multæ putridæ magnâ cum Oppreſſione Præcordiorum, aridâ Linguâ, ac Urinâ valdè bilioſâ. Cholera & *Diarrhœa* valdè frequens; porracea, nigra ſæpè rejiciuntur; Tormina plerumque ſæviunt multùm, Bilis ſubatræ plurimum dejicitur. Ob Æſtum enormem omnes maximè debilitantur Sudore profuſo penè digeſti.

Non ſolùm humidiſſima Sanguinis diſſipat fervida Tempeſtas, ſed & ejus Partem maximè actuoſam, Vim porrò Fibrarum vehementer enervat: Quid indè? reſtat craſſior atque ſegnior Moles Humorum, undè in Vaſis *meſeraicis*, Hepate, Splene, & ubicunquè tardior eſt, ex ipsâ Lege Naturæ, Sanguinis Motus, Obſtructio facilis oritur & prompta nimìs. Atqui cùm & ipſe Calor immodicus Sales Oleaque Corporis torreat quotidiè & exacuat, fit major in Dies majorque Humorum Acrimonia, indè Bilis acerrima: hinc Cholera, hinc Tormina ſæviſſima, hinc putridæ Febres—Quid igitur? diluendus eſt affatìm Sanguis, demulcenda quoquè perpetìm hujus Acrimonia. " Faciam

* Vide Obſervat. Menſe *Junii* 1740.

" utiquè,

"utiquè, aſt quò bibitur plus, eò ſudatur ampliùs." En & hujus Mali Remedium ſine vel Medicinæ Tædio; admiſce modò Vini rubri generoſi aliquid Potioni dilutæ, mirabere ſanè expertus tantilli tantos eſſe Effectus; conſtringit nempè Vaſcula, Cutis coarctat Meatus, & confirmat Humores: Epoto tantum uno, alterove Vini rubri Gallici, aut Portugallici Cyatho, vidi multoties profuſos extemplò ſedatos Sudores, etiam in ipſis Febribus colliquantibus.—Cave tamen, Cane pejus & Angue, Infuſum *Theæ*, calidoſque Liquores; nèc verùm intereà, dum Corpus æſtuat, perfrigidi Poculi Pœnas lue.

Plena Luna 15° AUGUSTO. *Nova Luna* 29°.

Sicca fuit ſatìs & calida, imò nonnunquam fervida, Tempeſtas hoc Menſe, undè Meſſis lætiſſima ac fœcunda valdè, nec tamen defuit tempeſtiva Pluvia, quæ Solum, exuſtum prorsùs, recreavit maximè, ita ut ſub Finem *Auguſti* renovata quaſi viridiſquè videretur Facies Agrorum.

Ventus fuit varius, ſæpiùs è Septentrione, qui Cœlum ſemper ſudum & plerumque calidum fecit.

Pluvia 2. 5. 6. 7. 13. 19.'' 20.'' 21.''' 22. 25. 26'' = 2.140. Dig. Dec.

Immenſæ interdum Rorationes. Erucæ & Cicadæ innumeræ.

☿ Altitud. maxim.	16.	30,0.	N E 1.	media $29.6\frac{16}{28}$.	
——— minim.	21.	29,2.	S S W 1.		
Dies frigid.	25.	36.	E S E 2.	media $27\frac{26}{28}$.	
— fervid.	10.	20.	N 1.		

Variolæ adhuc maximè *epidemicæ*, jamque multò pejores, Maculis lividis ſcilicet haùd raro ſtipatæ. Febres putridæ, perlongæ (*Meſentericæ* forſan) plurimæ inter Popellum atque Nautas præcipuè; quædam verò valdè *phreneticæ*, hæ autem multò citiùs jugulant. His tumidus eſt plerumque Venter & aſtrictus; retentâ ideò in Viſceribus biliosâ Colluvie, lenibus Purgantibus commodiſſimè fugantur; parùm certè proſunt Sudores, minimè verò præmaturæ, & ipſo Morbi Initio erumpentes, qui certiſſimè ferè ſupprimunt Urinam & Alvum, obrepente

pente mox Phrenitide. Mirum eſt utiquè quàm multum atræ Bilis * ἄνω καὶ κάτω ejicitur ſæpè. Sub Finem Menſis Angina (plerumque mucoſa) frequens admodùm, Dentium quoquè Dolor, Fauciumque Tumores multis infeſti ſunt. Cholera & *Dyſenteria* graſſatur plurimùm; idque ſemper ferè accidit poſt Æſtates præcalidas, non ſolùm ob Bilem aduſtam acreſque factos Corporis Succos, ſed adventante ſubitò autumnali Frigore patula Cutis nimiùm citò occluditur, unde quod perſpirandum erat ad interiora ruit.

Plena Luna 14° SEPTEMBRI. *Nova Luna* 28°.

Quanquàm & calida fuit *Atmoſphæra* & ſicca Menſis Initio, pluvius tamen & procelloſus Auſter, ſeptimo adveniens Die, mutavit prorsùs Aëris Temperiem; viceſimo tepida valdè & pulchra Tempeſtas recurrit, flante plerumque ab Oriente Vento, Ros interim perplurimus; ad Finem Auſter iterùm Pluviaque.

Cicadæ adhuc infinitæ inter Herbas, jam virides, lætiſſimè garriunt.

Pluvia 4. $\overset{////}{7}$. $\overset{//}{8}$. 9. 10. $\overset{/}{14}$. 15—18. 25. $\overset{//}{27}$. $\overset{//}{28}$. 30 = 2.756. Dig. Dec.

Procella 7 primâ Luce S S E 4—13 E 4: maxima Procella apud *Londinum* & Oras *Angliæ* boreales ˣ8 Die.

Fulgura 24 Veſperi. *AB.* magna ad multam Noctem durans 21 N E 1—27 H. 9. p. m.

☿ Altitud. maxim.	21.	30,1.	N E 1.	media $29.5\frac{14}{26}$.
——— minim.	ˣ8.	28,5.	S b E 3ˣ.	
Dies frigid.	30.	41.	N W 1.	media $32\frac{2}{26}$.
— calid.	23.	26.	E S E 1.	

Variolæ uſque graſſantur. Febres *Synochæ*; necnon intermittentes quædam *anomalæ*, quæ verò Typum multò magìs regularem ſervant poſt leniorem Alvi Fluxum, ſive Arte, ſive Sponte productum: Vomitu repetito ſæpè eliduntur penitùs.

* Ἡ μέλαινα χολὴ τοῦ φθινοπώρου πλείστη τε καὶ ἰσχυροτάτη ἐστίν. *Hippocrat.* de Natur. Hominis, Sect. 25.

Perplurimi Tumore Faucium Dentiumque Dolore & Aurium vexantur; crebrò inde in Meatu Auriculari Abſceſſus: Aliqui Anginâ gravi corripiuntur.

Diarrhœa & *Colica* frequens, quibus Medela facilis ex *Rhabarbaro Catharſis* & repetita, fortior utiquè dira Tormina plerumque movebat.

Plena Luna 13° OCTOBRI. *Nova Luna* 28°.

Haud parcâ cadente Pluviâ per *Octobris* Initia Atmoſphæra facta eſt longè humidior, atqui nono ortus ab Oriente Ventus ad decimum octavum duravit, Cœlumque fecit apricum plerumque ac ſiccum; inde Libs, mox Vulturnus, multam demiſit Pluviam.

Pluvia $\overset{/}{\overline{1.}}$ $\overset{/}{\overline{3.}}$ 4. $\overset{//}{\overline{5.}}$ 6. 7. 9. 13. 15. 19. 20. $\overset{/}{\overline{21.}}$ $\overset{/}{\overline{22.}}$ 24. $\overset{////}{\overline{25.}}$ 26. $\overset{////}{\overline{28.}}$ 30 = 3.498. Dig. Dec.

Procella 21 Nocte S W 4_x—25 Noctu S E b S 4.

☿ Altitud. maxim.	14. 30,2.	E N E 1.	media $29.5\frac{3}{31}$.	
——— minim.	21. 29,0.	S W 4_x.		
Dies frigid.	18. 50.	E b N 1.	media $43\frac{16}{31}$.	
— tepid.	7. 36.	S W 2.		

Variolæ paſsim: multæ Febres putridæ, ac *Catarrhales*; Fluxiones porro & Tumores Faucium levi quaſi cum Anginâ frequentes, ſæpiùs omninò ſine Febre. Multi *Aſthmate* premuntur. Puſtulata Febricula (*the Chicken and Pigs or Swine's Pox*) plures Infantes ac Puerulos corripit; ſæpè abeuntibus Veſiculis Stigmata linquuntur quaſi à *Variolis*; quod quidem haud parvam denotat Humoris Acrimoniam, adeòque poſtulat purgantia idonea atque demulcentia.—Turpiter perſæpè falluntur Aniculæ dum hujuſmodi Stigmata pro veris *Variolarum* Veſtigiis jactitant.—*Variolæ* quippè & Morâ, & Maturationis Modo, ab his longè diverſæ ſunt—abeunt nempè *Rubeoli* tertio, vel quarto, *Variolæ* autem non niſi, licèt quam citiſſimè, poſt Diem octavum.

Plena Luna 11° Novembri. *Nova Luna* 27°.

Eurus Initio, Aquilo ſub Finem prævaluit, Boreas interdum, ſæpiùs tamen Libs & Auſter pluvioſus; Aër fuit plerumque craſſus valdè ac tepidus, ad Finem autem rigidum Gelu invaſit.

Pluvia 1. 6. 7. 8. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.
Dig. Dec.
26 = 4.024.

Grando 23. Procella 19. p. m. S. W 4_x—gravis 25 Nocte S W 4^x.
Fulgur & Tonitru ad mediam Noctem ab H. 8. p. m. 6° S W 2.

☿ Altitud. maxim. 14. 30,4. E N E 1. } media 29.8.$\frac{16}{30}$.
——— minim. 23. 29,2. S W b W 3.

Dies frigid. 30. 66. N E 1. } media 52$\frac{4}{30}$.
— tepid. 6. 41. W S W 2.

Variolæ ſparsìm—Jam ingruunt *Morbilli*, ut plurimùm quidem benigni: Febre puſtuloſâ, & *Rubeolis* Pueri perplurimi corripiuntur —Videtur adeò jam ineſſe Sanguini *Diatheſis* quædam peculiaris ad Exanthemata gignenda, quod ſæpè ſanè notatur; *Variolis* nempè, *Morbillis*, Papulis, & omnium Generum Puſtulis, unà graſſantibus— Fortè acris & bilioſa Colluvies, quæ Menſe *Julio*, *Auguſto*, & *Septembri* Inteſtina torquebat, nunc tendit ad Cutim—Anne deducenda hinc eſt Indicatio curandi per Sudores, Veſicantia, &c. in Febribus per talem Conſtitutionem ſævientibus?

Febres lentæ *nervoſæ* ſparguntur, item *Peripneumoniæ* nothæ. *Aſthma*, Angina, *Rheumatiſmus* frequens.

Tuſſes & Deſtillationes permultos laceſſunt cum Tumoribus Faucium, Dentiumque Doloribus, ſæpè admodùm acerbis.

Plena Luna 11° Decembri. *Nova Luna* 26°.

Ineunte Menſe Aër erat craſſus valdè, humidus ac ſubtepidus, poſt octavum verò multò frigidior, ad Finem frigidiſſimus: Boreas perflavit ſæpiſſimè, Vulturnus frequenter, præſertim Menſis Initio, Auſter interdum. Maxima fuit *Atmoſphæræ* Mutatio Die ultimo,

Mane nimirùm omnia rigidiſſimo conſtricta Gelu, Veſperi Pluvia perpetua *Thermometro* à Gr. 80 ad 65 aſcendente, irruente Vulturno.

Pluvia 1. 5. 6. $\overset{/}{\overline{8}}$. 9. 10. 15. 17—19. $\overset{/}{\overline{20}}$. 21. $\overset{/}{\overline{31}}$. Nix 25. $\overset{/}{\overline{29}}$. Grando 9 = 1.070. (Dig. Dec.)

Nivis plurimùm erat difflatum.

☿ Altitud. maxim.	1. 30,2. E b S 1.	} media $29.7\frac{16}{30}$.	
——— minim.	9. 29,4. W N W 1ˣ.		
Dies frigidiſſim.	31. 80. Mane E N E 1ˣ.	} media 63.	
— tepid.	7. 50. S S E 2_x.		

Etiamnum *Variolæ*; *Morbilli* frequentes; Anginæ, *Pleuritides*, *Peripneumoniæ*, & veræ & ſpuriæ, plurimæ: *Rheumatiſmi* atque *Aſthmatis Paroxyſmi* vehementes multos corripiunt. Coryzæ, Deſtillationes, Tuſſes, Dentium Dolores, Fauciumque, Colli, ac Capitis Tumores permultos affligunt undiquè.

Tota Pluviæ Quantitas Anno MDCCXLI fuit = 20.354. (Dig. Dec.)

Plena Luna 9°. JANUARIO. *Nova Luna* 25°.

Ipſo Anni Principio horrida Tempeſtas, Procella, Pluvia, Grando, Fulgura, Tonitru; nec multò lætior fuit totus hic Menſis, quippè nimboſus admodùm & ſqualidus: à xiii ad xx perpetua ferè Procella, Aër interim humidiſſimus ac valdè nebuloſus; tunc Eurus paululùm diſpulit Nubes; mox autem Libs turbidus recurrit: ipſo *Januarii* Exitu Corus: à ſeptimo ad decimum acre Gelu.

Pluvia $\overset{///}{\overline{1}}$. $\overset{//}{\overline{2}}$. 3. 4. 6. $\overset{///}{\overline{11}}$. 12. $\overset{//}{\overline{13}}$. $\overset{//}{\overline{14}}$. 15. $\overset{/}{\overline{16}}$. 18—20. 24—27. $\overset{//}{\overline{28}}$. 29. 30. Grando 1. 2. 17. Nix 7. p. m. E N E 2ˣ = 3.520. (Dig. Dec.)

Procella 1. S W 4—2 primo Mane W S W 4_x—gravis totâ Nocte 13 S W 4ˣ—14 a. m. S W 4—15 W b S 4_x—16 S W 4—19 S W 4—28 S W 4.

Miror *Barometri* Altitudinem tantis furentibus Procellis.

☿ Altitud. maxim.	22.	30,2.	E 1.	media $29.6\frac{7}{30}$.	
——— minim.	14.	28,8.	S W 4.		
Dies frigid.	10.	74.	N N E 1ˣ.	media $57\frac{29}{30}$.	
— tepid.	19.	50.	S W 4.		

Variolæ frequentes, *Morbilli epidemici:* Pleuritides, Peripneumoniæ, Anginæ, permultæ; Arthritide & *Rheumatiſmo* plurimi plectuntur.

Sub Finem *Morbillorum* ſæpiùs accedit ſæviſſima Tuſſis atque Peripneumonia, quæ Morbum haud parùm fatalem reddit: quamprimùm hæc invadit Sanguis eſt protinùs mittendus, qui plerumque eſt viſcidus admodùm & tenax: idque ferè notatur in omnibus Febre acutâ, hâc Tempeſtate, laborantibus; utiquè haud boni eſt Ominis, ſi fluidus ſit & floridus nimiùm, quod anginoſis accidit interdum & peripneumonicis, atque utplurimùm peſſimè ſignificat.

Plena Luna 8°. FEBRUARIO. *Nova Luna* 23°.

Quanquam per Initia Menſis blanda fuit ſatìs Tempeſtas, advolans tamen octavo Boreas, Aërem fecit multò frigidiorem; poſt xiii Ventus varius, xx° autem Boreas recurrit cum aſpero Gelu ad Finem ferè perdurans. Aër fuit perſiccus & valdè frigidus *Barometri* Statio præalta.

Pluvia 3. 4. 6. 12. 13. 15. 17. 18. 19. Nix 11. 18. 22. 23. 24. Grando 21. 22 = 1.200.
Dig. Dec.

AB. 20. N 1. Procella 6 Nocte W S W 4ₓ.

☿ Altitud. maxim.	27.	30,4.	E N E 2.	media $29.9\frac{12}{26}$.
——— minim.	19.	29,4.	S W 2.	
Dies frigid.	28.	68.	E N E 2.	media $61\frac{14}{26}$.
— tepid.	1.	54.	W 1.	

Morbilli epidemici, *Variolæ* paſsim. *Rheumatiſmus*, & *Pleuropneumoniæ* multos corripiunt, Tuſſes ac Tonſillarum Tumores plurimos: Sæva Arthritis, & *Aſthma* grave frequens admodùm. Diu ſpirante Vento à Plagis orientalibus * Aſthmatici ſemper peſſimè ſe habent;

* Vid. Not. F. 1728, Vol. I. *de Aëre & Morb. Epidem.*

imò

imò novi plures, qui, etſi Lectulo incluſi, talem Ventum mox adventantem præſentiunt, atque prædicunt.

Tabifica Tuſſis, & fœda Scabies plurimos Equos conſumit, ac jugulat.

Plena Luna 10° MARTIO. *Nova Luna* 25°.

Siccus maximè & frigidus fuit totus hic Menſis, Aër tenuiſſimus, vix Imberculus aliquis, Nix nulla, perpetuus ſpiravit ab Oriente Ventus ad Septentrionem plerumque vergens, hinc acre ſæpè Gelu maximæque Pruinæ; minimi verò Maris Æſtus, at alta ſemper *Mercurii* Statio—Sub Finem Martii graves ruebant Imbres ad Orientem, hîc nulli.

Pluviola 26. 27 = 0.016. (Dig. Dec.)

Levis *AB*. 5. Veſperi N N W 2—maxima 15. H. 9. N b E 1—16 H. 10 N b E 1—24 H. 8. p. m. E N E 1'.

Zona lucida ſubflava, ad Modum Iridis quaſi, à N E ad S W extenſa, tranſiens porrò per ipſum Lunæ Corpus Die 6 H. 9. p. m. N b E 1.

☿ Altitud. maxim.	4.	30,5.	N E 1.	media $30.0\frac{18}{29}$.
——— minim.	21.	29,8.	E S E 1.	
Dies frigid.	1.	68.	N E 2.	media $57\frac{27}{29}$.
— tepid.	31.	51.	N b W 1.	

Sparſæ *Variolæ*, *Morbilli Epidemici*, haud rarò lethales: jam & Pectoris & Pulmonum Morbi ſæviunt admodùm; Pulſus eſt multùm incitatus & valdè durus, Spiritus difficilis, & inter tuſſiendum acutiſſimus Dolor, Sputa denſa, tenacia, rarò Sanguine tincta—Sanguinis Miſſio, & Potio diluta, liberalis, ſola ferè fuere Remedia, Nitro plurimo adjecto.

Tuſſes, *Catarrhi*, Dentium Dolores ac Faucium, omnes ferè infeſtant: Angina verò & *Rheumatiſmi* plures: Aſthma pertinax & grave haud paucos premit; Longi & ſævi Arthritidis *Paroxyſmi*.

Omnes penè Equi, niſi Stabulis benè curantur, Scabie ac purulentâ Tuſſi vexati tabeſcunt; plurimi pereunt.

Plena

Plena Luna 8° APRILI. *Nova Luna* 23°.

Ineunte *Aprili* tempeſtiva Pluvia ſitientes Agros rigavit, paulòque pòſt grata Tellus lætam Herbam & Flores innumeros protulit, quos fovebat in Dies Ros uberrimus; his tamen infenſa eſt maximè infinita Quantitas Erucarum omnigenarum. Poſt undecimum Ventus, inter Orientem & Septentrionem ferè perpetuus, ſicciſſimam & tenuiſſimam reddidit *Atmoſphæram.*

Pluvia $\overline{5.}^{\prime}$ $\overline{6.}^{\prime\prime}$ 7. 8. $\overline{11.}^{\prime}$ 12. $\overline{22.}^{\prime\prime}$ Grando 6. 11 = 1.152. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim.	1. 30,4.	N b W 1.	} media $29.8\frac{11}{26}$.	
——— minim.	7. 29,0.	N W 2.		
Dies frigid.	7. 57.		} media $46\frac{23}{26}$.	
— tepid.	23. 38.	E 1.		

Variolæ plures uſque, *Morbilli epidemici,* & ſæpè funeſti. *Rheumatiſmus,* Angina, Pleuritides * Peripneumoniæ frequentes; *Ophthalmiæ* crebræ—Sanguis Febricitantium emiſſus jam ferè ſemper eſt viſcidus admodùm. Tuſſes graves, Raucedines, Tonſillarum ac Maxillarum Tumores perplures affliſtant. Tempeſtas eſt tabidis prorsùs infenſiſſima: Febres tertianæ aliquæ † & *Hemitritææ.*

Febris putrida contagioſa, ac peſtifera valdè, cum ingente Virium Damno, maximâ Præcordiorum Oppreſſione, Tremore Tendinumque Subſultu, Vigiliis, Delirio, Linguâ nigrâ & ſæpè aridâ valdè, Faucibus ſqualidis, & Halitu fœtidiſſimo, jam apud *Launceſton* ejuſque Viciniam ſævit admodùm, eſtque profectò funeſta maximè—Pulſus vacillat plurimùm mox ab Initio Morbi, idque vel in Robuſtis: Urina eſt plerumque lurida, & vapida quaſi, ſæpè ſubnigra & olida, rariſſimè aliquid ineſt Sedimenti, interdum verò continet furfuroſa quædam inæqualiter ſparſa: haud rarò Statu Febris erumpunt atræ *Petechiæ,* ſæpè Papulæ, aut Puſtulæ liveſcentes cum oleoſo Sudore ac valdè graveolente: Nihil fuit lætius quàm floridæ Puſtulæ in ipsâ Morbi Ἀκμῇ, Nihil funeſtum magìs lividis & ſubnigris; meræ Ma-

* Vid. *Eſſay on Fevers.* † Ibid.

culæ

culæ nunquam non aliquid Mali denotabant. Alvus nigra, fœtida maximè, & citiſſima, plures ſub Finem abripuit: Aliqui Phrenitide poſt Pervigilium correpti ſunt, plures quaſi Veterno, idque ſæpè vel ipſo Morbi Initio; ſi inſciis his oborta eſt Alvi Dejectio certiſſima ſequuta Mors eſt, Biduo vix exacto.

Genita hæc in Carceribus Febris, & per Comitia provincialia longè latèque, Plurimos Letho dedit, optimaque ſæpè eluſit Conſilia—— Certè qui fuere Sanguinis prodigi nimìs Ægrum utiquè, non Morbum, jugulabant; perrarò enim ſecundam Sanguinis Miſſionem toleravit, ſi modò ullam.

Tres tantùm hâc Febre laborantes vidi, utpotè tunc haud proſperâ Valetudine gaudens, brevì Domum petere cogebar: Sedulò autem Pharmacopolas atque Chirurgos de Morbo percontans didici Sanguinem ab Ægrotantibus detractum primò fuiſſe rutilum ſatìs & valdè fluidum, alterâ tamen Vice miſſum lividum ſemper aut nigrum—Hoc ego ipſe profectò notavi, imò vix concretum aliquid in Sanguine cujuſdam Generoſi, etſi diu antè extracto: deſideratus hic & à ſuis, & ab omnibus, Die decimo tertio interiit ſtupidus, delirus, purpureis & lividis Puſtulis aſperſus.

Cui ignota ſunt Comitia *Oxonienſia* 1577, atque nupera apud *Taunton* Anno 1730, ubi peſtifera Mephitis tot tantiſque Viris mox fuit Exitio?—Perfrequens eſt utiquè Generatio Febris peſtilentis in anguſtis immundiſque Carceribus; etiam ipſe Aër concluſus in Fodinis, Speluncis, Puteis, tandem evadit exitialis admodùm; idque longè citiùs ſi accedunt quoquè plurima Animalium *Effluvia*, quæ & ipſa porrò magìs magìſque in Horas virulenta fiunt, brevìque peſtifera maximè *.—*Atmoſphæra* ſtagnans, Frequentia Hominum polluta, mox valdè rancet & ad Reſpirationem inepta eſt prorsùs: imò Aquæ dulcis Balneum Sorde cutaneâ fœdatum putreſcit atque putet breviſ-

* Mirabilis ſanè eſt Hiſtoria apud *Lanciſium* (Lib. 1. Cap. 6. de repentinis Mortibus) cujuſdam Juvenis, protinùs extincti, dum effoderet Quercum antiquam, cujus in Cavernâ magnâ prægrandis Serpens latitabat.

ſimè.

ſimè—Nec mirum eſt hoc utiquè, quandoquidem à quolibet adulto Homine Unciæ quadraginta ferè rancidi Vaporis quotidiè exhalant.

Ociùs hæc eveniunt omnia accedente Calore, quò magìs enim Sales Oleaque Animalia attenuantur, & exagitantur Tepore, eò magìs ad Putredinem vergunt—Putreſcentium autem Animalium Corpora, maximè Hominum, plùs ſemper minùſve noxium Contagium diſpergunt; magnas ideò poſt Strages putreſcentibus nempè Cadaveribus, Febres peſtilentes ſæpiùs graſſantur.—Carnis putrefactæ Fœtor nobis eſt planè intolerabilis, monente ſcilicet Naturâ, ut hunc quàm maximè vitemus—Profectò cum valdè putidum expirant Odorem Ægrotantium Corpora à Contagione ſummoperè cavendum eſt, nam noxia admodùm ſpargunt *Miaſmata:* id in *Variolarum* Maturatione præcipuè notatur, tunc enim maximè fœtent, & longè longèque magìs ſunt contagioſæ quàm per Initia Morbi, ut omnibus notum eſt.

Purgandus eſt ergò frequenter, atque ventilandus, corruptus Carcerum, Navigiorum, ac *Noſocomiorum* Aër, ubi plurimi congeſti ſunt Homines, ne longiore Morâ fiat peſtiferus—imò, & ſi ſit aliquatenùs pollutus Fumis idoneis corrigendus eſt, quos inter utiliſſimus eſt Aceti & Camphoræ Vapor.

Commodiſſima porrò erit hæc Aëris Purgatio in Ædibus privatis, ubi ægroti decumbunt, * apertis ſcilicèt ſubindè Feneſtris, accenſis Focis, *&c*; indè namque non tantùm illi, ſed & miniſtrantes, puriorem reſpirabunt Auram.—Memini equidem haud rarò me fuiſſe Gravitate Capitis, Nauſeâ, Languore valdè affectum, dum per duas, treſve Horas Febre malignâ laborantes viſitâſſem, mox verò refectum prorsùs obambulando in Aëre aprico, aut equitando. Si hoc non datur acre Acetum, Camphorâ imbutum, olfacito ſubindè, atque expue ſæpiſſimè Salivam.

Plena Luna 8° MAIO. *Nova Luna* 23°.

Per *Maii* Initia Eurus perflavit, iſque fortis admodùm, à xvi autem ad xxiv Libs pluvioſus *Atmoſphæram* humectabat plurimùm, quæ

* Vid. *Eſſay on Fevers.*

fuerat antè ſicciſſima. Non tantùm Agros irrigando gratiſſimæ fuerunt hæ Pluviæ, ſed & inſuper Erucas perimendo; graſſabatur enim plurimùm tunc Temporis iſta Peſtis Herbarum. Porrò maximum impendebat Segeti Nocumentum à novo quodam Genere Erucarum nigrarum (erant autem robuſtæ & prælargæ) hæ Agmine vaſto à Montibus, Torrentis ad Inſtar, ruentes totos devaſtabant Agros. Amœniſſimus planè ac inſolitus eſt Telluris Ornatus, Flöres infiniti!

Pluvia $\overset{//}{6}$. $\overset{///}{7}$. 15. 16. $\overset{/}{17}$. 18. $\overset{/}{19}$. $\overset{///}{20}$. 21.—24. 30 = 2.364. Dig. Dec.

Procella 4 E b S 4—5 E S E 4—6 Mane E S E 4_x. Halo quàm maximus circa Lunam 5. H. 9. p. m. E S E 4.

☿ Altitud. maxim.	1.	30,2.	E b S 2.	media $29.6\frac{26}{30}$.
——— minim.	21.	29,4.	S W 3.	
Dies frigid.	5.	48.		media $38\frac{17}{39}$.
— tepid.	24.	32.	S S W 2_x.	

Morbilli valdè *epidemici*; *Variolæ* & Peripneumoniæ frequentes: Tuſſis & *Aſthma* perplurimos infeſtant, multi tabidi moriuntur; multi Hydrope laborant. Febris quædam *Catarrhalis* & *Rheumatica* paſsìm proſerpit, in quâ Lingua ſubatra eſt aut fuſca & valdè ſqualida, Ora *apthoſa*, Halitus teter, Urina lurida, Pulſus celer, mollis, ſubmiſſus, crebrò etiam *Petechiæ* lividæ, Tuſſis parva eſt, at magna Præcordiorum Oppreſſio—Mihi quidem videtur Species quædam Peripneumoniæ nuper malignè graſſantis.

Plena Luna 7° JUNIO. *Nova Luna* 21°.

Ne vel Guttula Pluviæ decidit Diem ad uſque viceſimum *Junii*, Aër interim fuit maximè ſiccus & calidus, Ventus Orientem inter & Arctum; pòſt autem Auſter haud parùm Pluviæ demittebat.

Pluvia $\overset{//}{20}$. 21. $\overset{/}{22}$. $\overset{///}{23}$. $\overset{//}{25}$. 26. 27. $\overset{//}{28}$. $\overset{//}{29}$. 30 = 2.020. Dig. Dec.

Permagnus Halo circa Lunam 3 H. 10. p. m. N N E 2. Fulgur & Tonitru 25 Veſperi.

☿ Altitud. maxim. 4. 30,1. N E 2_x. } media 29.6.$\frac{16}{30}$.
——— minim. 26. 29,3. S W b S 1. }

Dies frigid. 3. 32. N N E 2. } media 25.
— fervid. 13. 17. N 1_x. }

Morbilli ſunt valdè *epidemici*, & ſæpè funeſti, Tuſſi admodùm violentâ conſequente, ac Febre quaſi peripneumonicâ, quæ plurimos jugulat Infantes. Ubi Cuticula aſpera fit valdè & Furfure velut aſperſa quarto, vel quinto ab Eruptione Die, fauſti eſt Ominis; è contrà ubi Maculæ & Papulæ luridæ ſunt, aut lividæ, malum omninò.—Febris putrida paſsìm ſæpè cum Puſtulis rubris ardentibus, ſæpè cum permagnis *Petechiis*.

Anginæ, Pleuritides, Peripneumoniæ, magìs jam quàm ſolent frequentes hoc Anni Tempore—*Ophthalmiæ* plures porrò, & Tumores Capitis *eryſipelatoſi*.—Tuſſis vehemens *convulſiva*, non ſolùm Pueros ſed & Adultos etiam ſæpè invadit, præcipuè ad Menſis Finem——Multi Canes rabidi diſcurrunt.

Plena Luna 6° JULIO. *Nova Luna* 20°.

Ad Diem viceſimum quintum *Julii* Tempeſtas frigida, atque plerumque pluvioſa, Vento ferè quotidiè variante, Cauro nunc flante, nunc Africo; Aër fuit interim craſſus ac multò humidior.

Pluvia $\overset{///}{1}$. 2. 3. $\overset{//}{5}$. 7. 9. 10—13. $\overset{/}{17}$. $\overset{/}{18}$. 19—21. $\overset{///}{23}$. 24. 25 = 2.106. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 27. 30,1. E N E 1. } media 29.5$\frac{17}{30}$.
——— minim. 19. 29,2. S W b S 2. }

Dies frigid. 26. 38. N N W 2. } media 31$\frac{16}{30}$.
— calid. 31. 22. E 1^x. }

Iidem ferè graſſantur Morbi, Tuſſes tamen ſunt vehementiores, haud rarò Sanguinem exantlant. Haud pauci jam Ictero & Hydrope laborant: per ſiccas valdè & calidas Tempeſtatesblioſum Sanguinis Principium augetur, mobiliſſima diſſipantur, reſtant craſſiora; hinc Obſtructio & Icterus, hinc Hydrops, ruptis nimirùm Vaſis *Lymphaticis*; adeòque *Aſcites* ſæpè conſequitur Morbos arquatos.

Sub Finem hujus Menſis Conjux mea dilectiſſima occidit hydropica, lugentibus Amicis, Vicinis, Bonis omnibus: Mulier ſanè pia, prudens, venuſta!—Erat illa quadragenaria, gracilis, agilis, temperans maximè; atqui paulò infirma, heu & hydropicâ Stirpe nata! nunquam verò antehac vel leviſſima habuit Signa Hydropis; niſi quòd, undecim circiter abhinc Menſes, dum Curru agitata velociùs per octo, decemve Milliaria Domum peteret, intumuêre Crura Pedeſquè plurimùm—Hujus autem breviſſima Mora, nam poſtridiè evanuit omninò Tumor—Vere tamen elapſo, poſt acerbum Colicum Dolorem, icterico Colore fœdata elanguit, emacuit, perparcam reddidit Urinam, eamque craſſam ac fulvam maximè, imò vel ſubatram —Tandem Tumor aquoſus Pedes, Crura, etiamque Abdomen, invaſit. Mox Ruri ſe recipiebat, equitabat quotidiè, *Emeticis*, *Catharticis*, *Diureticis*, *Saponaceis*, *Deobſtruentibus*, *Chalybeatis*, breviter optimâ & idoneâ Medicinâ (quippè duos, treſve Medicos perdoctos conſultabam) utebatur diligentiſſimè—Multò hinc melius quod ad omnia ferè ſe habebat, ni quòd Urinam parcam valdè, turbidam & ſubnigram redderet uſque. At perbreves hæ Induciæ! paulò enim pòſt recrudeſcebant Mala, adeò ut ſub Finem *Maii* redirent & Icterus Ventris Crurumque Tumor; augebatur porrò *Aſçites* indiès, in tantum utiquè ut Medio *Junio* decumbentem penè ſuffocaret Moles Aquarum, ſursùm nempè compulſo Septo tranſverſo—Protinùs ideò ad *Paracentheſin* confugimus, quam firmo admodùm Animo perfert: detractus eſt Seri ſubviridis, ad Ignem concreſcentis Congius quaſi cum Dimidio—Poſt duos, treſve Dies ſe mirè refectam percipit, imò redit brevì & Stomachi & Corporis Vigor. Rus petit iterùm, equitat alacriter, evaneſcit Cutis Flavedo, vividi ſunt oculi, Spiritus facilis.—Lætiſſima jam mihi Spes Salutis effulſit; ſed enim quàm vana! nam vix tribus exactis Hebdomadis increvit rursùs Abdominis Tumor ad Molem enormem; iterùm ergo emiſſæ ſunt Aquæ ad eandem ferè Quantitatem, ſed ichoroſæ, ſed fœtidæ, ſed ſanguinolentæ minimèque ad Flammam coagulantes—Perſtabat ex Foramine *Trochare* facto, Fluxus prælargus Humoris ſubalbidi, purulenti, olidi, quo conſumpta

peribat

peribat optima Matrona Die *Julii* 27°.—Sèd quò me rapit dulciſſimæ Uxoris Amor?—Aſt!—*Quis Deſiderio ſit Pudor aut Modus tam cari Capitis?*

Ὀλύμπια Δώματα ναίει—perſequar ad Aſtra.

Plena Luna 5° AUGUSTO. *Nova Luna* 19°.

Per totum hunc Menſem lætiſſima Tempeſtas; proſpera Meſſis, optimum Frumentum; Aër fuit ſiccus admodùm ac puriſſimus: Ventus plerumque ab Oriente venit, ſæpè haud parùm calidus: maxima ſubindè Roratio!

Innumerabiles Veſpæ, Cicadæ, Erucæ: Multi Canes rabioſi.

Pluvia 16. $\overset{\prime\prime}{\overline{17}}$. 26. 27 = 0.434. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 9. 30,1. E b N 1.
——— minim. 16. 29,5. S 2[x]. } media $29.7\frac{25}{31}$.

Dies frigid. 19. 34. E 2[x].
— fervid. 3. 18. E 1. } media $26\frac{22}{31}$.

Morbilli adhuc *Epidemici*, *Variolæ* paſsìm, Cholera frequens: Febres quædam intermittentes, quotidianæ utplurimùm: perpauci aliter Morbi.

Plena Luna 3° SEPTEMBRI. *Nova Luna* 17°.

Hic quoquè Menſis fuit plerumque ſiccus, ſed pro Anni Tempore valdè frigidus, imò duodecimo Mane Glacies ſuper plurima Stagna, atque Pruina maxima per Agros; Ventus ab Occidente ſæpè vergens ad Auſtrum, ſæpiùs tamen ad Septentrionem; à xvi° ad Finem Orientem inter & Septentrionem perflavit. Ob magnam Siccitatem omnes ferè Fontes areſcunt: maximæ Rorationes ſæpè ac Pruinæ.

Pluvia 2. $\overset{\prime}{\overline{4}}$. 6. 7. $\overset{\prime}{\overline{8}}$. 9. $\overset{\prime\prime}{\overline{10}}$. 11. 14. 27. $\overset{\prime\prime\prime}{\overline{28}}$. 29 = 1.402. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 18. 30,0. E N E 1.
——— minim. 29. 29,1. N 2[x]. } media $29.6\frac{24}{30}$.

Dies frigid. 12. 55. N b E 1[x].
— tepid. 1. 29. S W 2. } media $41\frac{1}{3}$.

Cholera

Cholera, *Ophthalmiæ*, *Variolæ*, necnon Febres putridæ paſsim: Juniores Vermibus infeſtantur maximè.

Febriculæ quædam levi cum Anginâ quaſi, Tuſſi, Dolore Dentium Fauciumque Tumore frequentes valdè: ex facili leni Sudore diſcutitur, aut breviter mitiore *Cathartico* fugatur. Haud Dubio repentinum Autumni Frigus fuit in Causâ hujus Febriculæ, imminutâ ſcilicèt plurimùm *Perſpiratione Sanctorianâ.*

Morbilli epidemici, ac ſæpè lethales, vehementiſſima Tuſſis utplurimùm comitatur, unde haud rarò Peripneumonia ſuffocans ſub Finem, interdum ſpumoſum atque ſincerum Sanguinem expuunt; hinc frequenter nimìs cita Mors aut certa *Phthiſis*—*Diarrhœa* mucoſa, perliquida, enormis *Morbillos* ſæpè ſubſequitur; indè Abdomen durum & maximè tenſum, at reliqui Corporis ſumma Macies, tandemque Tabes funeſta: idque ſemper ferè ſi atra dejiciuntur & valdè fœtida.

Optimum & Tuſſis & Peripneumoniæ Remedium eſt opportuna Sanguinis Miſſio, ductâ mox leni Clyſtere Alvo, imò blandè purgatâ; *Diacodio* intereà licet compeſcere Tuſſis Sævitiam, acremque avertere Diſtillationem admoto inter Scapulas *Epiſpaſtico*; *Diætam* verò diluentem, mollem, omni Carne vacuam inſtituere oportet. Sive derepentè recedunt puſtuloſæ Maculæ, ſive lividæ aut plumbeæ quaſi evadunt, mox oritur ſumma Præcordiorum Oppreſſio, Anxietas, Delirium, &c.; tali in Caſu Linteis, aut Pannis calidis protinùs confricandum eſt totum Corpus, porrò ad *Cardiaca* idonea confugiendum eſt, qualia ſunt Lap. de *Goa*, Crocus Anglicus, Moſchus, Camphora, ex *Julapio* temperato, aut Vino tepido; nec utiquè novi meliora, nedùm tutiora ubì *Morbilli* evaneſcunt, aut minùs vividi ſpectantur. Erumpentibus *Morbillis* ab Aëre frigido madidiſque Sudore Induſiis ſummoperè cavendum eſt, his enim creberrimè repercutiuntur *Exanthemata*; neque intereà æſtuoſo in Aëre continendus eſt Æger, nec Stragulis nimiùm onerandus, nam & Spirandi Difficultatem adaugent, & Sudores immodicos eliciunt, præcipuè in Adultis, quo nihil pejus —Faceſſentibus porrò *Morbillis Diarrhœa* ingruit ſæpiſſimè: hìc ſummâ

ſummâ opus eſt Cautelâ, nec ſanè præproperè ſiſtenda eſt; porrige ſubindè modicam *Rhabarbari Doſin* cum Nuce *Moſchatâ* toſtâ, Decoct. C. C. C.—Oryzæ—Fracaſtorii; & Miſturam abſorbentem aliquam ex Corall. rubr. lævig. Bolo Armenâ & Aq. Cinnam. tenui confectam exhiberi jubeo.

Plena Luna 3° OCTOBRI. *Nova Luna* 17°.

Magna jam incipit Cœli Mutatio, plurimâ nempè ruente Pluviâ, furente quoquè Procellâ, & per Initia, atque Menſis Exitum: medio tamen Apricitas, Boreâ plerumque flante à xv ad xxii: *Atmoſphæra* multò fit craſſior ac humidior.

Pluvia $\overset{//}{\overline{2}}$. $\overset{/}{\overline{3}}$. 4. $\overset{//}{\overline{5}}$. 6. $\overset{//}{\overline{7}}$. $\overset{//}{\overline{8}}$. 9. 10. $\overset{//}{\overline{13}}$. 14. 16. $\overset{/}{\overline{17}}$. 25. $\overset{///}{\overline{26}}$. 27—29. $\overset{////}{\overline{30}}$. $\overset{////}{\overline{31}}$. Grando 3. $\overset{/}{\overline{27}}$. 31 = 4.960 Dig. Dec.

Maximus Maris Æſtus & Procella Veſperi 2. W S W 4 Procella 3 primo Mane & a. m. N W 4, Nox procelloſa 5. W. S W 4_x item 7 S S W 4_x—porrò 26 W N W 4. Procella cum Fulgure 27 primo Mane—29 Nocte S W b W 4—30 S W b W 4—31 p. m. S S W 4. Glacies 20. 21. 29.

☿ Altitud. maxim. 22. 30,2. E N E 1^x. } media 29. $6\frac{4}{31}$.
——— minim. 3. 28,8. N W 4.

Dies frigid. 28. 59. N N W 2. } media $47\frac{10}{31}$.
— tepid. 10. 40. S W 3.

Rheumatiſmus & *Diarrhœa* frequens, *Dyſenteriæ* quædam: *Raucedines*, Faucium Aſperitates ac Tumores plurimos vexant. *Variolæ* paſsìm multæ adhuc, eæque ſæpè malæ admodùm Indolis, *Petechiis* ſcilicèt lividis haud rarò comitantibus: imò ipſi Morbilli liveſcentes, jam multò plures jugulant quàm *Variolæ*, præſertim Adultos, qui universâ quaſi *Necroſi* pereunt anheli, ſuffocati, ſtupidi prorsùs.—Nil lætius evenit, abeuntibus *Morbillis*, quàm rupta & aſpera valdè Cuticula.

Plena

Plena Luna 1° *Nova* 16°. NOVEMBRI. *Plena Luna* 30°.

Pluvioſus fuit admodùm & frigidus hic Menſis, crebrò etiam nimboſus: incipiente *Novembri* Ventus ab Occidente venit, à decimo autem ad Finem uſque ab Oriente, flectens plerumque ad Septentrionem, aliquando tamen interfuit Vulturnus—Aër per totum gelidus, caliginoſus, humidus—*Barometri* Statio humilis.

Pluvia $\overset{///}{1}$. 2. $\overset{/}{4}$. $\overset{/}{5}$. $\overset{/}{6}$. $\overset{/}{7}$. $\overset{//}{8}$. $\overset{/}{9}$. 11. $\overset{///}{13}$. $\overset{////}{20}$. $\overset{//}{21}$. 22. 23. $\overset{////}{25}$. 26. $\overset{///}{29}$. 30. Grando vehemens 1. Nix 16 = $\overset{\text{Dig. Dec.}}{5.267}$.

Procella 1. p. m. & inſequente Nocte S W 4_x. Procella 10 Nocte E 4_x—25 Nocte S E 4_x:—vehemens 30 primo Mane E S E 4^x.

Rigidum Gelu 15. 16. 29.

☿ Altitud. maxim. 28. 30,0. N E 1.
——— minim. 13. 28,7. E S E 3. } media $29{,}3\frac{1}{10}$.

Dies frigid. 29. 68. N N E 1.
— tepid. 1. 53. S W 4_x. } media $59\frac{1}{2}$.

Iidem uſque dominantur Morbi, atqui Diſtillationes, Coryzæ, Tuſſes, *Rheumatiſmi* multò ſunt ſeveriores.

DECEMBRI.

Sæpè Boreas, ſæpè hoc Menſe perflavit Vulturnus unde *Baroſcopii* Statio fuit præalta, à xviii ad xxii intervenit Libs decidente Pluviâ—nec tamen hoc detruſit *Mercurium*, altior quinimò ſurrexit, adeò ut xxii Gradum 30.4 attigerit; quod quidem haud parùm mirabar, ſed *Atmoſphæra* erat craſſiſſima, & Eurus mox prævalebat per Dies aliquot—Sub Finem tamen Libs recurrit. Acre ſæpè Gelu incipiente Menſe, à xii ad xvii aſperrimum.

Pluvia 18. $\overset{//}{19}$. 20. 23. 27. $\overset{//}{28}$. 29. $\overset{/}{31}$. Nix 3. 7. = $\overset{\text{Dig. Dec.}}{1.342}$.

Ventus vehemens 14. 16 E N E 4_x Procella 28. Mane S W 4_x Circius furens 30 p. m.

☿ Alti-

☿ Altitud. maxim. 22. 30,4. S S W 1^{x}. } media $30.0\frac{5}{31}$.
——— minim. 29. 29,6. S W 1.
Dies frigid. 15. 76. E N E 2^{x}. } media $63\frac{12}{31}$.
— tepid. 31. 51. S W 3$_{x}$.

Cita ac torminoſa Alvus multos adhuc exercet, imò interdum etiam cruenta: *Aſthma* grave plures premit—Tuſſes, Raucedines, Colli Tumores & levis Angina plurimos. *Variolæ* paſsìm *Rheumatiſmi* multi. Peripneumoniæ aliquæ; & Febres lentæ putridæ.

Dig. Dec.
Tota Pluviæ Quantitas Anno MDCCXLII = 25.783.

Nova Luna 13° Januario. *Plena Luna* 28°.

Denſa fuit admodùm ac humida, toto ferè Menſe *Atmoſphæra*, plerumque etiam frigida, *Barometri* Statio interdum præalta, à magnâ partim Aëris Denſitate. Ventus Initio ab Occidente ſpiravit, à nono autem ad decimum octavum ab Oriente, declinans ad Septentrionem, iſque frigidus & glacialis; indè Libs multò tepidior.

Pluvia $\overset{//}{1}$. 2—4. $\overset{//}{5}$. 7. 8. 10. 19. 24. $\overset{//}{25}$. 26. 28. 31. Grando
Dig. Dec.
6 = 1.512.

Magna *AB*. 12. H. 8. p. m. Nebula valdè fœtida 22 Malacia. Procella 5 totâ ferè Die W S W 4—26. p. m. & per Noctem S W 4$_{x}$.

☿ Altitud. maxim. 11. 30,7. E N E 1. } media $29.9\frac{20}{29}$.
——— minim. 26. 29,3. S W 4$_{x}$.
Dies frigid. 21. 69. N N E 1. } media $59\frac{22}{29}$.
— tepid. 7. 52. S W 3.

Variolæ adhuc paſsìm: *Rheumatiſmi*, Pleuritides, Tuſſes plurimæ; Angina mucoſa, Tumores Faucium Dentiumque Dolores frequentes; Febres aliquæ lentæ—Cervi perplurimi pereunt undiquè.

Nova Luna 13° Februario. *Plena Luna* 27°.

Craſſa perſtat & humida *Atmoſphæræ* Conſtitutio, eſt autem paulò tepidior, Ventus incertus valdè, variat ferè quotidiè; Corus tamen prævaluit!

L l Pluvia

Pluvia 1. 2. $\overset{//}{3}$. $\overset{/}{4}$. 6. 9. $\overset{//}{11}$. 13. 14. $\overset{/}{15}$. 22. 23. $\overset{/}{25}$. 27.
Dig. Dec.
= 1.584.

Procella & Fulgura 3. p. m. S W b W 4.

☿ Altitud. maxim.	8. 30,2.	N W b W 1.	media 29.8½.
——— minim.	3. 29,3.		
Dies frigid.	20. 64.	N E 1.	media $54\frac{29}{28}$.
— tepid.	9. 51.	W 1.	

Febris *catarrhalis* & *Variolæ* paſsìm, Tuſſis innumeros infeſtat cum Tumore Faucium, Tonſillarum, & levi ſæpè Anginâ: Febres aliquæ tertianæ. Tempeſtas ſanè eſt parùm morboſa; atqui plurimi etiam Seniores Lumbricis rotundis vexantur.

Fœdiſſima Scabies adhuc inter Equos, quæ diu jam duravit.

Nova Luna 14° MARTIO. *Plena Luna* 28°.

Frigidus ſuccedit *Martius* Aërisque Temperies multò ſiccior; ineunte Menſe Malacia crebra, exeunte verò nimboſa Tempeſtas *Barometrum* deprimens plurimùm; à vii ad xxi Ventus aquilonius & Gelu ſubindè.

Pluvia 1. 3. 6. $\overset{//}{11}$. 13. 22. $\overset{////}{25}$. 26. $\overset{///}{27}$. 28. $\overset{/}{29}$. 30. Nix & Grando 7. $\overset{/}{10}$. 11. 23. 25. 30. Dig. Dec. = 2.946.

Maxima *AB*. 8 Veſperi N N E 1. Nubeculæ lucidiſſimæ ſequi videntur Venti Curſum.

Procella 25 S W 4.—26 à primo Mane per totam Diem S W b S 4, at Veſperi & durante Nocte Circius vehementiſſimus—Turbo graviſſimus 28 ab Horâ 5. p. m. ad 9. W N W 4ˣ.

☿ Altitud. maxim.	15. 30,2.	N b E 1.	media 29.6⅔.
——— minim.	26. 28,8.		
Dies frigid.	8. 66.	N N E 1ˣ.	media $55\frac{22}{30}$.
— tepid.	5. 51.	Malacia.	

Variolæ frequentes, Febres intermittentes plures & quotidianæ & tertianæ. *Rheumatiſmus*, necnon Tormina paſsìm; Tuſſes ubiquè. Grave-

Gravedines, Dolor Dentium, Capitis & Tonſillarum Tumores cum Aſperitate Faucium multos moleſtant.

Scabies fœdat Equos maximè, extremâ Macie confecti plures pereunt, aliqui Anginâ atquè Tuſſi ſuffocantur.

Nova Luna 13° APRILI. *Plena Luna* 27°.

Pars prior *Aprilis* fuit valdè frigida, poſterior tepida ſatìs; Ventus ab Septentrione undecimum Diem aduſque, ſæpè cum Nive, Grandine, Gelu: à xiii ad xvii orientalis, pòſt varius; plerumque tamen è Plagis auſtralibus.

Pluvia 1. $\overset{\prime}{\overline{4}}$. 5. 8. 11. 13. 14. 18—21. $\overset{\prime}{\overline{23}}$. $\overset{\prime}{\overline{25}}$. $\overset{\prime\prime}{\overline{26}}$. 27. 28.

Dig. Dec.

Grando 1. 4. 5. Nix 2. 5. 6 = 1.662.

Levis *AB*. 1. H. 8. p. m. N b E 2. Fulgur & Tonitru 21 Nocte, Circius vehemens 22.

☿ Altitud. maxim. 6. 30,1. N 1.
——— minim. 26. 29,3. S S W 3. } media $29.7\frac{5}{29}$.

Dies frigid. 2. 64. N 2^x.
— tepid. 30. 35. S S W 2_x. } media $49\frac{21}{29}$.

Variolæ adhuc; multæ Febres intermittentes *, tertianæ potiſſimùm: Pleuritides & Peripneumoniæ plurimæ: Febris putrida paſsìm cum Eruptione *miliari* rubrâ plerumque; omnes ferè levi Anginâ per Initia corripiuntur, ſub Finem Cuticula multùm deſquamatur.—Plures tabidi moriuntur.

Dyſenteria cruenta multos, inter Popellum præcipuè, perimit, Vermes teretes ferè ſemper ejiciuntur, etiam ab Adultis, imò & à Senioribus—Neſcio pol undè, ſed per plures jam Menſes juniores, necnon Ætate provectos, longè magìs infeſtaverunt Vermes quàm memini unquam. An ab immensâ Copiâ Fructuum omnigenorum, quæ undiquè per Æſtatem & Autumnum Anni 1742 maximè ſcatebat? his certè utitur nimiùm Vulgus ſemper cum abundant, imò & abutitur; quippè Ceraſa, Pruna, Poma perpetuò devorat.

* Vid. *Eſſay on Fevers.*

Maximè ſæviit hæc *Dyſenteria* in Oppido *Plimton*, ejuſque Viciniâ, Solo ſcilicèt pingui & uliginoſo, Morbiſquè plùs ſatìs obnoxio, Febribus lentis præſertìm & intermittentibus: duravit autem ab Initio *Aprilis* ad *Maii* Finem. Huic plerumque acceſſit Febris, rectiùs fortaſsè dicerem hæc fuit ipſius Febris *Symptoma*; nam ab ipſo ſæpè Principio, atque ante ulla Tormina, haud levis urgebat febriculoſus Ardor cum Pulſu incitatiore, ac Linguâ ſcabrâ; quìd quod & ſæpiſſimè cum manifeſto ſatìs Horrore ingruebat Morbus, & non raro utiquè More *Hemitritææ* Curſum tenebat—Haud certè ſcio an fuerit Febris *epidemica*, mox deſcribenda, ad Inteſtina tranſlata: hoc ſanè mihi compertum eſt, *Dyſenteriam epidemicam* non eſſe frequentem Veris Sobolem *.

Ut ut fuerit, aderat ſemper Febris plùs minùſve, Sanguinem ideò plerumque incipiente Morbo detrahi curabam, ne gravior foret Inteſtinorum Inflammatio, indeque acerbiora Tormina, certiorque demùm Gangræna — Urgebant ſemper per Morbi Initia Nauſea & Vomitio; Monitis adeò Naturæ obſecundans nunquam non Ventriculum elui jubebam, dato *Ipecacoanhæ* Decocto aut Infuſione, epoto mox affatìm Oryzæ aut Pulli Juſculo. Hoc peracto porrigendum eſt *Rhabarbarum* ſubindè cum liberali, diluente & demulcente Potione, quâ lenitur Acrimonia Humorum & in Sanguine & in Viſceribus, dum *Rheum* acrem expellit Colluviem. Ità ſanè neceſſaria eſt lenis Alvi Purgatio Initio omnis *Dyſenteriæ*, ut ſi hæc omittatur, Aſtringentia verò & *Opiata* præproperè dantur, mox graviſſima accedunt Tormina, Stomachi Ægritudo, Singultus, *Apthæ*, tandemque Inteſtinorum *Sphacelus*, quem cita Mors excipit.—Hoc equidem Monitum in *Dyſenteriis* curandis perpetuò obſervari debet; in hâc autem, de quâ nunc agitur, perneceſſarium eſt utiquè, quia procedente Morbo Lumbrici ferè ſemper ejiciuntur. Quid ſperandum Hoſte in imis Viſceribus hærente? Quìd ſi hoſtem Calomelano expugnes? Hoc feci herclè ſæpiùs, nec pœnitendo certè Eventu, quinimò lætâ ſæpè reportatâ Victoriâ.

* (Δυσεντερίη) γίγνεται Θέρευς ὥρῃ, δεύτερον φθινοπώρου, ἧσσον Ἦρος, ἥκιστα χειμῶνος. *Aret. Cappad.* Cap. de Dyſenteriâ ad Finem.

Non

Non ita tamen Purgantibus inſiſtendum eſt, quaſi Nil ultra deſiderat Morbus; Tormina namque *Anodynis* ſubindè ſopienda ſunt, nimiuſque porrò Fluxus Humorum eſt cohibendus; intereà corroboranda ſunt etiam Inteſtina—facit ad hæc omnia commodè ſatìs *Confectio*, ut dicitur *Fracaſtorii* (præcipuè Nuce *Myriſticâ* toſtâ, aut Cinnamomo adjecto) ſi debitâ exhibeatur *Doſi*, & ſi ſit neceſſe, *Extracto Thebaico* adjuta. Decoct. C. C. C. aut Lac dulce cum Aquæ fontanæ Duplo & Cinnamomi paululo coctum, aut Serum Lactis tenuiſſimum, in quo Ferrum ignitum ſit extinctum, ſorbenda ſunt ſubindè. Si Bilis acris abundet, ſi *Dyſenteria* ſit valdè cruenta, & ſinceri Sanguinis plurimum dejiciatur Tinctura Roſar. rubr. probè acidula juvat, aut Vinum rubrum auſterum dilutius—Plerumque, ſub Morbi Finem, excruciat maximè graviſſimus quaſi Inteſtinorum Deſcenſus, & perpetuus deſidendi Conatus; hoc nihil æquè levat ac *Diaſcordium*; aut Theriaca Andromachi, ex Lacte dulci, aut Decocto albo, Clyſtere datâ. Sed de Morbo *dyſenterico* mox plura.

Sub Finem *Aprilis* per omnem hanc Regionem graſſata eſt Febris quædam levis plerumque, interdum verò haud parùm truculenta, Senibus & Pueris pulmonariis.—Simul & ſemel innumeros corripuit Horrore quodam vagante, & Gravitate Capitis, mox quoquè Dolor ejus acceſſit, Artuumque porrò & Dorſi, plurimos tamen univerſa quaſi Laſſitudo moleſtavit. Protinùs maxima fuit Diſtillatio acris per Oculos, Nares, Fauces, ſæpiſſimè etiam in Pulmonem, undè Sternutamenta ferè perpetua, ac vehemens plerumque Tuſſis: Omnibus adfuit Pectoris quædam Strictura, & Gravitas permoleſta. Secundo adeò Die invaluit Febris, Pulſuſque multò citatior factus eſt, auctâ quoquè Spirandi Difficultate, præcipuè ſi Sanguinis Miſſio fuerat neglecta. Sitis utiquè non admodùm urgebat, at Lingua erat peralba, veluti Cremore Lactis ſuffuſa: Oculi leviter inflammati, atque in imâ Orbitâ dolentes, Lumina refugiebant.

Non uno Tenore proceſſit Febricula, ſed nunc Algor, mox Ardor inceſſit, nullo prorsùs ſervato Ordine; cum eo tamen ut haud raro

tan-

tandem in Tertianam aut Semitertianam * faceſſerit. Erat autem ominis multò pejoris *Peripneumonia* *, ſeu *Pleuropneumonia,* quæ quidem ob Sanguinis Abundantiam, atque Tuſſis Vehementiam accedebant interdum, his præſertim, qui calidiore Regimine & Medicinâ uſi fuerant: nec infrequens, eandem ob Cauſam, erat Pleuritis * aut *Rheumatiſmus* acutus, præcipuè neglectâ Sanguinis Miſſione, ineunte Morbo.

Sanguis extractus fuit nonnunquam valdè glutinoſus, plerumque tamen floridus, at non multo Sero ſcatens; varius autem fuit in variis, quo magìs ardebat Febris utiquè eo tenacior: qualiſcunque verò viſus eſt Sanguinis Status, haud magnum ejus Diſpendium ferebat hic Morbus; imò, ſi vel Peripneumoniæ aliquid ſubeſſet minimè largam ſine maximâ Virium Ruinâ, raró plus Vice ſimplici Venæ Sectionem tolerabat: nec in hâc ſolùm, ſed in omni Febre *Catarrhali epidemicâ,* hoc ferè perpetuum notavi; namquè minuendo Naturæ Vires nimiùm *Perſpirationem* inhibet, indèque acrem auget Colluviem.—aliqua tamen Sanguinis Miſſio, ipſo Morbi Initio, in robuſtis adultis, lautè viventibus, *plethoricis,* juvat ſemper.

Per totum Febriculæ Decurſum ſputabant largiſſimè, quod Pectori Levamen erat maximum; Tuſſis autem Importunitas haud leviter *Tracheam* atque Pulmones exaſperabat; Oleum ideò Amygdalinum, *Sperma Ceti,* imò & Papaveris aliquid, *Diacodium* putà, *Tinctur. Thebaic.* aut *Elixir Paregoricum* deſiderabat: Ultimum hoc porrò utiles blandoſque Sudores movebat, nec intereà gravabat Pectus. Frequenter equidem Pulmonum Gravitas & Præcordiorum Oppreſſio *Oxymel Scillitic. Lac Ammoniac. Syrup. Croci,* aut tale quid, depoſcebat—atqui, hoc in Caſu, fuit inſtar omnium ferè lene *Emeticum*; quod quidem, mox poſt Venæ Sectionem, totum hoc ſæpiſſimè diſcuſſit, & non uno ſolùm Nomine Opem tulit.

Pars Ægrotantium longè major faciles, æquales, benignos habuere Sudores ſecundo, vel tertio Die, qui, unâ comitante Exſpuitione largâ, Febrem quinto profligârunt, ſæpè etiam citiùs, manente tamen

* Vid. *Eſſay on Fevers.*

ut

ut plurimùm haud parvo Virium Languore—Hæcce autem Nihil promovit feliciùs quàm diluens, demulcens, tepidus Potus; Serum nempè Lactis dilutiſſimum, Hordei, aut Avenæ, aut conditi Eryngii Decoctum; Hederæ terreſtris, Tuſſilaginis, *Glycyrrhizæ*, Infuſio; imò perplurimis *Coffee* Potus profuit maximè cum Lactis dulcis pauxillo—Apage verò *Sales Spirituſque*, ut vocant, *volatiles*, calida *Alexipharmaca*, & id Genus alia, quæ turbant certè plurimùm, parùm verò utiliter exturbant Morbum.—Cæterùm Febrem, acriùs atque diutiùs inhærentem, *Hauſtu Salino communi* * moderabar.

Crebrò autem ſub Febriculæ Finem multæ, rubræ, urentes Puſtulæ erumpebant, ſæpè repentina, imò & profuſa Diarrhœa accedebat ſævis interdum cum Torminibus, factâ nimirùm morboſæ Materiei ad Inteſtina *Metaſtaſi*—Hinc fortè & *Dyſenteriæ* plurimæ, quæ & hìc quoquè tunc Temporis paſsìm graſſabantur; mucoſæ fateor, rarò cruentæ — Adeò tamen parùm cohibendus erat hic ſeſe levandi Naturæ Conatus, ut per Alvum ſæpiùs Sponte faceſſeret Morbus; atque ideò Manna, *Rhabarbaro*, *Tartaro ſolubili*, *Tamarindis*, &c, promovendus: fortiora tamen Purgantia horrenda plerumque excitabant Tormina Vireſque penitùs disjiciebant.

Febris hæcce, utcunque longè latèque maximè vulgaris, paucis fuit Exitio; quandoquidem tertio utplurimùm quartove Die evanuit, modò ſe reciperent maturè eâ correpti—Res fuit herclè *Diætæ* potiùs accuratæ, ac debiti Regiminis, plerumque quàm Medicinæ elaboratæ; non quòd non interdum multò plus Curæ atque Diligentiæ popoſcit. Sudores æquales, at moderati, Sputa multa, facilia, Urinæ largæ, lutulentæ facilè ſublevabant Morbum: mirabar ſæpiſſimè immenſam Urinæ Subſidentiam; quâ tamen Nil auſpicatius.

Eadem prorsùs videtur hæc Febris, quæ per totam Europam, hoc Vere, ſub Nomine *Influenza* graſſata eſt: apud Gentes tamen Auſtrales longè magìs quàm hìc fuit peſtifera; quinetiam & apud Londi-

* Vid. ſuprà Menſe *Junio* 1740.

3 nenſes

nenſes ipſos Funera auxit maximè, imò uno duntaxat Hebdomade ad Mille ſaltem.

Nova Luna 12° Maio. *Plena Luna* 27°.

Sicca fuit admodùm, perpulchra & calida *Atmoſphæra* Diem aduſque viceſimum ſecundum; Boreas perpetuus ad xvii, indè Vulturnus, pòſt xx Libs pluvioſus.

Pluvia 16. 20. 22. 23. $\overset{\prime}{25}$. 26. $\overset{\prime}{27}$. 28. $\overset{\prime}{29}$. $\overset{\prime}{30}$ = 0.866. Dig. Dec.

Fulgur & Tonitru è Longinquo 20 p. m. levis Procella 27 Nocte S W b $S4_x$ Grando 30 —— ♂ & ♄ conjunctiſſimi ſexto Die H. 11. p. m. adeò ut unum tantùm Planetam quaſi exhibeant.

☿ Altitud. maxim. 8. 30,1. N E 1.
—— minim. 21. 29,2. S S W 2. } media $29.6\frac{24}{27}$.

Dies frigid. 1. 36. Malacia.
— fervid. 7. 22. N N E 1. } media $30\frac{13}{27}$.

Plurimi *Apoplexiâ* correpti ſunt, & plures erepti, nec hìc tantùm ſed & aliis in Locis: an ab enormi, ac intempeſtivo Æſtu Sanguinem ſubitò nimìs expandente? Febres quotidianæ & tertianæ creberrimæ longè latèque; *Variolæ* & *Morbilli* paſsìm.—Tuſſis ferina * frequens & pertinax maximè, ſæpè poſt *Morbillos* funeſta — Fugat hanc optimè modica Sanguinis Detractio, & lenis Alvi Purgatio, confert Ruſticatio, frequens Equitatio, atque accurata & lenis *Diæta*; ubi parùm hæc proficiunt Medicamenta ex Argento vivo præparata & *Cortice Peruviano* raro fallunt, quoniam Lentorem attenuant Sanguinis, & Vermes pellunt, qui jam diu perplurimis maximè ſunt infeſti, nec cedit plerumque Tuſſis niſi his ejectis:—Haud raro prodeſt Balneum frigidum, ubi omnia incaſsùm exhibita fuere: cave tamen ne adſit Febricula, vel *Hæmoptoë*.

Dyſenteria cruenta, aut mucoſa, ſævit maximè apud *Plimton* & Vicinitatem: Perplures Lumbricos dejiciunt, nec tamen indè multùm

* Conſule quæ dixi de Pertuſſi Puerorum, Vol. 1°.

levan-

levantur; imò ſæpè haud multò pòſt frigido Sudore correpti mox Animam agunt: credo quòd *gangrænoſa* Sanies fœdos hos Inquilinos expellit: unàque cum his exeunt interdum Carunculæ lividæ, fœtidiſſimæ, haud dubia utiquè Signa *Sphaceli* Inteſtinorum *.

Venæ Sectionem, quam ſuperiore Menſe ad *Dyſenteriam* conſului jam etiam magìs neceſſariam invenio ipſo protinùs Morbi Initio, ob magnum ſanè & inſolitum Tempeſtatis Calorem: turgeſcit enim indè quamplurimùm rarefactus Sanguis, atque majorem excitat Inflammationem.—Vix unquam utiquè datur *Dyſenteria epidemica* ubi Inteſtina non ſunt, aliquo ſaltem Gradu, inflammata — Ubi autem viget Inflammatio, ibi rectè ſemper mittitur Sanguis quamprimùm; Vires, Ætas, Pulſus, Conſtitutio & Anni & ipſius Ægrotantis Modum ſtatuunt. — Movenda dein eſt leniter Alvus (deterſo priùs Ventriculo ſi Nauſea & Vomitio urgent) blandis tamen ſemper Purgantibus utendum eſt, quæ namque ex Aloe, Scammonio, aut Colocynthide confecta ſunt, in hoc Morbo Toxica ſunt prorsùs, non Remedia— Omnium ſanè optimum eſt Rhabarbarum, quod exhibendum eſt ſæpiùs (toſtum id ſemper ſi ab Indiis venit Orientalibus) cum Nucis moſchatæ aut Cinnamomi pauxillo—Tinctura hujus ex Vini Spiritu, utpotè reſinoſa nimìs, parùm proficit; longè melior eſt quæ Vino rubro extrahitur.

" Adeonè verò purgandum eſt ſi cruenta ſit Alvus & perliquida?" etiam; acris etenim Inteſtinorum Colluvies fit longiore Morâ acrior longè, vellicatque multò magìs, undè majorem excitat Inflammationem, ipſumque adeò auget Morbum.—" At Sanguine tincta eſt " Alvi Proluvies—ſit ita"; nocetne modica Sanguinis Exſpuitio in Pulmonum Inflammatione; nonne hæc ſæpiſſimè, ſub certis Conditionibus, Morbum expedit?—Si alterutrius *Meſentericæ*, aut *Cœliacæ*, Arteriæ Ramuſculi, Inteſtinorum Tunicas perreptantes, obſtruuntur, factâ Reſolutione, factâ Coctione, obſtruens Materia ſæpiſſimè in Cavo

* *ἤν ὑπὸ Δυσεντερίης ἐχομένω οἷον Σάρκες ὑποχωρήσωσι, θανάσιμον.* *Hippocr.* Aph. 26. Sect. 4.

Inteſtinorum funditur; ſolvitur adeò Obſtructio, ſolvitur Inflammatio, ſolvitur Morbus.—Dolentes, inflammatæ *Hæmorrhoides* internæ Sanguinem frequentiſſimè emittunt: an Periculo eſt hoc Ægrotanti, an Levamento?—Si ſit igitur Alvus moderatè tantùm cruenta Nihil horreſco: leni eluo Potione irritantam Acrimoniam, imò & corruptam blandè expurgo Colluviem, quæ citò aliter exulcerata facit Inteſtina, tandemque *ſphacelata*, cujus Signa ſunt certiſſima Ventris Proluvies atra, oleoſa, fœtidiſſima cum lividis Carunculis, Sudores frigidi, Singultus, Delirium. Porrò ſingulare quoddam in hoc Caſu nonnunquam obſervavi, *Symptoma* ſemper lethale, Urinam nempè limpidam, at parcam valdè; id præcipuè in perbono quodam hujus Oppidi Sacerdote, cui primò Nauſea, Vomitio, Alvus torminoſa atque cruenta valdè levi cum Febre, Lingua perarida, Urina ferè nigra: Die quinto omnia magìs pacata, ſexto tamen recrudeſcebant Tormina, Dejectio atra, ſanioſa cum Grumis quaſi carnoſis horrendi Fœtoris, Urina perparca, frequens autem, at prorsùs limpida, etſi *Rhabarbarum* aſſumpſerat quotidiè; mox adeò Singultus, leve Delirium, Sopor nimius, tandemque nono, Finis omnium Malorum, Mors. Hic utiquè Inteſtina ita *ſphacelata* videbantur ut Nil omninò ad Sanguinem tranſmitterent.

In nullo ſanè Morbo magìs neceſſaria eſt diluens & demulcens Potio quàm in *Dyſenteriâ*—in hâc utiquè pura puta Aqua fontana haud parùm Pauperculos juvabat, qui ad Fontem quendam ſacrum, ſi Diis placet, & *antidyſentericum*, confugêre—innocuus ſaltem erat & puriſſimus, multòque magìs Nomen *Aquæ Vitæ* meruit quàm *Spiritus Vini ardens*, hoc Titulo celebratus, quo ſe nimiùm ſæpè in hoc Morbo Popellus abutebatur. Aquæ benè frigidæ Potionem commendat vel ipſe *Celſus* *, ſi vetus Vitium eſt; atqui inter Initia egelidam ſuadeo, quippè quæ & Inteſtina eluit meliùs, & per *Meſeraica* Vaſa & *Lactea* ad Sanguinem diluendum tranſit faciliùs: cum verò elota ſit acris Viſcerum Colluvies, ea ſanè firmanda ſunt, adeòque tunc

* *Celſ.* Lib. 4. C. 15. † Malum ſi poſt Potionem Urina non redditur, quod evenit, quia tunc Liquor omnis non in Veſicam, ſed in Inteſtina deſcendit. *Celſ.* Lib. 2. Cap. 8.

haud

haud perperàm exhibetur frigida — hâc ſolâ utiquè, Opii pauxillo adjecto, nonnunquam *Dyſenteriæ* Curationem conſummavi, probè purgatis priùs Inteſtinis—Non multùm equidem probo oleoſa & glutinoſa; ſi horum aliquid, deraſis ac Muco naturali privatis Inteſtinis, deſideratur *Decoct. alb. Emulſio Amygdalina* cum *Gum. Arabic. Mucilago Semin. Cydonior.* exhibeantur; in Victu porrò *Gelatina C. C.* cum *Icthyocollâ, Salop, Panatella,* aut id Genus alia.

Sed hæc de *Dyſenteriâ* obiter—Nunc quid Febris *epidemica* facit videndum eſt—Sanè graſſatur uſque plurimùm, jamque frequenter plus habet *Peripneumonicæ* Indolis, interdum magìs ad putridæ Naturam accedit: in alterutro Caſu Sanguis emiſſus parùm videtur viſcoſus, etiam licèt Pectus haud parùm opprimitur—hanc porrò Febrem nunc comitantur magna Faucium Aſperitas, quandoque ipſa Angina—Statu Morbi frequentes Puſtulæ urentes erumpunt, fauſtæ ſemper, ſequiturque permagna Cuticulæ Deſquamatio: rarior autem jam adeſt *Diarrhœa*, multòque ſi accedit, levior eſt; calida namque Tempeſtas magìs nunc ad extra evocat Humores, adeòque Pars longè major Ægrotantium blando, at univerſali, oborto Sudore mox facilè liberatur; atqui plures Febre quâdam intermittente corripiuntur *—Quotidianæ certè & tertianæ Febres jam ubiquè regnant; exeunte attamen Menſe *Catarrhalis epidemica* ferè penitùs faceſſit.

Nova Luna 11° Junio. *Plena Luna* 25°.

Siccus quoquè, & calidus utplurimùm, fuit hic Menſis, medio tamen inter fuere duo, treſve Dies perfrigidi; ſpiravit Aquilo frequenter, Subſolanus interdum, Auſter raró, aliquando Ventus ſiluit prorsùs: exeunte Menſe Rorationes maximæ—Stupenda Pruina, imò ipſa Glacies xiii primo Manè, idque per totam ferè Angliam.

Pluvia 3. 5. $\overline{10}$′. 12. 13. $\overline{14}$″. 15. 17. 26. Grando 13 Meridie cum Fulgure & Tonitru = 0.838 Dig. Dec.

* Vid. *Eſſay on Fevers.*

Procella, Fulgur, & Tonitru 14 Nocte—Fulgur & Tonitru primo Mane 26—Levis *AB*. 28 Nocte N 1.

☿ Altitud. maxim.	6. 29,8. N b E 1.	media 29.6.$\frac{6}{26}$.	
——— minim.	3. 29,3. S 1.		
Dies frigid.	13. 46. N b E 1.	media 28.	
— fervid.	7. 20. E 2.		

Variolæ adhuc & *Morbilli,* Tuſſes *convulſivæ* plurimæ: Febres putridæ & *Peripneumonicæ* paſsìm, intermittentes verò, tertianæ potiſſimùm, *epidemicæ* *; Tuſſis, Tumor, ac Faucium Aſperitas permultos moleſtat.

Nova Luna 10° JULIO. *Plena Luna* 25°.

Frigidus inſequitur *Julius,* atque ideò, quod ſolet plerumque, pluvioſus; ſæpè Libs turbidus fremuit, haud rarò Vulturnus, *Atmoſphæra* hinc valdè ſpiſſata eſt ac humidata.

	//			//	//		/	///			/		/	/
Pluvia	1.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	15.	17.	18—20.	21.	22.

	//			Dig. Dec.
23.	25.	30.	31	= 2.866.

☿ Altitud. maxim.	29. 29,8. N W b W 1.	media 29.4$\frac{16}{28}$.
——— minim.	7. 29,0. S W 3x.	
Dies frigid.	10. 38. S E b E 2.	media 32$\frac{15}{28}$.
— fervid.	21. 25. S W 1x.	

Variolæ ſparſæ adhucdùm. Febres intermittentes, plurimæ, præcipuè tertianæ †; perpauci cæteroquin Morbi.

Frigida fortaſsè craſſaque Atmoſphæræ Intemperies Hyemis, ac Veris elapſi, plurimum congeſſerat ſeroſi Lentoris, qui pro variis Hominum Temperamentis, nunc Febrem intermitttentem, nunc *catarrhalem,* nunc putridam induxit.

Nova Luna 8° AUGUSTO. *Plena Luna* 24°.

Favente Deo longè felicior eluxit *Auguſtus,* lætamque produxit Meſſem: Tempeſtas fuit ſæpè fervida valdè, atqui dum Agros torret

* *Eſſay on Fevers.* † Ibid.

Cani-

Canicula, Herbæ uberrimo Rore foventur. Ventus ab Oriente plerumque ſpiravit, ſæpè verò deflexit ad Arctum, Libs rarus, Malacia frequens.

Pluvia 1′. 2. 5″. 6. 15. 19. 20. 29. 30 = 0.700. Dig. Dec.

Fulgur, Tonitru, & graviſſima Pluvia apud *Launceſton* 17. p. m. —hìc etiam Fulgur, Tonitru, & Pluvia 29 Nocte.

☿ Altitud. maxim.	23. 29,9.	N N E 1.	media $29.6\frac{17}{28}$.
——— minim.	5. 29,3.	S W 2ˣ.	
Dies frigid.	29. 34.	E S E 2ˣ.	media $27\frac{6}{28}$.
— fervid.	9. 19.	E 1.	

Variolæ ac *Morbilli* paſsìm, multæ adhuc Febres intermittentes Ruri; *Apoplexiæ* aliquæ, & Choleræ: Pauci admodùm ægrotant.

Nova Luna 7°. Septembri. *Plena Luna* 22°.

Durat uſque perpulchra & [illegible] ſicca Tempeſtas, quin & ſaluberrima *: Fontes & Rivuli [illegible] eſcunt penitùs, at immenſa Vis Roris decidit quotidiè. Ventus ferè perpetuus ex Oriente, intercurrente tamen nonnunquam Aquilone, Auſtro rariſſimè.

Pluvia 2. 5. 6. 8. 16. 17. = 0.250. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim.	24. 30,0.	E N E 1.	media 29.8.
——— minim.	5. 29,6.	S 1.	
Dies frigid.	30. 48.	N E 1.	media 36.
— calid.	19. 30.	E b N 1.	

Ineunte Menſe haud pauci Febre quâdam anginosâ correpti ſunt, quæ paulò poſt More *peripneumonico* Pulmones invadebat, magno interdum cum Ægrotantium Periculo. *Aſthma* frequens, Scabies undiquè, pauciſſimi alitèr Morbi.

Nova Luna 6° Octobri. *Plena Luna* 22°.

Pluvioſa Tempeſtas ingruit, citoque Pede irruit Hyems, craſſus hinc fit Aër & humidus. Initio Menſis Corus prævaluit, à x ad xiv frigidus Boreas tunc Vulturnus, paulòque poſt nimboſus Auſter.

* οἱ Αὐχμοὶ τῶν ἐπομβρίων εἰσιν ὑγιεινότεροι. Aph. 15. Sect. 3.

Pluvia

Pluvia 3. 4. 6. 7—9. 15—17. 18. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 29. 31 = 3.658. Dig. Dec.

Levis Procella 16 S E b S 4_x—23 Veſperi S S W 4_x—Vehemens 23 mediâ Nocte S E b S 4^x—gravis totâ Die 25 S 4. Ampliſſimus & ſubluteus Halo circa Lunam 19. H 8. p. m.

☿ Altitud. maxim. 1. 30,0. N 1.
——— minim. 25. 29,0. S 4. } media $29.5\frac{16}{28}$.

Dies frigid. 14. 55. N E 1.
— tepid. 27. 39. Malacia. } media $44\frac{15}{28}$.

Febris quædam *Sporadica,* quæ & Fauces ac Pulmones graviter afficit. Tuſſes, Dolores & Tumores Faucium frequentes; *Rheumatiſmi* graves paſsìm.

Nova Luna 5° NOVEMBRI. *Plena Luna* 20°.

Ineunte *Novembri* Corus plerumque ſpiravit, Medio Boreas, à xix autem nunc Libs, nunc Auſter, nihilominùs altam ſatìs Stationem retinuit *Barometer, Atmoſphæra* verò craſſa fuit valdè ac tepida.

Pluvia 1. 2. 3. 4. 5. 6. 11. 16. 17. 18. 19. 20. 25. 28. 29. Dig. Dec. = 2. 512.

Fulgur & Tonitru 2 H. 4. a. m. Pruina & Gelu 9. 14 N E 1^x.

☿ Altitud. maxim. 24. 30,2. S b E 1.
——— minim. 18. 29,4. S W b W 3. } media 29.9.

Dies frigid. 14. 62. N E 1^x.
— tepid. 6. 42. W S W 2. } media $49\frac{25}{28}$.

Blanda admodùm Tempeſtas, pauci Morbi; Febres tamen quædam anginoſæ, *ſcarlatinæ* & puſtuloſæ; Tuſſes crebræ.

Nova Luna 5° DECEMBRI. *Plena Luna* 20°.

A primo ad Diem ſeptimum *Decembris* perflavit Eurus, pòſt Corus, aut Libs, interdum Aquilo: à xxiv ad Finem uſque Ventus perpetuus ex Oriente, iſque ſæpè perfrigidus: præalta fuit utplurimùm Baroſcopii Statio.

Dig. Dec.
Pluvia 1. 8. $\overset{''}{9}$. $\overset{'}{14}$. $\overset{'}{15}$. $\overset{'}{16}$. $\overset{'''}{17}$. $\overset{'}{18}$. 19. Grando 14 = 1.514.
Maximæ Pruinæ ſæpiſſimè hoc Menſe, Gelu rigidum frequens.

☿ Altitud. maxim.	21.	30,6.	N E 1.	} media $30.0\frac{11}{29}$.	
——— minim.	17.	29,1.	S W 2.		
Dies frigid.	31.	73.	E N E 2^{x}.	} media $59\frac{22}{29}$.	
— tepid.	8.	46.	S W 3_{x}.		

Tempeſtas eſt adhuc maximè ſalubris, Morbi multò rariores ſolito: Tuſſes frequentes, etiam *convulſivæ* plurimæ inter Pueros—Pleuritides, & Anginæ aliquæ, *Rheumatiſmus* paſsìm.

Dig. Dec.
Tota Pluviæ Quantitas, Anno MDCCXLIII = 20.908.

Nova Luna 3°. JANUARIO. *Plena Luna* 18°.

Conſtans ab Oriente Ventus, toto ferè Menſe, *Mercurium barometricum* in alto ſuſtinuit Loco, flectens verò plerumque ad Septentrionem Aërem fecit ſiccum & frigidum valdè, hinc Gelu ſæpè aſperrimum; imò 28°, 29°, vel ipſum Mare ad Littora congelatum erat.

Dig. Dec.
Pluvia $\overset{'''}{7}$. $\overset{'}{11}$. $\overset{'}{15}$. 30. Nix 27 = 1.068.

☿ Altitud. maxim.	18.	30,6.	E N E 1.	} media $30.0\frac{12}{30}$.	
——— minim.	7.	29,6.	S 2.		
Dies frigid.	29.	76.	N E 1.	} media $64\frac{1}{3}$.	
— tepid.	11.	56.	S b E 2.		

Tuſſis inter omnes ferè vehemens & laborioſa; ſæviſſimi *Aſthmatis Paroxyſmi:* Dolores Dentium, Raucedo, Fauciumque Aſperitas plures moleſtant; Pleuritis, vel Peripneumonia, corripit multos, *Ophthalmia* aliquos—Tuſſis *convulſiva* inter Pueros *epidemica,* ad quam profligandam magìs fuit neceſſaria Sanguinis Miſſio quàm memini unquam, etiam in Puerulis tenerrimis, quorum Sanguis haud rarò non levi obductus erat Glutine: porrò non ita feliciter ſucceſſit *Corticis Peruviani* Decoct. quod ſanè perpetuum eſt ubi Sanguis eſt denſus admodùm ac tenax, atque Inflammationibus aptus; undè peſſimè Pleuriticis & Peripneumonicis exhibetur.

Nova

Nova Luna 2° Februario. *Plena Luna* 16°.

Varia fuit Tempeſtas variuſque Ventus hoc Menſe, frequens autem ab Oriente *Barometrum* tenuit ad altum ſatìs Gradum, Malacia ſubindè per Initia; per totum *Atmoſphæra* denſa, ac ſæpè frigida, haud multum támen Gelu.

Pluvia $\overset{/}{\overline{7}}$. $\overset{/}{\overline{8}}$. 9. 11. 17. $\overset{//}{\overline{19}}$. $\overset{//}{\overline{20}}$. 21.—23. $\overset{/}{\overline{24}}$. 26. 28. 29.
Dig. Dec.
Grando 9 N b W 1ˣ—24 N W 3 = 1.722.

Circius vehemens 24 p. m.—vehementiſſimus 28 Noctu.
———— 29 a. m. Maximus & lucidus Halo circa Lunam 18.

☿ Altitud. maxim. 13. 30,3. E S E 2. } media 29.8.
——— minim. 29..29,2. N W b W 4. }

Dies frigid. 6. 67. E 2. } media $56\frac{15}{27}$.
— tepid. 23. 49. W S W 2ˣ. }

Variolæ aliquæ, rubra *miliaris* Eruptio cum Febriculâ paſsìm & Febres *rheumaticæ*.—Tuſſis violenta inter omnes ferè, pluribus *catarrhalis* eſt prorsùs, multis tamen *aſthmatica*; hinc Peripneumonia frequenter oritur, haud raró Sputum Sanguinis, quod quidem aliquos in Tabem pulmonariam præcipitat.—Tuſſis *convulſiva* etiam Adultos quoſdam corripit, qui ſolummodò repetitâ Sanguinis Miſſione levantur, & Vomitu leni.

Nova Luna 3° Martio. *Plena Luna* 17°.

Incipiente *Martio* perplurima Grando, Cauro ſæpè perflante: à xii ad xxiii Ventus Orientem inter & Septentrionem conſtitit, indè Libs; ipſum Finem Aquilo: Aër fuit ſiccus plerumque & frigidus.

Pluvia $\overset{///}{\overline{1}}$. 2. $\overset{/}{\overline{3}}$. 4. $\overset{//}{\overline{5}}$. 6. $\overset{/}{\overline{7}}$. $\overset{//}{\overline{9}}$. 11. 23. 25. $\overset{/}{\overline{26}}$. $\overset{//}{\overline{27}}$. 28. 30.
Dig. Dec.
Grando 2. 3. 6. 7. 8. $\overset{/}{\overline{10}}$. Nix 8. $\overset{/}{\overline{31}}$ = 2.632.

Procella 2 N W b W 4_x—5 S W b W 4—11 N W b N 4_x Lumen boreale fulgidum valdè 22 H. 9. p. m. E N E 2_x.

☿ Altitud.

☿ Altitud. maxim. 15. 30,1. E N E 2. } media 29,5$\frac{2}{3}$.
——— minim. 5. 29,2.

Dies frigid. 14. 62. N N E 2. } media 55$\frac{26}{30}$.
— tepid. 28. 46. W S W 2.

Febres aliquæ tertianæ, & ſemitertianæ: Tuſſis moleſtiſſima & pertinax admodùm undiquè, quæ ex Naribus ſæpè, ſæpè de Pulmone, Sanguinem erumpere facit, accedit interdum Peripneumonia—hinc *Phthiſici* plures, præſertìm qui anteà fuerant *Aſthmatici.* Pleuritis & *Rheumatiſmus* paſsìm, ſub Menſis Finem *Pleuroperipneumonia* frequens valdè—Cruor extractus eſt perquàm craſſus maximè tenaci & flavo obductus Glutine.

Nova Luna 1° Aprili. *Plena Luna* 15°.

Ineunte Menſe Nix & Grando multa flante Aquilone, mox turbidus Auſter: à xii ad xvi Eurus, indè Aquilo rursùm; Corus ſub Finem. Aër fuit ſæpè gelidus valdè; maximæ Pruinæ ſæpiſſimè per medium Menſem, imò & interdum Gelu.

Pluvia $\overset{/}{1}$. $\overset{////}{4}$. 6. $\overset{///}{7}$. 8. $\overset{/}{9}$. 10. $\overset{//}{12}$. $\overset{//}{15}$. 22. $\overset{//}{28}$. 30. Nix & Grando 1. $\overset{/}{2}$. 3. 4. 9. 26 = 3.390. Dig. Dec.

Procella 7. p. m. S 4ₓ Gelu 14. 15.

☿ Altitud. maxim. 19. 30,1. N N E 1. } media 29.6$\frac{3}{29}$.
——— minim. 5. 29,0. S S W 3ₓ.

Dies frigid. 3. 65. N N E 3. } media 50$\frac{6}{29}$.
— tepid. 24. 41. N W b W 1.

Pleuritides & Peripneumoniæ valdè frequentes, ſæpè conjunctæ ſæviunt: Multi *Aſthmate,* multi *Rheumatiſmo,* multi Pleuritide ſpuriâ, laborant, plurimi Tuſſi graviſſimâ. *Morbilli* paſsìm, *Variolæ* quamplurimæ per Viciniam, necnon in citeriore *Cornubiâ*; haud paucæ Febres tertianæ *—*Paraphrenitis* ſolito frequentior.

Vix ſanè obſervavi unquam Cruorem ab Ægrotantibus detractum, magìs denſum atque glutinoſum quàm hoc Tempore, idque ſæpè poſt

* Vid. *Eſſay on Fevers.*

quartam, imò & ſextam Sanguinis Miſſionem—hoc profectò notavi præcipuè in primario *Noſocomii* nautici Chirurgo, qui ineunte Menſe *Paraphrenitide* fuit peremptus.

Bonus hic & ingenioſus certè Vir Mane, tertio *Aprilis*, inhorruit, mox Rigore maximo correptus, inter viſitandum Ægrotos, ſe recepit, protinùs ſæviſſimo Dolore Dorſi ac imi Pectoris dextri percitus ſuccubuit, febricitavit vehementer—Miſſus eſt extemplò Sanguis ad ℥xvi; me dein arceſſiri voluit—Fotum emollientem, & laxans *Enema*, præcipio, *Nitrique* plurimum & *Spermatis Ceti*, Potum diluentem, porrò & ſubtepidum, liberalem; furente tamen uſque Dolore, ſub Noctem alteram Sanguinis Miſſionem ad ℥xvi. Fotumque iterùm, & *Enema* è Lacte dulci cum Sale marino plurimo, quo bis, terve dejecit Alvus; mox *Diacodii* ℥ſs ſumpſit ac *Tinct. Thebaic.* gut. xxiv —Totâ Nocte ejulavit, difficillimè ſpiravit, Tuſſiculâ aridâ vexatus Nil expuit—benè Mane adeo, Die quarto, ℥xiv Sanguinis detractæ ſunt, Fomenta etiam & *Cataplaſmata* demulcentia admota, paulòque pòſt injectum eſt emolliens *Enema*, quo rejecto epotus eſt Hauſtus *Anodynus*: pacata hinc omnia per Horas aliquot, acceſſit Veſperi Somnus—Infidæ autem hæ Induciæ! Nox maximis in Moleſtiis acta; Febris vehemens, Spiritus brevis, interruptus, difficillimus, Dolor acerrimùs, Sitis ingens, Lingua arida—Ergò V° *Aprilis* H. 9. a. m. repetitur V. S. ad ℥xii ſaltem, *Mannæ* porrò ʒx cum *Sale Mirabil. Glauber.* ℥ſs ex Juſculo avenaceo aſſumptæ ſunt; ter hinc, quaterve, reſpondit Venter, ſæviſſimus tamen uſque urget Dolor, Pulſuſque celerrimè vibrat, exilis quidem, ſed durus admodùm; bis Noctu repetita ſunt *Anodyna*, undè Sopor aliquis, at perturbatus valdè—Cum parùm hæc omnia proficere viderim *Camphoram* cum *Nitro*, &c, exhibui, *Hauſtuſque Salinos* ex *Sal. C. C. Succo Limonum*, &c; ut nimirùm per Sudores forſan Morbum elicerem; Femoribus porrò atque Dorſo *Veſicatoria* applicari juſſi—Sudavit paululùm inæqualiter, mox autem Rigor invaſit, Dolorque Dorſi & Lateris immanis recruduit, adeò ut jam non modò exclamaret, ſed & fureret planè—quintâ adeò Vice, Die 6° nempè, poſt Meridiem, Sanguis emittitur ad ℥xv circiter:

ter: ad Fomentum dein & *Clyſma,* necnon *Anodyna* confugimus, hinc Quies aliqua, ſed Languor magnus, obrepſit denique Somnus. Poſt ſex vel octo Horas inalgeſcens horruit, ejulavit, deliravit, ſe Flammis atque Ferro excruciatum intùs, dextro è Latere, exclamavit; (durum valdè, ſed retractum, perſenſi Hypochondrium dolens *) anhelavit quaſi ex citiſſimo Curſu—interim maximo Niſu, at ſummo Angore, quaſi Gladio perfoſſus, Suſpirium edere anxiè deſideravit—Dubius omninò quid facerem ultra ſextam Sanguinis Miſſionem ſuadeo ad ℥xii circiter, Fomenta iterùm *Cataplaſmata* & *Anodyna*—Supervenit Sopor, Tremor, Tendinum Subſultus, Singultus: atqui ſe relevatum prædicat; quievit utiquè plurimùm, ſed aliena murmurans & incondita—Frigidulus occupat Sudor Frontem, dum Genæ intenſo Rubore flagrant, nigreſcunt Ungues, frigeſcunt Manus; faciliùs verò movet, imò & ſe Sponte in Lecto erigit, meliùs ſe multò autumans, ſi modò Gravitas Spiritus immenſa, & aliquantus uſque Lateris Dolor ac Pondus abeſſent—At ego Hominem planè moribundum video, Septo tranſverſo nempè *ſphacelato*; tamen Sopores inter, Singultus & Deliria, atterit Noctem, Die 7°. Menſis, paulò ante Meridiem, obiit Vir, ſi quis alius, Vitâ dignus longiore.—Mox poſt Mortem lividum quaſi à Contuſione apparuit totum Latus dextrum, Os *Ilium* aduſque. Hic Caſus fuit verè *paraphreniticus* †, cujus perpaucæ extant apud Scriptores Medicos Hiſtoriæ: credo equidem longè ſæpiùs occurrit quàm vulgò putatur.

Ab hoc Ægroto intra Quatriduum detractæ ſunt Sanguinis Unciæ ferè centum, cujus ſingula Portio erat quàm maximè viſcida, etiam ultima, licèt Sero permulto tenuiſſimo limpido innatabat Craſſamentum (parvula velut Inſula globoſa, penè tamen prorsùs ſubmerſa) quod firmiſſimo quaſi Corio erat obductum, vix utiquè Scalpello penetrandum ‡.

* Si Septum tranſverſum percuſſum eſt, Præcordia ſursùm contrahuntur. *Celſ.* Lib. 5. C. 26.

† *Eſſay on Fevers.* ‡ Ibid.

Nova Luna 1°— *Plena* 15° MAIO. *Nova Luna* 30°.

Ventus orientalis hoc Menſe prævaluit, à xix ad xxiv Zephyrus: Aër fuit ſicciſſimus, ſub Finem valdè calidus—blandiſſima plerumque Tempeſtas.

Pluvia $\overset{\prime\prime}{3}$. 8. $\overset{\prime}{10}$. 11. 12. $\overset{\prime\prime}{13}$. 18. 21. $\overset{\prime}{22}$. Grando 13 = Dig. Dec: 1.236.
Fulgur & Tonitru 3 Nocte.

☿ Altitud. maxima 15. 30,1. E N E 1.
——— minima 22. 29,2. S W 3. } media $29.6\frac{26}{28}$.

Dies frigidiſſima 14. 47. E N E 2.
— fervid. 30. 20. E N E 1. } media $36\frac{6}{28}$.

Febres intermittentes *epidemicæ*; Pleuritis & Peripneumonia frequens, *Morbilli* paſsìm: *Variolæ* plurimæ, quarum haud paucæ mali admodùm Moris; forſan à profuſis Sudoribus; quibus Adulti, præcipuè ineunte Morbo, ſæpè corripiuntur—Sed & Puerulis non multò minùs ſunt exitiales, qui nimirùm Confluentibus, nigris, cruentis non raro obruuntur.

Plena Luna 13° JUNIO. *Nova Luna* 29°.

Sicca duravit & calida Tempeſtas ad Diem Menſis viceſimum, Eurus intereà ſpiravit frequenter, poſteà verò Ventus ab Oris auſtralibus multam invexit Pluviam, Aëremque fecit multò frigidiorem.

Pluvia 4. 5. 8. 10. $\overset{\prime\prime}{20}$. $\overset{\prime}{21}$. $\overset{\prime\prime}{22}$. $\overset{\prime\prime}{23}$. $\overset{\prime\prime}{24}$. 25. 27. $\overset{\prime\prime\prime\prime}{28}$. 29. 30
Dig. Dec.
= 2.786.

Fulgur & Tonitru 5 Veſperi—22 Horâ 9. p. m.—23. p. m. Nebula valdè fœtida 26. p. m. Malacia.

☿ Altitud. maxim. 14. 29,8. E b N 1.
——— minim. 28. 29,0. S S E 2. } media $29.9\frac{5}{29}$.

Dies frigid. 24. 36. S b W 2.
— fervid. 17. 16. N N W 1. } media $27\frac{25}{29}$.

Febres intermittentes ſparsìm, tertianæ ac *Hæmitritææ* potiſſimùm; Pleuritides, Peripneumoniæ; & Anginæ aliquæ. *Variolæ epidemicæ*, inter-

interdum valdè malignæ, utpotè *Petechiis* & *Hæmorrhagiâ* aliquando ſtipatæ.

Plena Luna 13° Julio. *Nova Luna* 28°.

Per Initia Menſis Pluvia frequens, parca pòſt; Aër plerumque craſſus, Ventuſque varius, Malacia interdum: à xvi ad xxii ſpirabat Eurus.

Pluvia $\overset{/}{\overline{1}}$. $\overset{/}{\overline{2}}$. $\overset{/}{\overline{3}}$. 4. 6. $\overset{/}{\overline{8}}$. 9. $\overset{/}{\overline{10}}$. $\overset{//}{\overline{22}}$. 24. 30. = 1.324. Dig. Dec.
Levis Procella 3. p. m. S W b W 4_x.

☿ Altitud. maxim.	7. 30,0. N N W 1.	} media 29.6.$\frac{20}{29}$.
——— minim.	3. 29,2.	
Dies frigid.	4. 36. W N W 1.	} media 29$\frac{4}{29}$.
— calid.	20. 22. E 1ˣ.	

Variolæ epidemicæ, ſanè ſunt haud parùm funeſtæ; ſæpè parvæ, atræ, ſeſſiles cum Foveolâ in Puſtularum medio lividâ aut nigrâ— interdum crudo diffluunt *Ichore*, qui ſubjectam Carnem erodit, imò & nonnunquam ipsâ Gangrænâ afficit—Linguæ, Fauceſque ſub Morbi Declinationem ſunt valdè ſqualidæ, ac frequenter ſcabræ admodùm & atræ; accedit porrò ſæpiſſimè *Diarrhœa* profuſa; aliquando Tragœdia clauditur More peripneumonico:—largiſſimè tamen plerumque expuunt Ægri, præſertìm per Initia. Si quìd in his *Variolis* malignis poſſit Medicina, id utiquè faciunt *Alexipharmaca* ſubauſtera cum acido plurimo *; *Tincturâ* utor ſæpiſſimè *Corticis Peruviani Alexipharmacâ* cum multo *Elixire* aut *Spiritu Vitrioli*, ſæpè Vino rubro Gallico his acidis adjectis, præſertìm ſub Febris Deceſſu, intereà Potionem liberalem, acidulam, demulcentem ſuadeo atque Victum idoneum—Proficiunt hæc interdum maximè, ſed utplurimùm atras *Variolas* atra Mors ſequitur.

Ubì ingruente Morbo *Variolæ* luridæ, lividæ, aut parùm acuminatæ viſuntur, Febriſque adeſt lentior, generoſa quædam *Cardiaca* exhibenda ſunt, *Epiſpaſtica* porrò applicari debent, quicquid contrà recla-

* *Eſſay on Fevers* (Cap. de Variolis).

mat

mat *Sydenhamus*, ejuſque Sequaces (quos inter, in plurimis, etiam & ego ſum)—*Crocus* hìc & *Pulv. Contrayerv. C. Moſchus* & *Theriaca Androm.* imò & dulce Vinum Locum habent—Miram ſanè Vim habet *Moſchus* per Cutim expellendi, nec tamen intereà calefacit nimiùm: Si crudæ ſunt Puſtulæ, ſi prorsùs aquoſæ *Myrrham* adjicio, cui ineſt Coctioni fovendæ plurimum—Atqui quando turget Sanguis, furit Febris, ardent omnia, porrigere talia bacchantis eſt Medici, non prudentis, qui Diis Manibus devovet Ægrotos—utinam non talia vidiſſem!—Adeò Nihil in hoc Morbo perpetuum eſt, nedùm utiquè in ullo.

Plena Luna 12° Augusto. *Nova Luna* 26°.

Incipiente *Auguſto* benigna ſatìs fuit Tempeſtas, ab xi autem ad Finem uſque pluvioſa plerumque & frigida Vento mutante ſubindè; Initio Menſis Ros perplurimus.

Pluvia 1. 3. 11—14. $\overline{\text{/}}$ 15. 16. $\overline{\text{///}}$ 17. 19. 22. 23. 25. 26. 27. 29. $\overline{\text{///}}$ 31 = 2.074. Dig. Dec.

Procella 17 Nocte S W 4—28 W S W 4_x—31 primo Mane S W 4.
Fulgur & Tonitru 13 Veſperi.

☿ Altitud. maxim. 4. 30,0. N W b W 1.
——— minim. 18. 29,1. S W 3^x. } media $29.6\frac{6}{29}$.

Dies frigid. 30. 41. N W 2.
— calid. 5. 25. N W b W 1. } media $31\frac{28}{29}$.

Plurimæ *Variolæ*, Febres intermittentes paſsìm, Tuſſes frequentes, ſub Finem Menſis Anginæ aliquæ: Niſi à *Variolis* pauciſſima Funera.

Plena Luna 10° Septembri. *Nova Luna* 25°.

Et frigidus fuit & valdè humidus hic Menſis, Libs ſæpè perfremuit; à xvii ad xxiv Vulturnus furens, hinc humilis *Baroſcopii* Statio, at Maris Æſtus tumidi, ac inordinati admodùm — xxvi vehemens Procella Mane E S E 4_x Meridie S S E 4 Veſperi S S W 4^x vaſtiſſimos concitavit Fluctus atque Maris Æſtum immenſum, qui longè latèque inun-

inundavit Littora; multò ſanè magìs quàm fuit viſum antehàc unquam *.

/ /// / //// // // / / /

Pluvia 1. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 12. 13. 15. 17. 18. 20.

// // /// / Dig. Dec.

21. 24. 26. 27. 30 = 4.470.

Halo ampliſſimus circa Lunam 8. H. 8. p. m.

☿ Altitud. maxim. 2. 29,9. W N W 2. } media 29. $3\frac{4}{29}$.
——— minim. 26. 28,9.

Dies frigid. 30. 48. N W 1. } media $39\frac{19}{29}$.
— tepid. 9. 34. S S W 3.

Variolæ multæ, jam verò paulò mitiores; *Morbilli* paſsìm: perpauci certè hìc Morbi; *Colicæ* tamen, *Rheumatiſmus,* ac Tuſſis quoſdam vexant; Alvi Fluxus plurimos.

Plena Luna 9° OCTOBRI. *Nova Luna* 23°.

Nimboſa Tempeſtas hoc Menſe & valdè ſqualida, Pluvia ferè perpetua, immenſa undiquè Diluvia; infremuit Libs ſæpiſſimè, intervenit autem Caurus frequenter, haud rarò Vulturnus, xii ac xiii Boreas frigidus.

/ / /// / / // // //// // / /// /

Pluvia 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 10. 11. 14. 15. 19. 20. 21. 22.

/ /// / Dig. Dec.

23. 24. 25. 28. 30. 31 = 5.608.

Procella levis 2. S W 4_x—vehemens admodùm 3 Nocte W S W 4^x.
——— 4 a. m. W b N 4—8 Veſperi S W 4_x—9 S W 4—22 primo Mane W S W 4_x.

Fulgur & Tonitru 3 Nocte—perpetua Fulgura & Tonitrua Nocte 22 S W 4—Maximus Maris Æſtus 9°.

☿ Altitud. maxim. 13. 30,2. N E 1. } media $29.4\frac{2}{3}$.
——— minim. 4. 28,6.

Dies frigid. 13. 60. Gelu. } media 48.
— tepid. 19. 42. S W b W 3.

* Vid. Vol. I.

Variolæ

Variolæ paſsìm; Tormina & Alvi Fluxus perplurimos exercent: oriuntur hæc credo majore ex Parte à *Pomaceo* novello—Poma namque ob nimium Madorem citiſſimè putreſcunt, hinc fortè magìs ad *Diarrhœam* diſponunt quàm ſi firmiora fuerant & generoſiore Succo prædita.—Tuſſes ſævæ & creberrimæ, hinc aliquando Peripneumonia, aut Pleuritis—Peripneumoniæ nothæ quoquè haud ſunt raræ. Febres putridæ nonnullæ. In Genere tamen multò pauciores ſunt Morbi acuti quàm quis crederet, habitâ ſcilicèt Ratione Tempeſtatis infauſtæ—frequentes forſan Procellæ dirimunt pravas ac morboſas *Atmoſphæræ* Congeſtiones, vehemens velutì Motus Oceani Aquarum Putreſcentiæ obſtat.

Plena Luna 9° NOVEMBRI. *Nova Luna* 23°.

Per Initia *Novembris* pluvia Tempeſtas & interdum nimboſa, Corus ſæpè, haud rarò Africus: à x ad xxi Aquilo, ſubindè Malacia, Libs dein furens ad xxv; Boreas pòſt & Apricitas pulchra.

Pluvia 1. $\overset{///}{\overline{2}}$. $\overset{//}{\overline{3}}$. $\overset{/}{\overline{4}}$. 5. 6. $\overset{///}{\overline{7}}$. $\overset{/}{\overline{8}}$. $\overset{//}{\overline{9}}$. 11. 13. $\overset{/}{\overline{16}}$. $\overset{///}{\overline{22}}$. $\overset{/}{\overline{23}}$. 24. $\overset{/}{\overline{25}}$.

Nix & Grando 9. $\overset{/}{\overline{17}}$. Pluvia nivoſa 20 Nocte = 3.740. (Dig. Dec.)

Procella 2 Meridie S W 4_x—6 Nocte S W 4_x—22 Nocte S b W 4. Circius vehemens 17—Acre Gelu à 17 ad 21.

☿ Altitud. maxim. 29, 30,5. E N E 1.
——— minim. 23. 28,7. S b W 3^x. } media $29.7\frac{6}{28}$.

Dies frigid. 20. 69. N b E 1.
— tepid. 7. 44. S W 1^x. } media $56\frac{11}{28}$.

Pleuriticæ & Peripneumonicæ Febres intermittentes porrò ac *Variolæ* paſsìm; *Rheumatiſmi* plurimi: Tuſſes, Dentium Dolores, Faucium, Auriumque, cum Tumore Glandularum, valdè frequentes —Colica quamplurimos infeſtat, partìm à *Pomaceo* novello, partìm etiam ab abundante & acriore Bile; Tormina ſæpè ſunt admodùm ſæva magno cum Ardore Urinæ.

Plena Luna 8° DECEMBRI. *Nova Luna* 22°.

Altam tenuit Stationem *Barometer* hoc Menſe, Aër autem fuit plerumque craſſus valdè, ſæpè perfrigidus, ſub Finem multò lenior—ineunte *Decembri* Aquilo perſæpè flabat, exeunte Corus atque Libs, Ventò interdum omninò ſilente.

Pluvia $\overset{\prime}{\overline{8.}}$ $\overset{\prime\prime}{\overline{9.}}$ $\overset{\prime}{\overline{10.}}$ 11. 17. $\overset{\prime}{\overline{20.}}$ 21. $\overset{\prime\prime}{\overline{22.}}$ 23. 25. 28. Grando 12. Nix 13 = Dig. Dec. 1.394.

Procella 11. p. m. ad mediam Noctem durans N W b N 4.

AB 14 H. 9. p. m. N E b N 1—24 Veſperi N W 2_x.

☿ Altitud. maxim. 14. 30,6. N E 1.
——— minim. 11. 29,3. } media $30,0\frac{2}{3}$.

Dies frigid. 14. 70. valdè rigidum Gelu.
— tepid. 23. 50. S W b S 3. } media $57\frac{25}{30}$.

Morbi colici plurimi, ab Acrimoniâ Bilis aliqui, plures longè tamen à *Pomaceo* impuro, nec benè defæcato — in his Alvus eſt plerumque cita, ſæpè accedit *Dyſenteria* mucoſa, ſæpè bilioſa, aliquando cruenta.

Tuſſes innumeræ cum Tumore Faucium, Maxillarum, *Parotidum* —Peripneumonia paſsìm—Febris *catarrhalis* valdè frequens; ſolvitur ſæpè multâ effluente craſsâ ac ardente Urinâ.

Gallos inter & Hiſpanos Captivos ſævit admodùm Febris quædam *catarrhalis* maligna, jugulatque perplurimos: accedunt ſæpè *Petechiæ*, haud rarò *Parotides*, ſæpè Puſtulæ urentes aquoſæ: Dolet Initio maximè Caput, Dorſum, ac Regio Præcordiorum, protinùs ſupervenit Phrenitis, anhelosa Reſpiratio, Tremor, Subſultus, brevì Mors.

Tota Pluviæ Quantitas Anno MDCCXLIV = Dig. Dec. 31.444.

Plena Luna 7° JANUARIO. *Nova Luna* 21°.

Incipiente Anno altum fuit *Baroſcopium*, ſæpè Boreas, ſæpè perflavit frigidus admodùm Vulturnus, hinc Gelu acre frequenter: poſt viceſi-

viceſimum Menſis Diem nunc Libs, nunc Caurus: Aër erat plerumque maximè humidus præſertim Gelu liquante atque Nive.

/// // // // // / //
Pluvia 3. 4. 10. 11. 12. 13. 20. 21. 22. 23. 25. 27. 28. 30.
// Dig. Dec.
Nix 9. 17. Grando 27. 31 = 2.910.

Gravis procella cum Nive perpetuâ 9° S E 4.

☿ Altitud. maxim. 1. 30,4. N 2. }
——— minim. 26. 28,7. S W 3. } media 29.6$\frac{23}{36}$.

Dies frigid. 9. 69. S E 4. }
— tepid. 25. 54. S W 3. } media 61$\frac{2}{3}$.

Morbi colici adhuc paſsim; *Rheumatiſmi*, Pleuritides ac Peripneumoniæ, & veræ & nothæ, ſparsim. Plurimi Faucium, Maxillarum, *Parotidum*, imò & Capitis ſæpè Tumore laborant, accedente Tuſſi plerumque & Coryzâ: *Ophthalmiæ* frequentes.

Febris *catarrhalis* maligna jam graſſatur maximè & perplurimos Captivorum mittit ad Inferos: etiam nunc haud raro Noſtrates, qui cum his multùm verſantur — Plures ſæpè diutiſſimè trahit, ſæpiùs autem magis eſt acuta & More Peripneumoniæ, aut Anginæ ſuffocantis, jugulat — accedunt ſæpè *Petechiæ*, ſæpè *Dyſenteria* cruenta—hæc tamen nec certo Ordine, nec Tempore—Horum multi Gangrænâ Pedum corripiuntur à Frigore forſan & Sordibus.

Plena Luna 5° FEBRUARIO. *Nova Luna* 20°.

Frigidus admodùm fuit hic Menſis, Boreas perſæpè flavit, interdum Vulturnus, Libs rariſſimè: Aër ſiccus ſemper & tenuis, Gelu ſubindè aſperrimum: præalta erat Medio *Februario Barometri* Statio.

/ / // Dig. Dec.
Pluvia 5. 9. 14. 19. 22. Grando 2. 6. 23. Nix 26. 28 = 0.838.

Nix plurima 26 etſi Ventus erat W S W 3. Therm. 70.

Magna *AB*. 9. H. 10 Noctis N N E 1.—Levis H. 7. p. m. E N E 2^{x}.

☿ Altitud.

☿ Altitud. maxim.	18.	30,6.	E N E 2^x.	} media $29.8\frac{23}{28}$.
——— minim.	5.	29,2.	S E 1^x,	
Dies frigid.	25.	75.	N E b N 1^x.	} media $65\frac{13}{28}$.
— tepid.	15.	58.	E S E 2.	

Aſthma ſæviſſimum plures premit; Tuſſes, Pleuritides & Peripneumoniæ valdè ſunt frequentes; imò & ſæpè graves admodùm, quippè difficulter & parcè expuitur—Sanguis extractus eſt perquàm tenax, & craſſiſſimo Glutine obductus, Serum autem viride, aut ſubflavum, at perliquidum—hoc quoquè in *Rheumatiſmo* notatur, qui jam haud paucos graviter & diu torquet.

Inter Captivos ſævit uſque Febris maligna *catarrhalis*, immenſamque Stragem edit; miniſtrantes Aniculas, imò & quoſdam Chirurgos nunc invadit, etiam & occidit.—Sæpè in ſummo Febris Incremento, ſæpè ſub Finem, erumpunt Puſtulæ aquoſæ, urentes, crebrò Papulæ liveſcentes, interdum luridæ, aut ſubatræ Maculæ, *Apthæ* frequenter —Nihil horum autem multùm juvare videtur, longè magìs enim eſt ex Re Ægrotantium Sputum abundans (modò non ſit lividum, ſanioſum, fœtidum, quòd frequenter nimìs evenit) blanduſque & æqualiter diffuſus Sudor—profuſum verò extimeſco ſemper, qui ſæpè oleoſus, mox frigidus, tandem fit lethalis; idquè certò certiùs obrepente Horrore—Nil in tali Caſu magìs eſt ex Uſu quàm Vinum rubrum cum Aromaticis coctum—præcipuè ſi urget *Diarrhœa*, ſive mucoſa, ſive cruenta: quod frequenter accidit.

Plena Luna 6° MARTIO. *Nova Luna* 22°.

Per Initia *Martii* pluvioſa fuit valdè & ſqualida Tempeſtas, Aër indè craſſus admodùm & humidus; ſpiravit ſæpiſſimè Libanotus, Corus crebrò, Vulturnus interdum.

Pluvia $\overset{///}{4}$. $\overset{/}{5}$. $\overset{/}{6}$. $\overset{/}{7}$. $\overset{////}{8}$. $\overset{///}{9}$. 10. $\overset{///}{11}$. $\overset{//}{13}$. 15—17. $\overset{//}{24}$. 25. 27. $\overset{/}{28}$. $\overset{/}{29}$. Grando & Nix $\overset{/}{1}$. 2. 3 = 4.694. Dig. Dec.

Procella primo Mane 1 W S W 4—9 Nocte S W b S 4, —29 Nocte N W permagnæ Nebulæ à 24 ad 27.

☿ Altitud. maxim.	25.	30,0.	N W 1.	media $29.5\frac{2}{3}$.
——— minim.	10.	29,1.	W 3.	
Dies frigid.	2.	64.	S W b W 2 Nix.	media $51\frac{4}{30}$.
— tepid.	21.	42.	N 1.	

Tuſſes valdè frequentes, Tumores Colli, Maxillarum, Capitis undiquè; plurimæ Febriculæ *catarrhales*—maligna ſævit adhuc maximè inter Captivos, necnon inter Nautas noſtros.—Pleuritides ac Peripneumoniæ haud paucæ & veræ & ſpuriæ.

Plena Luna 5° Aprili. *Nova Luna* 20°.

Pluvius quoquè erat hic Menſis & algidus Corus Initio ſpirabat, à xiv ad xxviii Boreas ferè perpetuus, Pluviâ tamen decidente frequenter eâ verò valdè frigidâ.

Pluvia 1. 3. 4. $\overset{/}{5}$. 6. $\overset{//}{8}$. 9. $\overset{//}{10}$. $\overset{//}{11}$. 12. 13. 17. $\overset{///}{20}$. $\overset{///}{21}$. $\overset{//}{22}$. $\overset{/}{23}$. 25. $\overset{//}{26}$. $\overset{//}{28}$. $\overset{//}{29}$. Grando gravis 7. 11 = 3.912. Dig. Dec.

Circius vehemens totâ Nocte 3.—prælargus Halo circa Lunam 2. H. 10 Noctis—fœtidiſſima Nebula per totam Diem 13. S 1_x—Glacies ubiquè 27 Mane E N E 2.

☿ Altitud. maxim.	16.	30,1.	E N E 2_x.	media 29.5.
——— minim.	21.	28,8.	N 2^x.	
Dies frigid.	27.	55.		media $48\frac{10}{30}$.
— tepid.	14.	40.	E 1.	

Rheumatiſmus paſsim, *Iſchias* ſolito frequentior, eaque certè acerbiſſima: Pleuritides & Peripneumoniæ, tam veræ quàm nothæ, haud paucos corripiunt; Tuſſes, Tumores Faucium, atque Dentium Dolores cum Gutturis Aſperitate plurimos: quædam Febres intermittentes, inter juniores *Morbilloſæ* & *Scarlatinæ* aliquæ.

Catarrhalis Febris uſque graſſatur, diu interdum trahit Ægrotos, citò ſæpiùs Curſum abſolvit, ſub Finem plerumque expuunt largiſſimè lentam ſalſamque Pituitam, crebrò ſine ullâ Tuſſi, cum importunâ ſæpè Tuſſiculâ, id porrò multo cum Levamine; Urina eſt tenuis utplurimùm, raròvaldè rubra, Lingua ſubalbida, vix unquam nigra

aut

aut ſcabra, leve tamen Delirium, ſeu Deſipientia ferè ſemper adeſt Morbi Statu.—Plures etiamnùm jugulat *catarrhalis* maligna.

Plena Luna 4° MAIO. *Nova Luna* 20°.

Blanda ſatìs Tempeſtas ineunte Menſe, Euro afflante; poſt Diem autem decimum uda, frigidaque, Libs ferè perpetuus.

Pluvia 2. 11—15. 16. 17. 18. 19. 20——31. Grando 16—19. a. m. = 1.732.
Dig. Dec.

Procella 16 primo Mane S W 4_x. Fulgur & Tonitru 19. a. m.

☿ Altitud. maxim. 5. 30,0. E N E 2. } media $29.4\frac{26}{31}$.
——— minim. 16. 28,9.

Dies frigid. 20. 48. W b N 2^x. } media $40\frac{8}{31}$.
— tepid. 6. 33. E 2.

Morbilli, ac Febres *Scarlatinæ* hìc & per Viciniam *epidemicæ,* gravis ſæpiſſimè accedit Tuſſis & Affectio peripneumonica, queis Nil magìs occurrit quàm opportuna Sanguinis Miſſio.

Multæ Febres *Catarrhales* adhuc, quædam pravæ admodùm & diù durantes: Urina plerumque cruda eſt valdè, ſubindè quaſi lactea, Nihil prorsùs deponens per totum Morbum; Lingua eſt humida utplurimùm, at ſqualida & ſublutea; atque expuunt affatìm, idque fauſto ſemper Omine—contrà ubi Lingua fit nigra & arida, parcèque prodeunt Sputamina raro evadunt; mox enim anheli, delirantes, trementes, palpantes facti Fato tandem ſuccumbunt, niſi obſtant *Veſicatoria,* ac Sudor liberalis, qui ſanè (neſcio undè) jam haud ità facilis erumpit: Alvus etiam fuſa largiter Ægrotantibus frequenter ſuccurrit maximè.—Capitis Gravitas & Vertigo per Initia Febris ferè ſemper adſunt, leve Delirium verò & Surditas procedente Morbo; toto Decurſu Screatus maximus, etſi Tuſſis interdum abeſt omninò.—Uſque adeò per Salivæ Ductus molitur Natura *Criſin.*

Variolæ, Febres *miliares* & puſtuloſæ paſsìm; Scabies frequens, *Ophthalmiæ,* necnon Anginæ aliquæ.

Haud

Haud infrequens eſt Peripneumonia quædam notha, quæ diutiſſimè ſæpè perdurat, demùmque inſtar Febris lentæ *nervoſæ* opprimit Ægrotos, etſi Initio haud parùm exarſerat — Horum Sanguis extractus tenuis utplurimùm & floridus ſpectatur, quod mala inter Signa ſemper eſt, nec largam hujus Effuſionem patiuntur tales ſine ſummo Vitæ Diſcrimine, quamvis valdè difficilis videatur Spiritus ac magna Pectoris Oppreſſio: Mirum eſt utiquè quantum detracto Cruore mox debilitantur *—Sæviit hæc præcipuè per Auſtrales Provinciæ Oras; nec fuit alia forſan quàm *Catarrhalis epidemica* in Pulmones maximè converſa—*Camphora, Crocus, Lap. Contrayerv. Gum. Ammmoniac. Oxymel. Scillitic.* cum Sero *Sinapino* tenuiſſimo aptiſſima fuere Remedia; *Veſicatoria* porrò perquàm utilia.—Puſtulis ſub Finem erumpentibus, ac Sudore, raró pereunt.

Plena Luna 3° JUNIO. *Nova Luna* 18°.

Fuit & hic Menſis frigidus admodùm & pluvius, Africo ſæpiſſimè perflante; Coro ſæpè, interfuit autem Vulturnus à xxi ad xxiv—Aër fuit maximè craſſus ac humidus, triſtiſque Tempeſtas; hyemalem potiùs quàm æſtivam putares adeò omnia ſunt uda & ſqualida; raró vides Papilionem, imò vix Muſcam; torpent omnia.

Pluvia 1. $\overset{/}{5}$. $\overset{/}{6}$. $\overset{//}{7}$. 8. 9—13. $\overset{//}{14}$. $\overset{//}{15}$. 19. $\overset{/}{22}$. 23. $\overset{//}{24}$. $\overset{//}{25}$. 27.
Dig. Dec.
28 = 2.760.

Tonitru & Fulgura graviſſima 22° Nocte intr. Horam x & xii; longè latèque perfremuit hæc Procella.

☿ Altitud. maxim.	18.	29,8.	W N W 1.	media $29.5\frac{5}{30}$.
——— minim.	25.	29,2.	S W 3x.	
Dies frigid.	12.	48.	W N W 2.	media $37\frac{11}{30}$.
— calid.	22.	24.	S E 2x.	

Crebri adhuc valdè ſunt *Morbilli,* quibus ſæpè etiam Adulti corripiuntur: *Rheumatiſmus,* Tumor Faucium, Angina, Tuſſis frequens: Febres intermittentes paſsìm.

* Vid. *Eſſay on Fevers.*

Febris putrida maligna jam graſſatur multùm, ſæpè cum Puſtulis rubellis, ſæpè cum *Petechiis*—enormes interdum *Hæmorrhagiæ* ex Ore, Naribus, Utero accedunt; præcipuè ubi Maculæ prælargæ ſunt ac lividæ, aut nigræ, aut violaceæ *—Levis adeſt Horror Initio, mox Dolor Capitis & Gravedo cum Vertigine, in plurimis Nauſea & Vomitio; protinùs in omnibus magna Præcordiorum Oppreſſio & Anxietas permoleſta, adeò ut perpetuæ urgeant Vigiliæ, unde certò certiùs obrepit Delirium, tandemque aliquandò Veternus. Urina plerumque eſt maximè cruda ac tenuis, rarò aliquid deponens, ſub Morbi Finem verò interdum livida quædam aut furfuroſa quaſi, nonnunquam etiam nigra prorsùs. Lingua, Dentes, Fauceſque nigræ, aridæ, ſqualidæ ſunt, ex Ore fœdus admodùm exſpirat Halitus. Pluribus accidit *Diarrhœa* mucoſa, aut ſubnigra, cum Strigmentis interdum ſanguinolentis.—Multi diu conflictant Morbo, haud pauci intra Dies octo ſuccumbunt; nec deſunt plures, qui prorsùs evadunt.

Maximè ſævìit hic Morbus inter Captivos, Nautas atque noſtros, multos etiam jam per Viciniam attigit—An ex Contagione, an ab ipsâ *Atmoſphæræ* Conſtitutione haud certè ſcio: parùm namque contagioſus videtur niſi in ipſis *Noſocomiis*: magna utiquè eſt undique Virium ac Animi Dejectio apud omnes, etiamque ſanos.

Plena Luna 2° Julio. *Nova Luna* 18°.

Jam tandem Æſtas affulget, Pluviæ parùm niſi ipſo Initio & ſub Finem Menſis, afflavit plerumque Ventus ſeptentrionalis, auſtralis rariſſimè. Sol fuit fervidus ſæpè, multò hinc tenuior facta eſt *Atmoſphæra*, & ſiccior longè, maximæ ſubindè Rorationes, interdum Nebulæ leniſſimè ſpirante Vento.

Dig. Dec.

Pluvia $\overset{''}{1}$. 2. 3. 28. 19. $\overset{'}{27}$. $\overset{'''}{28}$ = 1.208.

☿ Altitud. maxim. 30. 30,0. N b W 2. } media $29.7\frac{6}{30}$.
——— minim. 1. 29,2. S W b S 2. }

Dies frigid. 30. 36. } media $28\frac{12}{30}$.
— fervid. 13. 22. N 1. }

* Vid. *Eſſay on Fevers.*

Febres

Febres quædam intermittentes, quædam Peripneumoniæ, *Ophthalmiæ* plurimæ — *Morbilli epidemici,* iique ſæpè funeſti; Tuſſis vehemens, ac *hectica* Febris, plerumque accedunt, durantque diu; ſæpè Alvi Fluxus colliquans evaneſcentibus *Morbillis,* haud rarò *Ophthalmia,* Angina, & Ulcera Faucium ſuccedunt, aliquandò *Parotis* cum *Eryſipelate* Capitis; plus ſemel hoc Menſe notavi Faucium & Oris Gangrænam, Maxillæ porrò & Vomeris Oſſis Cariem, unde Mortem miſerrimam; pòſt *Morbillos* ſcilicèt.

Febris putrida maligna quæ dudùm ſæviit, dominatur uſque, maximè inter Nautas atque Captivos; ſæpè cum Maculis parvis, obſcuris vel ſubatris, cum luridis interdum Papulis per totum Corporis Habitum; ſæpè Puſtulæ largæ, erodentes erumpunt: Jam inſuper magìs urget Vomitus quàm antehàc, quem *Diarrhœa* gravis mox excipit: porrò haud rarò multò magìs diffluunt Sudoribus: adeò tamen parùm hæc juvare videntur, ut potiùs Vires peſſundent plurimùm—Atqui ſi Fluxus Alvi citò nimìs ſiſtitur, Delirium obrepit certiſſimè, aut Sopor profundus, cum duro Abdominis Tumore, ac Singultu; quo non aliud magìs peſtiferum *Symptoma.* Omnes ferè Morbi Statu plùs minùſve delirant, ac ſurdeſcunt ſemper—Quicquid fuit emiſſum Sanguinis vel rutilantem & ſpecioſam habuit Faciem, aut lividam, aut atram, & Muco viridi vel liveſcente obductum, ſemperque ſolutum nimìs *—Proximè mihi accedere videtur hæc Febris ad Naturam iſtius malignæ quam Anno 1740 deſcripſi, adeòque Medicinâ utor eâdem ferè, Deo dante, ſatìs feliciter.

Plena Luna 1°— *Nova* 16° AUGUSTO. *Plena Luna* 30°.

A tertio Die Menſis ad decimum ſeptimum Pluvia multa, & triſte Cœlum: flavit Initio Vulturnus, poſteà Libs—hinc vero ad Finem uſque Apricitas pulchra, longè grata Meſſoribus: maximæ nunc Rorationes; jamque tandem lætè garriunt Cicadæ innumeræ, porrò Muſcæ, modò quaſì reviviſcentes, volitant ubiquè, valdèque ſunt moleſtæ.

* Vid. *Eſſay on Fevers.*

Pluvia

Pluvia $\overset{'''}{4}$. 5. $\overset{''}{6}$. 8. $\overset{'''}{9}$. $\overset{''}{10}$. $\overset{'}{11}$. $\overset{'}{12}$. $\overset{'}{13}$. 14. $\overset{'''}{15}$. $\overset{'}{16}$. 20. 21. 23. = 3.516. Dig. Dec.

Multa Fulgura & Procella 8 Nocte S S W 4_x.—9 Mane Procella S W b W 4—15 Nocte S S W 4_x Nebulæ magnæ 24. 27. 28.

☿ Altitud. maxim.	28. 30,0.	N N W 1.	media 29.5$\frac{6}{31}$.
——— minim.	9. 29,0.	S W b W 4.	
Dies frigid.	17. 40.	W b S 3.	media 32$\frac{23}{31}$.
— calid.	3. 25.	E S E 1.	

Morbilli frequentes, *Variolæ* ſparſæ, at mitiores: *Ophthalmiæ* plurimæ, *Dyſenteria* paſsim.—Sævit adhuc Febris maligna inter Nautas atque Captivos, rarior tamen multò eſt alibì, nec ità frequenter *Petechiis* fœdata.

Nova Luna 14°. SEPTEMBRI. *Plena Luna* 29°.

Ineunte *Septembri* Pluvia frequens, ab octavo autem Die ad viceſimum octavum, niſi decimo ſexto, nulla prorsùs, Nebulæ interim ſæpiſſimè, & Rorationes maximæ: Sol fervidus medio Menſe, at maxima Pruina xx°. Ventus ab Oriente ſpiravit toto ferè Menſe, à xx° ad xxviii velox admodùm.

Pluvia $\overset{''}{2}$. 3. 4. $\overset{'}{5}$. 7. 8. $\overset{'}{16}$. 28. 29. $\overset{'}{30}$. = 1.078. Dig. Dec.
Fulgur & Tonitru Mane 2°. Procella 22 E S E 4_x.
Maximus Halo circa Lunam 26 Nocte.

☿ Altitud. maxim.	11. 30,1.	E 1.	media 29.6$\frac{24}{30}$.
——— minim.	2. 29,2.	S E b E 2.	
Dies frigid.	24. 46.	E 3.	media 35$\frac{8}{30}$.
— calid.	15. 26.	E S E 1.	

Variolæ frequentes, *Diarrhœæ* & Morbi colici paſsim; aliquæ *Dyſenteriæ* cruentæ.—Plures adhuc Febre putridâ, malignâ laborant cum *Petechiis*, Delirio, Singultu, &c.—*Aſthma* ſæviſſimum multos opprimit; plurimique Tumore Faucium, Maxillarum, *Parotidum* vexantur; *Ophthalmiæ* multæ.

P p *Mor-*

Morbilli epidemici etiam inter Adultos, ac plures jugulant, ſæpè More peripneumonico, ſæpè lentâ *hecticâ* Tabe; haud rarò *Dyſenteria* cruenta accedit, ſæpiùs verò enormis mucoſa *Diarrhœa,* nonnunquam accedunt diriſſima Oris Ulcera, atque indè Maxillarum Caries.

Nova Luna 14° OCTOBRI. *Plena Luna* 29°.

Triſtis fuit admodùm & maximè pluvius hic Menſis, vix Dies unus & alter apricus, Aër valdè craſſus & humidus: Corus perflavit Initio, pòſt Libs furens ſæpiſſimè, Auſter ſubindè, non rarò ſub Finem Vulturnus.

Pluvia 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 9. 10. 12. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 26. 28. 29. 30. 31. Grando 3. 22 = 5.896. (Dig. Dec.)

Circius vehemens 1° Mane. Procella 5° Mane S 4—8 S W 4x p. m. Iris vivida lunaris 1. H. 7. p. m.

☿ Altitud. maxim. 14. 30,2. E 1. } media 29.3$\frac{25}{29}$.
——— minim. 5. 28,7. S 4.

Dies frigid. 30. 54. S S E 2x. } media 46$\frac{11}{29}$.
— tepid. 11. 38. S S W 2.

Morbilli adhuc plurimi: *Variolæ epidemicæ;* Morbi colici & *Rheumatiſmi* paſsìm, *Ophthalmiæ* multæ: Quidam Peripneumoniâ nothâ laborant, aliqui *Apoplexiâ* perculſi ſunt. Tuſſes, Coryzæ, Gravedines, ac Febriculæ *catarrhales* permultæ: Febres lentæ & *nervoſæ* haud raræ.

Nova Luna 12° NOVEMBRI. *Plena Luna* 28°.

Venit ab Oriente Ventus ad Diem xiv, ad Septentrionem vergens plerumque, tunc Aquilo, mox Auſter furens Pluviam demiſit plurimam, paulò tamen pòſt rursùm frigidus Aquilo; ad ipſum Finem Libs. *Atmoſphæra* fuit utplurimùm gelida, craſſa admodùm ac humida.

Pluvia 1. 2. 12. 13. 14. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 26. 30.
Nix 15. 16 = 3.522. (Dec. Dig.)

Fulgura

Fulgura multa ſine Tonitru 1 Nocte S E 1^x. Procella 18 S b W 4 —19 p. m. S W 4_x. Circius vehemens 19 Nocte. Subitus admodùm & maximus *Baroſcopii* Deſcenſus 18, à 29. 7. ſcilicèt ad 28. 8 intra ſex vel octo Horas. Gelu rigidum 16. 17. 21. 25. Denſiſſima & valdè fœtida Nebula 23. p. m.

☿ Altitud. maxim.	6. 30,3. E N E 1^x.	} media $29.7.\frac{2}{3}$.	
——— minim.	19. 28,7. N W 4_x.		
Dies frigid.	16. 71. N b W 1.	} media $57\frac{16}{30}$.	
— tepid.	1. 46. S E 1^x.		

Variolæ undiquè *epidemicæ*, jamque quædam malæ admodùm ſunt Indolis; utcunquè per totum Autumnum fuerant benignæ. *Ophthalmiæ* plurimæ, ac *Epiphoræ* pertinaces admodùm. Pleuritides aliquæ & Peripneumoniæ.

Ineunte Menſe Febris quædam *catarrhalis* recurrit, ſeu potiùs ingruit; vehemens Dolor Capitis atque Pectoris Oppreſſio urgent, Nauſea perpetua ac Vomitio pituitoſa. Pulſus valdè velox, at mollis, raro tenſus: Lingua ſordida, ſublutea, vix unquam *arida*; Urina turbida admodùm pallidam, at flaveſcentem, prælargam, per totum Morbi Decurſum, deponens Subſidentiam. Expuunt omnes largiſſimè.—Sanguis rariſſimè valdè tenax eſt. interdum verò nonnihil glutinoſus, omnes Vertigine & Somnolentiâ nimiâ laborant. Quoſdam *Diarrhœa* lenis liberat, quoſdam Sudor blandus æqualis, plures liberrima Sputamina maximè ſectâ priùs Venâ & proritatâ Vomitione; ubi nimirùm Artis eſt Subſidium adhibere Naturæ.

Nova Luna 12° Decembri. *Plena Luna* 27°.

Incipiente *Decembri* flavit Boreas, conſequente frigidâ & ſiccâ Tempeſtate: ab xi ad xv pluvius Vulturnus, paulòque pòſt turbidus Auſter; ſub Finem Menſis Eurus: Aër fuit craſſus valdè, & medio Menſe humidus maximè.

Pluvia 1. 11. 12. $\overset{////}{13}$. $\overset{///}{14}$. 15. $\overset{/}{16}$. 17. 19. 20. $\overset{///}{21}$. 22. $\overset{/}{23}$— $\overset{/}{25}$. 26. $\overset{//}{30}$ = 3.410. Dig. Dec.

Procella 13. p. m. S E b S 4_x—19 totâ Nocte S 4—20 Mane S W 4.
——— 23 Nocte S W 4—24 totâ ferè Die S W b W 4.

☿ Altitud. maxim.	2. 30,4. E N E 1^x.	media $29.5\frac{2}{3}$.	
——— minim.	14. 29,0. S S E 3^x.		
Dies frigid.	7. 70. N E 2^x.	media $59\frac{23}{30}$.	
— tepid.	19. 50. S 4.		

Tuſſis vehemens, *Aſthmatica*, frequens : *Variolæ* maximè *epidemicæ* longè, latèque ; quædam confluentes ſunt, parvæ, ſeſſiles, nigræ, quædam tamen valdè benignæ — Febriculæ puſtuloſæ *(the Chicken and Swines Pox)* plurimæ inter Pueros : Puſtulas has ſubrubras & aquoſas pro Variolis ſæpè agnoſcunt Mulierculæ (nam & Veſtigia crebrò diu relinquunt) haud rarò tamen paulò pòſt triſti Eventu vident Errorem, dum Variolæ, eæque malignæ, reverà invadunt.

Jam increbeſcunt valdè Febres peripneumonicæ, periculoſæ quidem & haud rarò lethales. Aliqui parùm aut nil expuunt, plures bilioſa admodùm ſincera & perliquida aut ſpumoſa & minimè cocta, nonnulli Saniem ferè ſubatram : anhelant maximè & ſummâ Pectoris Gravitate premuntur—Majus mihi videtur impendere Periculum Peripneumonicis ubi permagna urget Pectoris Oppreſſio, & grave quoddam Præcordiorum Pondus, etſi levis tantùm & obtuſus adſit Dolor, quàm ſi Pectore, aut Latere magìs acutè torquentur : hìc enim Sanguinis Miſſio certum plerumque adfert Levamen : in priore Caſu, ita ſæpè non juvat ut etiam haud parùm ſit noxia. Jam utiquè plures occurrunt Peripneumoniæ, ubi immenſa eſt Pectoris Gravitas, & Spirandi Difficultas magna, & Tuſſis haud levis, & multus in Pulmone Strepitus, quæ vix tamen admittunt Venæ Sectionem *—Sperares forſan magnum à repetitâ Sanguinis Miſſione Auxilium, accidit è contrà Debilitas maxima, Sputi Suppreſſio, Anxietas graviſſima, Vigiliæ perpetuæ, mox Delirium, Tremores, frigidi Sudores, tandemque nimìs frequenter Mors inopinata : ſæpè etiam inter Gemitus & Colloquia.— Atqui hunc Sanguinem inſpice diligenter ; nimiùm ſemper apparet ſolutus, quamvis floridus plerumque, & ſpecioſus, & diu Seri tenax ; aſpice alterâ Vice detractum Cruorem, Craſſamentum lividum vides,

* Vid. *Eſſay on Fevers.*

& laxum

& laxum maximè, plurimo fulvo, turbido aut ſubviridi, aut ſubrubicundo innatans Sero: tertia, nigrum ferè & ſanioſum, vix ullo Modo cohærens—Peſſimi hoc ſemper Ominis notavi in Peripneumoniâ, & plerumque lethale *.

Sunt autem & nunc multi *Pleuroperipneumoniâ* laborantes, præſertìm Ruricolæ, quibus Dolor eſt Pectoris aut Lateris vehemens, Tuſſis violenta, Spiritus ex Ore fervens, interruptus, difficillimus, Pulſus plenus, durus, atque velox, rubicunda ac turgida Facies—Poſtulant hæc citam & largam Sanguinis Miſſionem, imò & repetitam, unde mox relevantur plurimùm—Horum autem Sanguis denſus admodùm & viſcoſus eſt, ac dum frigeſcit Pelliculâ obductus albidâ, & coriaceâ quaſi—Porrò Sanguine miſſo, Diluentia ſubacida, nitroſa, & quæ Sputo movendo ſunt, Morbum utplurimùm brevì ſolvunt.

At prior Peripneumoniæ Species, hoc Menſe, hìc magìs ſæviebat, in quâ Urina plerumque Initio erat cruda prorsùs, ſæpè tenuis, ſubindè autem quaſi lactea, ſub Finem verò parca, turbida, ſubnigra. Lingua atro velutì Muco oblita, vel ſicca admodùm & prærubra, Colore Corticis Granati æmula, ſæpè tamen glabra valdè, liveſcens, & ſplendida quaſi, at aridiſſima, cum Bullâ nigrâ interdum ad Linguæ Apicem—Peſtifera hæc & funeſta ſunt; potiſſimùm ſi ſanioſa, nigra, & valdè fœtida Sputamina ejiciuntur.

Res eſt herclè non levis Momenti duas has Peripneumoniæ Species probè diſtinguere, maximè per Initia Morbi; cum & ingens Pectoris Oppreſſio & Spirandi Difficultas, Febris Ardor & Sævitia Tuſſis, utramque comitentur, & æquè poſtulare videantur Sanguinis Miſſionem. Prior attamen, & jam frequentior, Peripneumonia, vix quartam Sanguinis Partem adimi patitur ſine ſummâ Virium Ruinâ, quam poſterior & fert facilè, imò & ſæpiſſimè poſcit.—Unde igitur petenda Diſtinctio eſt?

Si Pulſus celer valdè, exilis & contractùs eſt, aut mollis, inæqualis & vacillans, ſi Anima ducitur laborioſè & cum frequente Suſpirio, potiùs quàm cum Anhelatione æſtuante, ſi urget magìs Pectoris Gra-

* Vid. *Eſſay on Fevers.*

vitas.

vitas quàm Dolor, ſi Urina cruda eſt, tenuis, & vapida, ſi profuſi aut inequales, frigiduli Sudores erumpunt, ſi Languor magnus & Manus tremulæ, cautiſſimè profectò mittendus eſt Sanguis & perparcè; ſi modò liceat omninò ſecare Venam. At ſi frigefactus Cruor nimìs apparet ſolutus, & parùm firmè cohærens, utcunquè floridus ſit, protinùs ſiſte Manum, ni jugulare vis ægrotantem. Si de mittendo Sanguine dubitas, an ſcilicèt conveniat necne, hoc certè cognoſces Signo; nunquam igitur dubio in Caſu, primâ Vice, eſto Laticis vitalis prodigus; qui ſæpè corrigendus eſt utiquè, non profundendus:—At ſi plenus, velox tenſus, aut durus Pulſus validè vibrat, ardetque Febris, ſi fervidus expirat Spiritus atque denſus, ſi Pectus dolet admodùm, rubetque Vultus & turget, mittendus ſemper eſt Sanguis pleno & Flumine & Modo; etiam bis, terve, repetenda eſt Venæ Sectio ſi urget uſque ſpirandi Difficultas atque Dolor, maximè ſi extracto Cruori inhæret Cruſta ſubflava & glutinoſa valdè.

Nunc graſſatur plurimùm Febris quædam putrida, diu admodùm ſæpè detinens Ægrotos, multiſque certè lethalis: haud raròad viceſimum Diem, imò aliquando ad triceſimum uſque protenditur.

Levis Rigor Initio totum pererrat Corpus, ſubito mox Calore incertoque exceptus; ſic Vicibus alternis: Laſſitudo inſuper & vagus Dolor omnia fatigat Membra; nunquam non protinùs accedit Capitis Dolor, ſæpè acutus admodùm in Fronte, in Temporibus, in Sincipite, interdum in imis Oculis: Pulſus intereà celer, tremulus, inæqualis eſt, etiam & haud raròintermittens planè, ac fortiore Digiti Preſſu interruptus prorsùs.—Urina verò tenuis eſt ac mera quaſi Vappa, aut Jumentorum inſtar turbida*, ſed nihil omninò deponens*—haud multùm inareſcit Lingua, nec ſitiunt valdè, ſordeſcunt tamen ſemper Fauces—Vomitus interim bilioſus, viridis, aut fuſcus urget vehementer, ſæpè haud parùm fœtidus; Anxietas enormis, Jactatio perpetua, ac Pervigilium contumax, ſemper, accedente Morbi Statu, Delirium inferunt & Tremores, Tendinumque Subſultus: Sub Finem Lingua Labiaque tremula fiunt, nigra & aridiſſima,

* Οὖρον ἀναλελαραγμένον, οἷον ὑποζυγίου. Aph. 70. Sect. 4. Vide *Holler.* in Aphoriſmum.

Dentes

Dentes atri & ſordidiſſimi. Singultus, Oculi vitrei, Sudores frigidi, Ungues lividi, Pulſuſque deficiens, inſtantem denunciant Mortem; licèt interdum ſtupidi ſine Senſu, Motu, aut Loquelâ jacent per Dies aliquot integros priuſquàm extremam agunt Animam, Coxis intereà Natibuſque *Necroſi* affectis.

Hoc modo huic Febri ſuccumbunt multi; at ſæpius multò magis effera ſævit—Premit ipſo Morbi *Inſultu* Anxietas, & Præcordiorum Pondus immane, acerbiſſimus Capitis atque Dorſi Dolor, Vomitio perpetua, viridis, atra, horrenda, Singultus continuus, nigreſcit Lingua, Denteſque protinùs, furit mox Phrenitis, toto Corpore tremunt, tandemque frequenter *Caro* premuntur, nec evigilant unquam—Sextum inter Diem utplùrimùm & nonum erumpunt *Petechiæ*, ſæpè lividæ, ſæpè etam aterrimæ, quæ interdum repentè vaneſcunt, profuſo fluente Sudore, vel *Diarrhœâ*; quibus Ægri ſæpiſſimè laborant. Crebrò Sanguinem ſtillant Nares, aliquando profundunt, unde Delirium ſæpè miteſcit, ſed indè Vires deprimuntur maximè—quod idem de Fluxu Alvi dicendum eſt, qui multò ſæpiùs accidit—Citiùs equidem tardiùſve ſemper ferè, durante Febre, per Alvum molita eſt Natura *Criſin*, at frequenter nimìs Morbus tantùm Morti ceſſit; haud rarò autem ſucceſſit Victrix Natura—Si Dejectiones nigræ, perliquidæ, aut ſanioſæ ſunt, & maximè fœtidæ, utiquè nihil ſpero, præcipuè ſi abſque Voluntate deſcendunt: nec multò ſanè melioris eſt Ominis inflatum atque durum Abdomen, perdurante Ventris Curſu, præſertìm ſi Singultus advenit, & perpauca redditur Urina; quam ſubatram penè notavi, imò & nonnunquam planè nigram.

Hanc habes hujus Febris Hiſtoriam, Lector; quam ſive *ſcorbuticam*, ſive malignam, ſive peſtilentem dices, nihil moror; eſt ſanè valdè funeſta, atque haud pauca prodit magnæ Putreſcentiæ, etiam & Contagii, Signa. Quicquid eſt perparcam, ſi modò ullam admittit Sanguinis Detractionem, ex majore Venâ ſaltem, ſine ſtupendâ Virium Jacturâ—Vomitum autem plerumque moveo, ſeu promoveo potiùs, quia Sponte ferè urget ſemper; Alvumque *Clyſmate* duco, ſi ſit aſtricta. Mitioribus poſteà utor *Alexipharmacis*, iiſque ſubauſteris

& Acido imbutis, inter quæ vix meliora, nedùm tutiora, probo quàm Vinum ipſum rubrum cum Aquæ fermè Dimidio, in quo porrò Macis & Cinnamomi paululum ſit incoctum, adjecto Malo *Aurantio* Hiſpalenſi toſto, ac deindè contuſo & infuſo; jucundus admodùm eſt hic Potus & Morbo percommodus. Si vis alia, *Tinct. Roſar. Decoct. Luſitan.* cùm *Aq. Cinnam.* & *Sp. Lavend.* C. paululo, Serum & Lactis vinoſum tenuiſſimum, Locum habent: nec ſitientibus, atque avidè deſiderantibus, nego ſubindè Vinum *Pomaceum* ſubtepidum: Sales *Alcalinos volatiles* & *Spiritus,* ut dicuntur, reſpuo prorsùs *, niſi cum *Salinis* utor *Hauſtibus.* Hæc, vel ſimilia, præcipio ad Febris uſque Statum; intereà verò ſi vehemens ſit Inſania Cucurbitulas ſcarificatas Humeris Cervicibuſque applicari jubeo, ſæpè deìn *Epiſpaſtica,* maximè ſi Languor opprimit. Blanda porrò *Eccoprotica* exhibeo tertiis, quartiſve Diebus, ſi Alvus eſt dura nimìs—in ipsâ Febris Ἀκμὴ parùm certè moveo, perſpiciens diligenter quid Natura faciat, aut ferat.

Si perſicca Cutis eſt & aſpera *Camphoram* cum *Theriac.* aut *Mithridat.* necnon *Hauſt. ſalinos volatiles,* aut *Julap. Camphorat.* cum *Aceto, Sp. Lavend. C.* & *Syrupo Crocino* præſcribo; idque utplurimùm bonis Avibus ſi blandi Sudores erumpunt, & floridæ Puſtulæ urentes—Si parùm hæc proficiunt alia tentanda eſt Via, per Alvum nempè ac Urinam; adeòque *Rhabarbari* paululùm cum *Sale Succino* & Nuce *Myriſticâ* alternis ſaltem Diebus miniſtro, aut *Mannam Calabrinam, Cremorem Tartari* & *Tartar. ſolubil.*—Si liquidus nimiùm ſit Venter compeſco Fluxum paulatim *Tinct. Roſar. Decoct. alb. Confect. Fracaſtor.* fortiora *Opiata* ſuadeo rariſſimè; ſi *Theriacam* excipias—Jam ſumma mihi Cura eſt ſuſtentandæ Naturæ molli reſtaurante Victu, & Medicinâ idoneâ; *Panatellam,* Juſcula leniora, Panem bis coctum ex Vino, *Gelatinam C. C. Sago, Salap.* aliaque hujuſmodi præcipio—pro Medicamento autem maximè *Tinct. Cortic. Alexipharmac.* quæ mihi longo jam Tempore, Febre putridâ declinante, explorata atque probata eſt; atqui huic ſemper fermè adjicio *Elixir. Vitrioli*—Hac

* Vid. *Eſſay on Fevers.*

Methodo

Methodo herclè, ac Medicinâ, perplurimos ex ipſis Orci Faucibus ereptos novi,—ſurdaſtros tamen ſemper, atque ſtupidos diu; Linguâ indelibili penè Nigrore fucatâ.

Tota Pluviæ Quantitas, Anno MDCCXLV. fuit = 35.476. Dig. Dec.

Nova Luna 10°. JANUARIO. *Plena Luna* 26°.

Ventus fuit parùm conſtans hoc Menſe, ſæpè frigidus, ſæpè nimboſus: ab Oriente ſpiravit Initio, ſeptimo & octavo Libs irruit; à x ad xvi Eurus aut Boreas, indè ad viceſimum nonum Corus, aut Libs, hic plerumque furens, ad ipſum Finem Boreas.

Pluvia 1. $\overset{''}{7}$. $\overset{''}{8}$. 16. 18. $\overset{''}{19}$. 20. $\overset{'''}{21}$. $\overset{''}{23}$. 24. $\overset{'}{25}$. 26. $\overset{''''}{27}$. 28.
Grando 29. Nix 30 = 3.496. Dig. Dec.

Procella 23 Nocte S W b W 4_x.—25 totâ Die S W b W 4.
——— 27 p. m. S W b W 4_x. Circius vehementiſſimus Nocte inter 27 & 28. Rigidum Gelu & Maxima Pruina 5. 6. 13. 14. 15. 29. 31. maximus Halo circa Lunam 20 Veſperi.

☿ Altitud. maxim. 5. 30,4. N E 1. }
——— minim. 27. 28,8. } media $29.8\frac{7}{28}$.

Dies frigid. 31. 70. N E 1. }
— tepid. 25. 50. } $= 59\frac{8}{28}$.

Variolæ adhuc *epidemicæ*, plerumque autem ſatìs benignæ; inter Nautas tamen & Milites haud paucos occidunt: An quòd à pravo Victu & peſſimâ *Spirituum Ardentium* Ingluvie horum Sanguis fit magìs acris & putridus? an quòd à *Scorbuticâ* Lue, imò *&c.* ſæpiſſimè *venereâ*, polluatur?—Hoc ſanè perpetuum eſt, quòd omnis Febris *epidemica* magìs eſt inter hos peſtifera quàm vel Oppidanos inter aut Ruricolas. Faucium Tumores, & Tuſſes undiquè, *Morbilli* plures & *Rheumatiſmi.*

Febris putrida, *nervoſa*, maligna uſque graſſatur, pluresque opprimit, atque multos diu admodùm trahit.

Peripneumoniæ multæ mali admodùm Moris cum Spirandi Difficultate & Anxietate maximâ, Dolore in imo Pectoris, atque

Tuſſiculâ perpetuâ, perpauca ſæpè exantlante, ſæpè ſanioſa prorsùs. Hæ poſt tres, quatuorve Dies in malignam *nervoſam*, aut *petechialem* degenerant, Vireſque ſummoperè deprimunt — Vix Sanguinis Miſſionem adeò admittunt, multò minus repetitam aut largam *.

Nova Luna 9° FEBRUARIO. *Plena Luna* 24°.

Boreas perflavit ſæpiſſimè durante *Februario*, Aëremque fecit ſiccum & valdè frigidum, acri admodùm ſæviente Gelu; altam intereà tenuit Stationem *Barometer*—interdum verò Libs procelloſus *Mercurium* depreſſit maximè, multamque demiſit Pluviam.

Pluvia $\overline{7}^{/}$. $\overline{8}^{///}$. 15. $\overline{17}^{//}$. $\overline{18}^{//}$. $\overline{19}^{///}$. $\overline{20}^{//}$. 21. $\overline{24}^{/}$. 26. 27. Nix multa $\overline{14}^{/}$—28. Grando gravis 18 Nocte = 2.680. (Dig. Dec.)

Procella 18 Nocte S W b W 4^{x}. *AB.* 9. H. 8. N E 1—27 N E 2^{x}.

☿ Altitud. maxim. 2. 30,6. E N E 1.
——— minim. 20. 28,4. S W b W 3^{x}. } media $29.7\frac{27}{20}$.

Dies frigid. 13. 76. N N E 2.
— tepid. 26. 52. N W 1. } media 64.

Plurimæ adhuc *Variolæ*, utplurimùm mitiores, Nautis tamen, Militibus, atque Captivis adhuc valdè funeſtæ, qui quidem evadunt, Furunculis & Ulceribus maximè vexantur, ſæpè *hecticâ* Febre.

Tuſſis ſæviſſima, *Aſthma* pertinax, Anginæ, Fauciumque Tumores permultos cruciant. — *Rheumatiſmi*, Pleuritides, ac *Pleuroperipneumoniæ* ſunt valdè frequentes.

Dominatur uſque Febris quædam peripneumonica, peſtilens admodùm pluresque opprimit: magna ſemper adeſt Pectoris Oppreſſio & Præcordiorum, vehemens plerumque accedit Capitis Dolor, vel ipſo Initio cum gravi Vertigine, cui mox Delirium: tenuia, cruda, ſpumoſa ſæpè expuunt, interdum bilioſa valdè, ſatis liberaliter, at parùm aut Nil plerumque juvantia, aliquando fœda, ſubnigra, & ſanioſa—intereà haud multùm urgere Febris videtur, aut Sitis, nec eſt Lingua

* Vid. *Eſſay on Fevers.*

admodùm ſicca, Muco attamen ſubatro frequenter perfuſa. Si, adveniente Morbi Statu, Urina (fulva priùs & turbida) derepentè tenuis mingitur & aquoſa, ſequitur mox ſemper Delirium, brevìque pòſt crebrò Singultus, atque lethalis Nervorum Diſtentio — Haud rarò hanc Febrem ſolvit *Diarrhœa critica*, utcunquè in aliis Pulmonariis ſit pertimeſcendus (nimius ſaltem) Alvi Fluxus. Læti plerumque etiam eſt Ominis Puſtularum & Ulcuſculorum Eruptio circa Labia, licèt moleſta eſt admodùm—Papulæ porrò rubræ, urentes per totum ferè Corpus, olido ſuccedentes Sudori, Morbum, præcipuè ſub Declinationem, prorsùs judicant totâ ferè pòſt deſquamante Cuticulâ * —Hoc adeò notans Judicium, quibuſdam *Veſicatoria* à Capite penè ad Calcem uſque applicari juſſi; verùm enimverò Opinione minus jam ſucceſſit Experimentum.

Nova Luna 11° MARTIO. *Plena Luna* 26°.

Prior *Martii* pars fuit ſicca valdè & frigida, Boreâ flante cum rigido ſæpè Gelu; à xii ad xxi Vulturnus plerumque, Pluviâ frequenter cadente, Libs interdum; ad Finem recurrit Boreas.

Pluvia 6. $\overset{\prime}{\overline{7}}$. $\overset{\prime}{\overline{14}}$. $\overset{\prime\prime\prime}{\overline{16}}$. 17. 19. $\overset{\prime\prime}{\overline{20}}$. $\overset{\prime\prime}{\overline{21}}$. 22. $\overset{\prime\prime}{\overline{23}}$. 24. 25. $\overset{\prime}{\overline{26}}$. 29. $\overset{\prime}{\overline{30}}$. 31. Nix $\overset{\prime\prime}{\overline{8}}$. 10. 11. = 3.072. Dig. Dec.

AB. 14 Veſperi & Nocte W N W 1. Peramplus Halo circa Lunam 15 Veſperi W S W 1ˣ, maxima Nebula Mane, Vento ſilente.

☿ Altitud. maxim.	3.	30,5.	N E 1.	media $29.5\frac{27}{30}$.
——— minim.	23.	28,8.	S S W 3.	
Dies frigid.	1.	69.	N E b E 1.	media $56\frac{2}{3}$.
— tepid.	18.	48.	S E b E 2.	

Variolæ Sporadicæ; *Morbilli* jam iterùm ſunt valdè frequentes, ſæpè etiam malæ prorsùs Naturæ; quippè qui haud facilè erumpentes, luridi ſunt, aut lividi, quibus ſemper accedit Tuſſis ſæviſſima, interdum Peripneumonia gravis, aliquando Tormina dira—Tuſſes, laborioſæ admodùm, creberrimæ; Angina & *Aſthma* frequens valdè. Plures

* Vid. *Eſſay on Fevers.*

Sanguinis Sputo corripiuntur: Tabidi & Pulmonarii jam peſſimè ſe habent.

Ubiquè nunc ſæviunt Peripneumoniæ & *Pleuroperipneumoniæ*, eæque ſæpè valdè periculoſæ: ſunt qui nihil omninò expuunt aut difficillimè, ſunt qui cruda & tenuia, parùm aut nil juvantia, ſunt etiam qui ſanioſa prorsùs ac valdè olida: Qui verò cocta, liberalia Sputa, pauxillo Sanguine tincta extuſſiunt facilè, intra perpaucos Dies Morbo liberantur—atqui priora mali ſemper ſunt Ominis, nec Pectus, nec Præcordiorum Oppreſſionem, nec Anxietatem levant, nedùm Febrem—Sed mox ab Initio ferè delirant tales, aut enormi debilitante Alvi Fluxu corripiuntur; qui mox omninò Sputa ſupprimit, peſſimo ſemper Eventu—at longè melioris Teſſera Fati eſt Urina copioſa, turbida, plurimùm ſubflavi Sedimenti deponens; cruda verò & aquoſa eſt admodùm pernicioſa, prærubra autem & parca Nihil Boni denunciat*—Quibus, ingruente Morbo, Sanguis extractus eſt, eique ſuperſternitur Pellicula tenax, pallidè flaveſcens, citò plerumque relevantur contrà verò ubi ſolutior eſt debito Cruor, ac vel rutilans valdè, vel lividus †—Pluribus erumpunt Puſtulæ magnæ, urentes, præcipuè circa Labia; frequenter etiam per Humeros, Brachia Cruraque; idque ferè ſemper bonis cum Ægroti Rebus.

Nova Luna 9°. APRILI. *Plena Luna* 24°.

Initio *Aprilis* frigida Tempeſtas & ſicca Euro ſpirante, Die quarto rigidùm Gelu; poſt ſeptimum Ventus inconſtans, plerumque tamen Vulturnus flavit, aut Aquilo; à xix ad xxii Auſter nimboſus; maximæ Nebulæ exeunte Menſe.

Pluvia $\overline{5}$. $\overline{7}$. 8. 11. 16. 17. $\overline{19}$. $\overline{20}$. $\overline{21}$. $\overline{22}$. $\overline{24}$. 26. = 1.960. Dig. Dec.

Procella 19 Nocte SSE 4ˣ—20. a. m. S 4 gravis autem mediâ Nocte S 4ˣ.

☿ Altitud. maxim.	27.	30,2.	N b E 1.	} media $29.5\frac{28}{29}$.
——— minim.	20.	28,9.	S 4.	
Dies frigid.	4.	62.	E b N 1.	} media $48\frac{18}{29}$.
— tepid.	29.	36.	W N W 1.	

* Vid. *Eſſay on Fevers.* † Ibid.

Variolæ

Variolæ plurimæ, *Morbilli epidemici*; *Morbillis* decedentibus ſæpiùs accedit ſæviſſima Tuſſis & Affectio peripneumonica, haud rarò *Hæmoptoë*, interdùm *Diarrhœa* profuſa & obſtinata valdè; multos hinc enecant Pueros, imò & nonnunquam Adultos.

Angina frequens valdè, necnon Pleuritis, Peripneumoniæ veræ, *Pleuroperipneumoniæ* permultæ, eæque ſanè haud rarò lethales, maximè cum Angina ſubitò in *Pulmoniam* mutatur—eſt etiam & jam paſſim inſolita quædam Pleuritis (ſi ſit ita nominanda) ubi inter Scutula operta acerrimus ſævit Dolor, qui ad Sternum * uſque protenditur, maximâ cum Gravitate Pectoris & Spirandi Labore, interdum & per totam Dorſi Spinam & Hypochondrium immaniter cruciat, adeò ut vix reſpirare aut tuſſire valeant, imò omni Molimine Tuſſim aliquando ſupprimere nituntur ob Doloris Vehementiam; volunt ſe ſubindè in Lecto eſſe erectos, mox verò ejulantes, impatientes, atque prorsùs impotentes recumbunt; urget adeò Jactatio perpetua, Anxietas horrenda, Tormentum intolerabile, Verbo *Hippocratico*, Δυσφορία graviſſima; continuâ vexantur Tuſſiculâ, at parùm aut Nil expuunt, vel ſpumoſa & cruda penitùs; accedit interdum Singultus, quem paulò pòſt ſequitur inæqualis, frigidus, oleoſus Sudor, brevìque Mors. Eſt profectò acutiſſima Febris, & intra perpaucos Dies jugulat: robuſtum quendam Juvenem quarto Die inter tuſſiendum violentâ Nervorum Diſtentione correptum atque abreptum novi—Eſtne Morbus, quem *Hippocrates* πλευρῖτιν ἐν νῶτω ſeu νωτιάδα † vocat, Inflammationem nempè vel *Diaphragmatis*, vel *Mediaſtini*—Vox *Paraphrenitis*, quâ denotatur inter Recentiores Inflammatio *Diaphragmatis*, nuſquam apud *Hippocratem* legitur.

Summum hìc Præſidium eſt in opportunâ Sanguinis Miſſione, *Nitrum* mox & *Sperma Ceti* cum *Camphoræ* paululo opitulantur;

* Vid. *Eſſay on Fevers*.

† Sic deſcribitur, Lib. 2. de Morb. Sect. 54. Edit. *Linden*. Ρίγος καὶ πυρετὸς καὶ βὴξ καὶ δύσπνοια λαμβάνει—πόνεει μάλιστα τὸ μετάφρενον καὶ τοὺς βουβῶνας—rurſum Lib. 3. Sect. 21. τὸν νῶτον ὀδυνᾶται. ὡς πληγῆς καὶ στένει καὶ ἀναπνεῖ ἀθρόον—Ὀδύναι δὲ ὀξεῖαι διὰ τῆς ῥάχιος ἐς τὸ στῆθος καὶ εἰς τὸν βουβῶνα τείνουσι.

porrò

porrò *Oleum Lini recens,* ſive *Amygdalinum* cum *Elixire Aſthmatico* & *Diacodio,* poſt Venæ Sectionem admodùm juvare videtur, ad relaxanda nimirùm Vaſcula nimìs conſtricta, & ad Dolorem ſedandum—Quibus autem Pleuriticis, aut Peripneumonicis, Sputa copioſa, ſubflava, & modico Sanguine tincta ejiciuntur facilè, in Vado brevi ſunt, idque ſæpè intra perpaucos Dies—Horum ſanè vix aliquis perit—Non ità tamen ſi cruda, tenuia, ſpumoſa, aut merè ſanguinea, aut ſanioſa, aut atra, extuſſiuntur: Hi namque perpetuâ vexati Tuſſi parùm aut Nil levantur, tandemque vix undecim elapſis Diebus Morbo ſuccumbunt, vel purulenti fiunt & tabidi—Pedum Tumores aquoſi, Febricula ſub Noctem, Tuſſicula ſicca & Spiritus difficilis, hoc denunciant, quæ profectò jam poſt Febres pulmonarias, multò ſunt frequentiora ſolito.

Alia igitur atque alia in Morbis, nunc Vulgaribus, tractandis, datur Erroris Anſa; plures enim ab ipſo Febrium Initio profuſis Sudoribus corripiuntur, alii *Diarrhœâ* ſeroſâ prælargâ—crederes hæc forſan Morbi Solutionem—minimè verò; quid quòd, exhauſtâ liquidiore Sanguinis Parte, reſtant Humores magìs craſſi, confuſi, acres—Fateor me nuperrimè vidiſſe duas, treſve Febres *Meſentericas* (ut cum *Baglivio* loquar) per Alvi Fluxum judicatas, ſed erat ſub *Diaphragmate* Tenſio, Dolor, Gravitas; perperàm verò pro Peripneumonicis *epidemicis* habitæ fuerunt; atque in harum unâ curandâ mirabatur maximè *Chirurgo-Pharmacopœus* me Potionem *Catharticam* imperâſſe, omiſsâ Venæ Sectione; at id ego ſatìs feliciter.

Summâ porrò Opus eſt Cautelâ in *Pulmonariâ* quâdam nothâ medendâ, quæ jam etiam ſubindè occurrit; ità lento incedit Pede, ità parùm Doloris urget, dum maxima interim adeſt Oppreſſio, ut vix de Ægritudine querantur priuſquàm de Ægrotis actum eſt penitùs, quos ſervâſſent ex facili matura Auxilia, ſcilicèt *Epiſpaſtica* frequentia, lenis Alvi Ductio, & *Emetica* blanda, Diluentia inſuper idonea, ac Detergentia modica; hæc inter Serum Lactis *Sinapinum* primum fortaſſe obtinet Locum—Adjiciam verò & hoc obiter, quod perrarò Sanguis

guis in hoc Morbo, niſi Cucurbitulis ſcarificatis, atque ipſo Initio detrahatur commodè.

Nova Luna 9° MAIO. *Plena Luna* 23°.

Incipiente Menſe perpulchra & valdè calida Tempeſtas, pòſt autem frigidior, aliquâ cadente Pluviâ: ab undecimo ad decimum octavum ſudum rursùs & fervidum Cœlum, aſpirante Subſolano, maximæ interim Rorationes—indè verò Pluvia frequens ad Finem uſque, Africo flante à xxvi ad xxxi.

Pluvia 4. 5. 7. 12. 17. 19. 20. 21. 25. 27. 29. 30. 31. =

Dig. Dec.
1.760.

Fulgur ſine Tonitru 16. 17. Nocte—Fulgur & Tonitru 19 p. m. Fulgura ac Tonitrua ſæva 25 p. m.

☿ Altitud.	maxim.	5.	29,9.	N W b N 1.	media 29.4$\frac{25}{29}$.
———	minim.	31.	29,0.	S W 2.	
Dies frigid.		6.	43.	S E b E 2.	media 30$\frac{24}{29}$.
— fervid.		15.	19.	N N E 1.	

Variolæ epidemicæ, *Morbilli* plurimi — Febres aliquæ bilioſæ, valdè periculoſæ; fœdatur interdum Facies etiam in Peripneumonicis—*Dyſenteria* frequens, imò & aliquando cruenta, Pleuritides & Peripneumoniæ multæ adhuc, at jam benè inſtituta Sanguinis Miſſio, Sputaque ſubcruenta aut ſubflava brevì Morbum ſolvunt. Arthritides ſævæ, & pertinaces admodùm etiam hâc Tempeſtate — Plures à *Phthiſi* pulmonariâ pereunt.

Nova Luna 8° JUNIO. *Plena Luna* 22°.

Per Initia Menſis pluvioſa valdè & frigida Tempeſtas, ab octavo autem ad decimum quintum Apricitas, Cauro ſpirante aut Aquilone; indè ad Finem uſque horrida, ſqualida, frigida Tempeſtas, algido Libanoto ferè ſemper furente, qui *Atmoſphæram* fecit craſſam valdè & maximè humidam.

Pluvia

Pluvia $\overset{/}{1}$. 2. $\overset{//}{3}$. $\overset{//}{4}$. $\overset{//}{5}$. 6. 7. 16. $\overset{///}{18}$. 19. $\overset{//}{20}$. $\overset{//}{21}$. 24. 25. $\overset{/}{26}$.
Dig. Dec.
27. 28. 30 = 3.070.

Procella 4. 5. S W 4_x—25 Nocte S S W 4.

☿ Altitud. maxim. 11, 29,8. N 1. ⎫ media 29.5.
——— minim. 4. 28,8. S W 4_x. ⎭

Dies frigid. 7. 42. S W b W 2. ⎫ media $34\frac{8}{25}$.
— calid. 15. 26. Malacia. ⎭

Morbilli uſque valdè frequentes, ſed jam multò magìs eminentes ac puſtuloſi ſunt quàm ineunte Vere, nihilominùs tamen ſæviſſima Tuſſis, interdum Peripneumonia vehemens, hos etiam comitatur.

Variolæ quoquè plurimæ, eæ autem benignæ ſunt utplurimùm, utcunquè exitiales ſunt puſtuloſi *Morbilli*—Pleuritides & Peripneumoniæ paſsìm; *Dyſenteriæ* aliquæ. *Ophthalmiæ* & Lippitudines jam ſunt frequentes admodùm.

Nova Luna 7° JULIO. *Plena Luna* 21°.

Pluvius, algidus & triſtis fuit hic Menſis, *Decembrem* potiùs quàm *Julium* adeſſe crederes; venit plerumque ab Occidente Ventus, vergens ad Auſtrum, ſæpè nimboſus; Aër interim nebuloſus & maximè humidus—omnes Fructus crudi ſunt prorsùs & planè fatui—Myriades Limacum perreptant undiquè, vix autem volitat Papilio—Omnium Arborum Frondes Foliaque, Mare ſpectantia, nigra ſunt & velutì combuſta.

Pluvia $\overset{///}{1}$. 2. $\overset{///}{5}$. 6. 9. $\overset{//}{10}$. 14—16. $\overset{//}{18}$. 19. $\overset{//}{20}$. $\overset{/}{21}$. 22. 23—
Dig. Dec.
$\overset{/}{24}$. 25. $\overset{/}{26}$. 28. 29. 30. = 3.604.

Fulgur & Tonitru 5. p. m. plurima Fulgura 18 Nocte, levis Procella 18 Nocte S S E 4_x Dies æſtuoſi 15. 16. 17. 18.

☿ Altitud. maxima 8. 29,9. W 1. ⎫ media $29.5\frac{12}{29}$.
——— minima 19. 29,2. S W 3_x. ⎭

Dies frigid. 24. 38. W b S 3. ⎫ media $30\frac{18}{29}$.
— fervid. 17. 18. S 1. ⎭

Variolæ

Variolæ modò valdè *epidemicæ*, magiſque etiam funeſtæ; utpotè ſæpè confluentes, ſeſſiles & atræ, ſæpè crudæ, aquoſæ, diffluentes; dira interdum excitant in Faucibus Ulcera, & enormem Salivæ acris Fluxum.—Morbilli adhuc graſſantur.

Ophthalmiæ perplurimæ cum *Epiphorâ* maximâ atque acerrimâ, Dolor Dentium porrò plurimos torquet: in utriſque crebra *Catharſis* juvat magìs quàm Miſſio Sanguinis.—Gravis in Pulmones Diſtillatio plures infeſtat, undè haud pauci in *Phthiſin* pulmonariam incidunt.—Multi *Rheumatiſmi* & Pleuritides incipiente Menſe, necnon Peripneumoniæ aliquando cum *Petechiis*

Non ſolùm *Variolæ*, ſed & omnes penè Morbi, jam pejoris ſunt Indolis quàm regnante Vere—An ab algidâ udâque Tempeſtate Cutis Meatus occludente, ac perſpirantes Humores reprimente; undè ſeroſa genita eſt Colluvies, eòque forſan acrior, quò magìs Bilem Sanguinemque aduſſerat Fervor Solis immodicus durante *Maio:* qui porrò è Terrâ immenſam Vaporum Copiam excitavit, quam & *Junio* & *Julio* Menſe, ſub Formâ Pluviæ, ruentem vidimus?

Terribilis jam ſævit *Scorbutus* inter Nautas, præcipuè quos ſecum reduxit *Martin*, Claſſis occidentalis Præfectus; excruciantur perplurimi Ulceribus fœdis, lividis, ſordidis ac valdè fungoſis: mirum eſt profectò, & inſolitum, quàm brevi Tempore ſpongioſa Caro, Fungi ad inſtar, his Ulceribus ſuccreſcit, etſi paulò antè Scalpello deraſa, eaque interdum ad Magnitudinem enormem.—Non ſolùm miſeris his, at verè utilibus Hominibus, per ſe infenſa eſt maximè *Scorbutica* Lues, ſed & illos etiam omni penè Morbo, qui ab Humorum Corruptione pendet, obnoxios admodùm reddit; Febribus nempè putridis, malignis, *petechialibus*, peſſimo *Variolarum* Generi, *Dyſenteriæ* cruentæ, *Hæmorrhagiis*, &c.—multò magìs adeò bonis his fuit Exitio quàm bellicum Fulmen.

Nova Luna 5° AUGUSTO. *Plena Luna* 19°.

Favente tandem ter optimo Numine effulget Apricitas, exoptata diu; læta hinc Meſſis, optimæ Segetes. Ventus per Initia Septen-

trionalis, poſt undecimum deflexit ad Occidentem, at à viceſimo tertio ſpiravit rurſùs ab Arcto ad Finem uſque ferè: intervenit ſæpè Malacia, Libs raro, Aër verò frequenter nebuloſus & humidus: maximæ ſæpiſſimè Rorationes.

                  //   //   /   Dig. Dec.
Pluvia 8. 14. 15. 16. 18. 24. 25. 26. 30. 31 = 0.846.

Fulgur & Tonitru 24 primo Mane.

☿ Altitud. maxim. 28. 30,0. N N E 1. }
——— minim. 16. 29,5. S W 3_x. } media $29.7\frac{1}{2}$.

Dies frigid. 27. 36. N 1. }
— calid. 3. 24. N 1. } media $30\frac{13}{30}$.

Variolæ adhuc *epidemicæ*, quædam parvæ, atræ, malignæ, jam ſæpè cum enormi Alvi Fluxu ſubatro. *Ophthalmiæ* & Dentium Dolores acerbi uſque frequentes. Perpauci aliter Morbi.

Lætè jam tandem canunt Cicadæ, reviviſcunt demùm Papiliones. Nuces avellanæ copioſiſſimæ.

Nova Luna 4° SEPTEMBRI. *Plena Luna* 18°.

Atmoſphæra fuit admodùm humida, imò & interdum algida hoc Menſe; Libs ſæpè Initio, ſæpè Corus, medio Menſe Aquilò, qui paulò ſicciorem & frigidiorem fecit Aërem, adeò ut xiv & xxi gelaret.

    // / /   /   /   //
Pluvia 2. 4. 5. 7. 9. 10. 12. 15. 16. 18. 19. 22—23. 24.
/// / ///   Dig. Dec.
26. 27. 29. 30 = 3.178.

Procella 5. p. m. S W 4_x—29 p. m. S W b S 4.

☿ Altitud. maxim. 14. 30,1. N b E 1. }
——— minim. 29. 29,0. S W b S 4. } media $29.6\frac{6}{30}$.

Dies frigid. 21. 54 N b E 2. }
— tepid. 9. 33. W 2. } media $39\frac{21}{30}$.

Variolæ uſque graſſantur; *Ophthalmiæ* frequentes, utplurimùm humidæ.—Tumores Faucium, Capitis, Colli cum ſævo Dentium Dolore innumeros vexant; Diſtillationes ac Tuſſes plurimæ—Febres miliares

miliares compoſitæ, (nempè ubi cum Papulis ſubalbidis commiſceantur Puſtulæ rubræ) crebræ ſunt valdè apud *Totneſs*, & in auſtrali *Devoniâ.*

Nova Luna 3° Octobri. *Plena Luna* 18°.

Frigidus inſequitur *October* oriens nimirùm Boreas Die quarto, ad viceſimum tertium uſque duravit, ſi decimum nonum excipias; ſiccus hinc Aër, at frigidus utplurimùm, imò interdum Gelu haud leve; ſub Finem prævalebat Vulturnus.

Pluvia 1. 2. 19. 21. 23. 24. 25. 26. 28. Nix & Grando 22. Dig. Dec. = 2.238.

Procella 1. p. m. S W 4—23 ab Horâ 11. a. m. ad 4 p. m. S W 4, etſi Mane acre Gelu Ventuſque N E 1—26. a. m. S W 4. Circius vehemens 25. p. m. Fulgura 23 Nocte. *AB.* 7 N N E 1.

☿ Altitud. maxim. 6. 30,4. N E 1.
——— minim. 24. 28,8. S S W 3. } media $29.8\frac{10}{28}$.

Dies frigid. 23. 64. N E 1.
— tepid. 1. 42. S W 4. } media $51\frac{12}{28}$.

Variolæ adhuc *epidemicæ,* ſed paulò mitiores; Plures etiamnùm *Ophthalmiâ* vexantur; permulti acutiſſimo Dolore Dentium atque Aurium, cum Faucium ac Glandularum Colli Tumore: Tuſſes vehementiſſimæ paſsìm, imò haud pauci jam Morbis peripneumonicis & *rheumaticis* laborant.

Nova Luna 2° Novembri. *Plena Luna* 17°.

Ab ipſo Menſis Initio ad xviii aut Boreas flavit, aut Eurus, iſque ſæpè perfrigidus, Cœlum fuit intereà frequenter caliginoſum, decidente ſubindè Pluviâ; poſt xix interdum turbidus Auſter, Septentrio interdum.

Pluvia 1. 2. 8. 10. 11. 12. 13. 14. 18. 20. 21. 23. 24. 25. 26. 27. 29. 30. Nix & Grando 19. 22 = Dig. Dec. 3.306.

Procella 20 Nocte S 4—21 Mane S 4_x—22 Veſperi N W 4.
——— 30 p. m. S S E 4. Nebula denſiſſima 8 Malacia.

☿ Altitud. maxim. 4. 30,2. E N E 2_x.
——— minim. 21. 28,6. S S W 3^x. } media 29. $5\frac{26}{28}$.

Dies frigid. 7. 68. E N E 2_x.
— tepid. 21. 50. } media $58\frac{4}{28}$.

Variolæ nunc ſunt Moris plerumque benigni; Tuſſes *convulſivæ* ſæviſſimæ inter Pueros undiquè, plurimæ admodùm & vehementes etiam inter Adultos cum Tumore Capitis, Colli, Faucium, ſæpè & cum acerbo Dentium Dolore. *Ophthalmiæ* paſsìm, necnon Anginæ mucoſæ: Multi *Rheumatiſmo* pertinace atque Arthritide laborant.

Gignit plerumque gelidum humidumque Autumni Cœlum Colluviem ſeroſam, quæ nunc ad Caput Pectuſque ruit, nunc ad Artus, frequenter ad Inteſtina defluit, unde *Catarrhi*, Tuſſes, *Rheumatiſmi*, *Arthritis*, *Diarrhœa*, *Dyſenteriæ* tunc Temporis ita ſunt communes — Quòd ſi Æſtas fuerit calidior ſolito, ſubitoque excipitur Frigore, graviſſima ſæpè Mala incautis accidunt.

Nova Luna 1° *Plena* 16° DECEMBRI. *Nova Luna* 31°.

Pluit, quod ſolet, frequenter hoc Menſe, Aër verò fuit craſſiſſimus ac humidus maximè: Libs ferè perpetuus ad viceſimùm ſecundum, poſteà Vulturnus, aut Boreas frigidiſſimus ad Finem uſque. Denſitas *Atmoſphæræ Barometrum* ſuſtinuit ad altam ſatìs Stationem.

Pluvia $\overset{\prime}{1}$. $\overset{\prime\prime}{2}$. 3—5. 7—9. $\overset{\prime}{11}$. $\overset{\prime\prime}{12}$. $\overset{\prime}{13}$. 14—16. $\overset{\prime}{17}$. 19. 21. $\overset{\prime}{24}$. $\overset{\prime\prime\prime}{26}$. 27 = 2.780. Dig. Dec.

Gravis Procella 12 Veſperi S W b W 4^x. *AB*. 28. H. 7. p. m. E N E 2.

☿ Altitud. maxim. 22. 30,3. N N W 1.
——— minim. 12. 29,0. } media 29.7.$\frac{25}{31}$.

Dies frigid. 31. 76. N E b E 2.
— tepid. 5. 50. S W 2. } media $56\frac{13}{31}$.

Peri-

Peripneumoniæ paſsìm, *Ophthalmiæ* plurimæ, Tuſſes undiquè, eæque ſæviſſimæ, quibus tamen vexantur maximè Pueri, quos non raro Diſtentio etiam Nervorum corripit. Arthritis pertinax ac *Rheumatiſmus* multos cruciant.

Variolæ adhuc ſæviunt plurimùm, multòque magìs jam funeſtæ ſunt, confluentes quippè, crudæ, luridæ, aquoſæ; quædam diffluunt valdè ac nigreſcunt.—Per Salivæ Ductus & Alvi quærit plerumque Natura Morbi Exitum—Urina copioſa *hypoſtatica* nunquam non juvat —Lenia adeò *Eccoprotica* cum *Diureticis* ſemper ferè exhibeo declinante Febre: Morbo autem increſcente, ſeu potiùs ad Statum procedente, quæ Concoctionem Humorum promovent; qualia ſunt *Lap. Contrayerv. Myrrh. Moſch. Mithridat. Theriac. Andromach.* &c.— Nec verum tacere debeo eximias *Ficuum & Cicerum* Dotes ad *Variolas* maturandas, quas tanti fecerunt *Arabes*; apud quos ſanè prima *Variolarum* Hiſtoria—Imò & ipsâ Potione *Coffée* hunc ad Finem utor ſæpiſſimè feliciter.

Totius Pluviæ Quantitas, Anno MDCCXLVI, fuit = 31.990. (Dig. Dec.)

Plena Luna 15° JANUARIO. *Nova Luna* 29°.

Incipiente Anno aſperrimum Gelu Ventuſque borealis, poſt Diem quintum Vulturnus Pluviaque aliqua, mox Libs perpetuus, atque triſtis ac uda Tempeſtas: Aër maximè humidus, Sol ferè nullus, Pluviæ plùs ſatìs.

Pluvia $\overset{\prime}{5}$. 6. $\overset{\prime}{8}$. $\overset{\prime}{9}$. $\overset{\prime}{10}$. $\overset{\prime\prime}{11}$. $\overset{\prime}{13}$. $\overset{\prime}{14}$. $\overset{\prime}{15}$. $\overset{\prime\prime}{16}$. $\overset{\prime\prime}{18}$. $\overset{\prime\prime}{19}$. 20—$\overset{\prime\prime}{21}$. $\overset{\prime\prime\prime}{22}$. 23. $\overset{\prime\prime}{25}$. $\overset{\prime\prime}{26}$. 27. $\overset{\prime\prime}{28}$. 30. 31. Nix 5. Grando $\overset{\prime}{20}$ = 4.616. (Dig. Dec.)

Procella 15 Nocte S 4. Levis *AB*. 2. H. 10. p. m. E N E 2.

☿ Altitud. maxim. 1. 30,2. E N E 3ˣ.
——— minim. 16. 28,8. S S W 3ˣ. } media 29.4.

Dies frigid. 1. 78.
— tepid. 30. 50. S b E 3. } media 57.

Multi *Variolis*, plures Febre *catarrhali* laborant; Tuſſes innumeræ, ſæpè vehementes; *Rheumatiſmi* valdè frequentes, necnon Dentium

ſævi

ſævi Dolores cum Tumore Capitis, Colli, Fauciumque,—Tuſſis *convulſiva* peſſima inter Pueros graſſatur pluresque ſtrangulat; Sanguinem perſæpè expuunt, & haud levis interdum accedit Febris: His Sanguinem mittere neceſſe eſt prorsùs, imo aliquando bis, terve, etiam bimulis trimulisve; accurata deìn inſtituenda eſt *Diæta*, blanda porrò Ventriculi & Inteſtinorum Purgatio; quibus peractis Corticis Peruviani Decoctum cum Tuſſilagine & Balſamo Tolutano, uno alterove appoſito *Veſicatorio*, Morbum fugat; ſed commodum eſt omninò Reſpirationem expedire & *Anacatharſin* Solutione Gum. Ammoniac. in Expreſſione Milleped. ex Aq. Hyſſopi. Atqui profectò haud pauci exindè in *Rachitidem* incidunt—Scabies permultos inter Popellum atque Nautas infeſtat.

Plena Luna 14° FEBRUARIO. *Nova Luna* 28°.

Per Initia Menſis perflavit Notus, intercurrente ſubindè Coro; Pluvia autem quotidiè ad decimum quintum uſque, Aërque humidiſſimus: tunc Boreas ſiccus & gelidus valdè, ſub Finem Vulturnus velox, ac pluvioſus.

Pluvia $\overset{//}{1}$. $\overset{/}{2}$. $\overset{//}{3}$. 4. $\overset{/}{5}$. 6. $\overset{/}{7}$. $\overset{/}{8}$. 9. $\overset{/}{10}$. $\overset{/}{11}$. $\overset{/}{13}$. $\overset{//}{14}$. 15. 25. 26. 27. $\overset{//}{28}$. Nix 16. 17. = Dig. Dec. 2.888.

Procella 5. p. m. W S W 4—8 a. m. S S W 4—13 Nocte S W 4.

☿ Altitud. maxim. 23. 30,2. E N E 1ˣ. } media 29,6.
——— minim. 14. 29,0. S W 3.

Dies frigid. 18. 73. E N E 2. } media $58\frac{8}{28}$.
— tepid. 4. 50. S W b W 2ˣ.

Variolæ adhuc frequentes: Febres aliquæ putridæ, *nervoſæ*, lentæ: Graviſſimi paſsìm *Aſthmatis Paroxyſmi*, Tuſſis admodum ſævit. Pleuritide plures aut *Pleuroperipneumoniâ* corripiuntur, plurimi *Rheumatiſmo* cruciante: Scabies eſt perfrequens undiquè.

Colica quædam bilioſa jam plurimos torquet, acerbiſſimus Stomachi Dolor, ac perpetuæ Vomitiones urgent, nunc Alvus eſt citiſſima, nunc aſtricta maximè; ne vel *Catharticis* fortiſſimis cedens priuſquàm

Miſſione

Miſſione Sanguinis, Fotuque emolliente, ſolvitur nimia Inteſtinorum Strictura:—hæret ſæpiſſimè in imâ Parte dextri Hypochondrii acutiſſimus Dolor & pertinax admodùm, cujus Cauſa plerumque eſt à Stercoribus induratis ad Finem *Ilei* atque *Coli* Principium compactis vix utiquè lenitur niſi laxante Fomento, & *Clyſmate* frequente, quæ Fæces emolliunt: cave verò ne Fomenta ſint calida nimiùm.

Plena Luna 15° MARTIO. *Nova Luna* 29°.

Venit ab Oriente Ventus ab ipſo *Martii* Initio ad Diem vigeſimum tertium ferè, ad Septentrionem autem vergens plerumque: ſiccam hoc fecit *Atmoſphæram* & frigidam, imò & pulcherrimam ſæpè, Libs pòſt, ad Finem Aquilo.

Pluvia 1. $\overline{9}^{\prime}$. 10. $\overline{19}^{\prime\prime\prime}$. $\overline{23}^{\prime}$. 24. $\overline{25}^{\prime}$. $\overline{26}^{\prime\prime}$. 27. Nix 8. 9. Grando

Dig. Dec.
10. 20 = 1,700.

Procella 26 Noctu S W. 4_x. *AB*. 22. H. 9. p. m. N b E 1.
à 12_o ad 18^m ad Solis occaſum Nubes pulcherrimæ quotidiè.

☿ Altitud. maxim.	14.	30,4.	E N E 1.	media $29.7\frac{8}{28}$.
——— minim.	20.	28,9.	N b E 1^x.	
Dies frigid.	8.	66.	N N E 1^x.	media $58.\frac{10}{28}$.
— tepid.	30.	46.	N 1.	

Variolæ paſsìm; fœda Scabies ex undiquè: *Aſthma grave* multos vehementer premit, Tuſſis ſæviſſima plures.

Haud pauci *Apoplexiâ* *, vel *Hemiplegiâ*, correpti occidunt—Hoc ſæpè, notante *Cole de Apoplexiâ*, poſt diu durans Frigus accidit, cui ſuffragatur Experientia: An à denſato nimiùm Sanguine? an ab imminutâ *Perſpiratione*, retentis craſſioribus? an à magno *Atmoſphæræ* Pondere totum Corporis Habitum validè premente, undè plus ſatìs Sanguinis ad Cerebrum ruit, Calvariâ ſuſtinente Aëris Preſſuram? Tali Tempeſtate utiquè cavendum eſt Hominibus, Capite largo, Corpore quadrato, Collo breviore: parcè vivendum eſt, leniter purgandum: venienti occurrite Morbo.

* *Ramazzini* Apoplexias recenſet inter Morbos graſſantes per valdè frigidam & ſiccam Atmoſphæram. Vid. *Conſtitut. Epidem.* 1691, Sect. 3.

Pleuritides & Peripneumoniæ admodùm vulgares; Sanguis jam ferè ſemper denſus eſt valdè, ac tenace obductus Glutine; Tuſſis effera, Sputa tamen libera ſatìs & plerumque modico Sanguine tincta: ubi verò parùm aut nihil exantlatur peſſimum; nec melius multò ſi parva, rotunda, vel ſpumoſa tantùm. Quæ ex *Ficu, Melle. Oleo, Nitro, Spermate Ceti* experior perquàm commoda, Potionem porrò emollientem, liberalem, qualem præbet *Decoctum pectorale* dictum, aut *Serum Lactis Herbâ Taraxaco* imbutum, cui ineſt diſſolvendi Lentorem Sanguinis Vis maxima; præſertìm ſi incoquitur ſimul *Radicis Graminis* * plurimum & Eryngii—Si vis alia, præſtat *Hedera terreſtris, Tuſſilago, Adianthum, Helenium, Hyſſopus, Pulegium, Flos Papaveris erratici.*—Utilia hæc ſanè ſunt & contemnenda neutiquàm; Atavis utiquè Proaviſque noſtris Medicina indigena.—Sed enim hodiè Homunciones faſtidioſi Herbas ab Indis *Theam* ſcilicèt, *Sarſam, Chinam, Gingſeng,* & neſcio quid ultrà expetunt—Aſt abitote tandem vos Delicatuli nequioris *Ævi* peſſima Progenies.

Plena Luna 14° APRILI. *Nova Luna* 28°.

Hoc quoquè Menſe Ventus fuit plerumque orientalis, nunc ad Auſtrum, nunc ad Arctum flectens, Aër interim ſæpè tenuis ſatìs; à xiii autem ad xvii aut Libs, aut Auſter maximæque Nebulæ: Malacia xxii.

Pluvia 5. $\overset{/}{8}$. $\overset{////}{13}$. 14. 16. $\overset{//}{17}$. 18. $\overset{////}{23}$. $\overset{//}{24}$. $\overset{//}{26}$. 28 = 3.100. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 1. 30,2. E 1.
——— minim. 24. 29,2. E b N 1. } media 29.7$\frac{8}{30}$.

Dies frigid. 11. 55. N E b N 1x.
— tepid. 31. 36. S S E 1. } media 43$\frac{21}{36}$.

Paucæ nunc *Variolæ*; Pleuritis & Peripneumonia adhuc frequens admodùm, indèque quidam in Pulmonis Vomicam incidunt, undè facti ſunt tabidi: hoc his accidit præcipuè, qui parùm aut Nihil

* Vel ipſi Bubulci Vim Graminis detergentem noſcunt, obſervando enim Stercus bubulum notant Obſtructiones, & Cruſtas penè lapideas cum Stercore excretas, dum recentia Gramina carpunt Boves; qui in Stabulis detenti diu, languidi fuerunt admodùm & icterici prorsùs.

expuunt ante Diem quintum, aut ſeptimum *, dein cœnoſa, ſubdulcia, vel fœtida. Plurimæ Tuſſes vehementes *Aſthmaticæ*, plures *Phthiſici* pereunt.

Febris putrida lenta multum graſſatur diuque Ægrotis inhæret; Pectus atque Præcordia vel ab Initio valdè premuntur, adeſt Tuſſicula & Faucium Aſperitas, Vomitus frequens atque Capitis Dolor.

Plena Luna 13° MAIO. *Nova Luna* 28°.

Incipiente Menſe Ventus borealis, ab octavo ad viceſimum Diem Corus ſæpè, ſæpiùs Africus, indè Vulturnus ad xxiv, poſteà Corus rursùm: Aër fuit Initio perſiccus.

Pluvia 6. 10. 11. 12. 14. 15. 17. 19. 21. 22. 23. 25. 30. 31 = 2.108. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim.	7. 30,1.	N N E 1^x.	media $29.5\frac{18}{30}$.
——— minim.	22. 29,2.	S S E 2^x.	
Dies frigid.	1. 42.	E N E 1^x.	media $35\frac{14}{30}$.
— calid.	24. 28.	S S E 1.	

Principio Menſis Erucæ innumeræ, omnia devorantes, jam Pluviis demerſæ, perimuntur.

Febris lenta putrida adhuc dum haud paucos invadit. *Ophthalmiæ*, & *Rheumatiſmi* aliqui; Morbi *pulmonares* paſsìm : multi *Phthiſici*.

Plena Luna 11° JUNIO. *Nova Luna* 26°.

Humilis fuit *Barometri* Statio toto *Junio*, Pluvia multa, Aër humidus, Ventus prorsùs inconſtans, auſtrinus tamen prævaluit; interfuit Boreas à xvii ad xxii.

Pluvia 1. 3. 4. 5. 6. 9. 11. 14. 16. 24. 25. 26. 27. 28. 29. Grando 9 = 3.372. Dig. Dec.

Fulgur & Tonitru è longinquo 11 Noctu.

☿ Altitud. maxim.	21. 29,9.	NN E 1^x.	media $29.4\frac{21}{30}$.
——— minim.	25. 29,1.	S W b W 2.	
Dies frigid.	1. 42.	N 1.	media $32\frac{28}{30}$.
— calid.	12. 24.	S 1.	

* Vid. *De Aëre & Morbis Epidemicis*, Vol. I.

Febris pulmonaria jam non ita frequens eſt, Tuſſi autem & *Rheumatiſmo* plures vexantur; pluvioſa hæc & infauſta Tempeſtas nocet plurimùm Tabidis.

Febris putrida lenta * huc uſque multùm ſævit, atque haud paucis funeſta eſt—Dolet Initio Sinciput, Occiput, Dorſum, mox Præcordia; adeſtque fœdus & amarus in Ore Sapor, Nauſea, Vomitio, Lingua valdè ſqualida, tandemque nigra eſt prorsùs, accedit porrò ſæpè Singultus; Statu Morbi, Die ſexto, vel ſeptimo putà, ferè ſemper delirant, paulòque pòſt interdum veternoſi ſuccumbunt: raro abſunt Tremores & Tendinum Subſultus—Urina nunc craſſa, parca, rubra, vel ſubnigra eſt, nunc cruda valdè & aquoſa: ſæpè flaveſcit Cutis, ſæpius Oculi Album—tumet admodùm aliquando & indureſcit Abdomen; hoc in Caſu, ſive Arte, ſive Sponte fluit Alvus Ægrotantibus Levamento eſt; bilioſa namque multa & interdum atra prorsùs dejiciuntur—hòc verò his præcipuè acceſſit, quibus per Initia nullum exhibitum fuit *Emeticum*, quod certiſſimè hæc Febris deſiderat—quid quòd poſt Vomitum plerumque erumpit Sudor largus, æqualis, ingens cum Puſtulis Prurigo, recedente utplurimùm Morbo; idque maximè ſi liberè deſcendit Venter, paulòque pòſt turbida, multa, fulva, ſubſidens Urina. Profectò hanc Febrem abigit interdum Sudor, interdum Alvi Fluxus: utrum poſcit, his Notis utor; ſi Pruritus urget & in Cute quaſi Morſus, potiſſimùm ſi Papulæ apparent, moderatis *Diaphoreticis* pugno; ſi Ructus, ſi Flatus, ſi Abdominis Tumor, leni *Cathartico.*—*Pulv. Contrayerv. C. Julep. Camphorat.* cum *Aceto*, *Theriacæ Andromach.* pauxillum ad Sudores eliciendos conferunt; ad Alvum movendam *Rhabarbar. Mann. Sal. Mirab. Glauber. Crem. Tart.*—Omnia ex *Aloe* nocent—intereà verò ſive per Alvum, ſive per Cutim, moveo, multam diluentem demulcentem Potionem præcipio, cui admiſceo inſuper ad Urinam ciendam aliquid, *Sp. Nitri* dulc. ſcilicet, *Sal. Succin. Nitrum*, &c.—vix ſanè certius Signum Salutis

* Rectiùs hanc Febrem dixerim bilioſam, ſeu meſentericam; nam etſi diu admodùm plerumque trahit Ægrotantes, Bilis acris & abundantis valdè prodit Indicia.

occurrit

occurrit quàm plurima, lutea, *hypoſtatica* Urina, Die nempe undecimo, aut decimo quarto.

Plena Luna 10° JULIO. *Nova Luna* 26°.

Die *Julii* quinto ceſsêre Pluviæ, multòque lætior ſucceſſit Tempeſtas, & Sol fervidus valdè, flante Coro primùm, deìn Euro, mox Boreâ intercurrente, etiam ſubindè Malacia: Sub Finem Ventus aquilonius dominabat.

Dig. Dec.
Pluvia 1. 2. 3. 5. 16. 28. 29. = 1.142.

☿ Altitud. maxim. 21. 29,9. E N E 2x.
——— minim. 3. 29,2. S W 3. } media 29.6 22/31.

Dies frigid. 4. 34. W N W 2x.
— fervid. 18. 13. E N E 1. } media 24.

Febres aliquæ putridæ lentæque adhuc: quædam Peripneumoniæ, præcipuè nothæ; *Rheumatiſmi* paſsìm & *Ophthalmiæ*, humidæ plurimæ—Ex quo autem pulchra calidaque Tempeſtas eluxit, pauciſſimi, ut ſolet, apparent Morbi hoc Anni Tempore, modò nempe Cœlum ſit apricum *.

Plena Luna 9° AUGUSTO. *Nova Luna* 24°.

Parùm elata fuit *Barometri* Statio hoc Menſe, *Atmoſphæra* autem perſicca & fervida maximè; afflavit Eurus ſæpiſſimè, Boreas frequenter, Corus ſæpè, Libs rariſſimè.

Dig. Dec.
Pluvia 2. 3. 15. 16. 17. 25. 28 = 0.564.

Maximæ Rorationes creberrimè: Fulgur & Tonitru è longinquo 25.

Infinitæ Muſcæ, Veſpæ, & Papiliones omnigeni, Erucarum Vis immenſa, Cicadæ undiquè lætiſſimè garriunt. Omnes Rivuli & omnes ferè Putei areſcunt ob Æſtum enormem.

☿ Altitud. maxim. 30. 29,9. N N E 1.
——— minim. 15. 29,2. W b S 2. } media 29.6.

Dies frigid. 16. 30. N W 2.
— fervid. 23. 12. N N E 1. } media 21 15/31.

* *Hippocr.* Aphoriſm 15. Sect. 3.

Pauci jam Morbi, plures attamen *Diarrhœâ* corripiuntur, imò & ſæpè valdè profusâ: perplurimos *Ophthalmia* aut Lippitudo vexat. Ex Ore aliqui, quidam ex Naribus, plures ab *Hæmorrhoidalibus* Venis fundunt Sanguinem: Mulieres largiſſimè Menſtrua profundunt: totum hoc à rarefacto admodùm Sanguine.

Plena Luna 7°. SEPTEMBRI. *Nova Luna* 23°.

Per hunc Menſem Ventus fuit plerumque ab Occidente, nunc ad Auſtrum, nunc ad Septentrionem tendens: Aquilo etiam aliquando intervenit: Aër ſæpè ſiccus & tenuis, ſæpè autem nebuloſus; Initio quidem calidus.

Pluvia $\overset{''}{5}$. $\overset{'}{6}$. 7. 10. 12. $\overset{'}{14}$. $\overset{'''}{15}$. $\overset{'}{16}$. $\overset{'}{17}$. 20. $\overset{''}{21}$. $\overset{''}{25}$. $\overset{''}{27}$. 28.
Dig. Dec.
30 = 2.516.

Immenſæ ſæpè Rorationes, imò interdum Pruinæ.

☿ Altitud. maxim.	24.	30,1.	N b E 1.	} media $29.5\frac{6}{28}$.	
——— minim.	16.	29;0.	W 1ˣ.		
Dies frigid.	19.	46.	N N W 1ˣ.	} media $38\frac{9}{28}$.	
— calid.	4.	24.	Malacia.		

Febris putrida lenta paſsìm, cui jam accedit frequenter Icterus, & magnus Virium Languor, interdùm Tumor Abdominis atque Pedum. Alvus torminoſa perplurimos ubiquè infeſtat, Cholera ſæviſſima multos, plures autem *Dyſenteria* mucoſa ac bilioſa, imò & aliquandò cruenta, Febre haud rarò comitante; ſub Finem crebrò erumpunt Puſtulæ mordentes per univerſum fere Corpus.—Adeò penè in omnibus dominari videtur acris & bilioſa Colluvies, quæ plerumque per Alvum fæliciſſimè dejicitur: perpaucis nunc profectò Alvi Fluxus Exitio eſt, quanquam ſæpè diu admodùm durat, modò diluitur probè & temperatur Acrimonia, atque blandè deìn expurgatur Saburra Inteſtinorum. Atqui alibi, præcipuè apud *Briſtolienſes* & *Bathonienſes*, multò magìs fuit funeſta *Dyſenteria*.

Poſt

Poſt fervidam Æſtatem conſtanter ferè ſequuntur Choleræ, *Dyſenteriæ*, Alvi Fluxus; perdurante enim longo ac intenſo Solis Ardore torretur Sanguis, exaltatur Bilis *, magìs acres fiunt indies Animalium Sales (ipſum Viperæ Virus longè longèque magìs veneficum eſt per Calores æſtivos, quàm dum omnia torpent Hyeme frigidâ.) Quandoquidem verò huic ſuccedit frigidus humiduſque Autumnus, conſtipatâ Cute, ad interiora ruunt acres Humores, multos ideò gignit atque varios Morbos; quos inter ſuprà deſcriptos—cave igitur ne præpoſterè ſiſtas eorum Exitum per Vias Cuti vicarias; maximus nempè Conſenſus Cutim inter & Inteſtina datur certiſſimè.

Monſtrat aliquatenùs ideò, quod dixi ſuprà, Viam, quâ in Morbis autumnalibus curandis incedendum eſt: vernæ quippè Febres plus Sanguinis Miſſionem poſcunt, autumnales verò magìs leni *Catharſi* levantur—Magnus profectò ac diuturnus Æſtatis Calor non tantùm Vim Fibrarum enervat, ſed & Sanguinis Compagem laxat nimìs, Sales autem reddit acriores atque Olea animalia rancida: Verbo, Vaſa facit debilia, Humores acres, Bilem abundantem & corruptam—adeòque magnus Medicinæ Parens dixit τοῦ δὲ Θέρεος—ἡ χολὴ ἀείρεται ἐν τῷ Σώματι, ſubjungit ἡ δὲ χολὴ τὴν Θερίην κατέχει τὸ Σῶμα καὶ τὸ Φθινόπωρον, & paulò infrà ἡ δὲ μέλαινα χολὴ τοῦ φθινοπώρου πλείςη τὲ καὶ ἰσχυροτάτη ἐςίν, Lib. de Natur. Homin. Sect. 14. Edit. *Lindeni*. Ubi verò acris & bilioſa Colluvies exundat, aut per Vomitum, aut per Alvum, rectiſſimè expurganda eſt; nam hujus præcipua Sedes eſt in primis Viis, Viſceribus Abdominis, ac Vaſis *meſeraicis*. Fateor equidem quòd & tota Sanguinis Maſſa hâc quoquè ſcatet ſæpiſſimè, ſed ne ſic quidem indicatur Venæ Sectio, quæ nimiam Sanguinis Quantitatem utiquè minuere poteſt, Acrimoniam ejus corrigere non poteſt: Quod cum ita ſit, detrahendo cum Sanguine Vires, non Acrimoniam, officit. Ideòque *Hippocrates* † Intereſque Medici, ubi Bilis abundat, Acrimonia ſcilicet bilioſa, Sanguinis Miſſionem prohibent: nec video Ego

* Ideò *Hippocrat.* τὸ Θέρος χολοποιὸν vocat, Lib. de Humorib. Sect. 8. Edit. *Linden.*

† Lib. de Humoribus, ad Finem.

utiquè

utiquè cui Bono, hoc in Caſu mittitur, niſi adſit *Plethora* aut Inflammatio vehemens: turpiſſimos ſanè Errores atque immedicabiles hâc in Re vidi; imò & plus Vice ſimplice perdolui.

Plena Luna 7° Octobri. *Nova Luna* 22°.

Altam tenuit Stationem *Barometer* toto fere *Octobri*, flante ſæpiſſimè Boreâ, vel Coro; Libs tamen interdum, nonnunquam Euronotus ſpiravit; *Atmoſphæra* fuit multò humidior, at plerumque ſatìs tepida.

Pluvia 1—3. $\overset{//}{4}$. 10. 14. 16. $\overset{/}{26}$. $\overset{//}{27}$. 28. 29. $\overset{//}{31}$ = Dig. Dec. 1.596.
Levis Procella 4. S W 4_x—31. p. m. S. W 4_x Maximæ Pruinæ medio Menſe.

☿ Altitud. maxim.	6. 30,3. E N E 1.	} media 29.9$\frac{17}{30}$.	
——— minim.	29. 29,5. S W b W 3.		
Dies frigid.	20. 54. E N E 1.	} media 46$\frac{4}{30}$.	
— tepid.	1. 38. W S W 1.		

Rheumatiſmus paſsìm; Febres putridæ frequentes, quibus haud rarò, ſub Finem, accedit Icterus—Coryzæ atque Dentium Dolores multos vexant, Tuſſes ſævæ plures—Alvi Fluxus creber adhuc, *Dyſenteria* tamen rarior—*Variolæ* jam derepentè factæ ſunt *epidemicæ*, eæque quidem malè moratæ & ſæpè lethales; quippè quæ parvæ & nigræ, aut crudo prorsùs diffluentes *Ichore* ad Finem uſque; ſæpè cum ipſis *Variolis* erumpunt *Petechiæ*, quod peſſimum: Interdum Cutis ſub Veſiculis aquoſis *Necroſi* afficitur.

Plena Luna 6° Novembri. *Nova Luna* 21°.

Denſa fuit admodùm ac humida *Atmoſphæra* hoc Menſe, quæ *Mercurium baroſcopicum* in alto ſuſtinuit Loco, etſi multò rarior erat ab Oriente Ventus quam *Octobri* elapſo: Corus quidem aderat ſæpè, ſed & Libs haud rarò—Ad ipſum Finem, gravis ab Auſtro Procella *Barometrum* deturbat maximè.

Pluvia $\overset{/}{1}$. 9—11. $\overset{/}{15}$. $\overset{///}{16}$. 17. 18. $\overset{/}{20}$. 22. 23. 24. 27. $\overset{///}{29}$. $\overset{/}{30}$. Grando 16 = Dig. Dec. 2.078.

Procella 16 Nocte—20 p. m. S W 4—29. p. m. S S W 4^x.
Magna *AB*. 21. H. 9. p. m. N W 1^x.

☿ Altitud. maxim. 4. 30,3. N 1. } media 29.9.
——— minim. 30. 28,6. S W 3. }

Dies frigid. 25. 62. N b E 1. } media $50\frac{6}{28}$.
— tepid. 10. 42. S W b W 2_x. }

Variolæ adhuc *epidemicæ*, ſed jam majore ex Parte paulò mitiores, ſæpiſſimè tamen Fluxus Salivæ prælargus profluit, etiam in Diſtinctis. *Diarrhœa* ſeroſa plures adhuc exercet—*Catarrhi* & *Rheumatiſmi* plurimi, necnon Tuſſes acerbæ—Morbi Pulmonum acuti haud pauci.

Plena Luna 5° Decembri. *Nova Luna* 20°.

En tandem corruunt Vapores, per *Atmoſphæram* congeſti diu, delabente plurimùm *Baroſcopio*: per Initia Menſis Vulturnus perflavit, deìn Libs furens, intercurrentè ſubindè Cauro.—Duravit pluvioſa hæc & miſera Tempeſtas ad xxi uſque; tunc venit ab Oriente Ventus, qui ad Septentrionem vergens rigidam valdè Brumam intulit, & *Barometrum* erexit maximè.

Pluvia $\overset{///}{1.}$ $\overset{//}{3.}$ $\overset{/}{4.}$ $\overset{///}{5.}$ 7. 8. $\overset{///}{9.}$ $\overset{//}{10.}$ $\overset{////}{11.}$ $\overset{//}{12.}$ $\overset{//}{13.}$ $\overset{//}{14.}$ $\overset{/}{15.}$ $\overset{///}{17.}$ $\overset{/}{18.}$ $\overset{/}{19.}$ 20. 24. Nix 2 = 6.566. Dig. Dec.

Maxima Diluvia medio Menſe. *Atmoſphæra* fuit denſiſſima & longè humidiſſima ante xxiv: Craſſiſſimæ & valdè fœtidæ Nebulæ à xx ad xxii.

Procella 2. E S E 4_x—9 Nocte S W 4—10 S W 4—11 Veſperi & Nocte S W 4^x—14 W S W 4. Ampliſſimus Halo circa Lunam 3. Maxima lucida, ignea, punicea *AB* 6. H. 8. N E 1^x.

☿ Altitud. maxim. 31. 30,5. N E 2^x. } media $29.4\frac{9}{30}$.
——— minim. 11. 28,4. S W 4^x. }

Dies frigid. 31. 73. N E 2^x. } media $56\frac{29}{30}$.
— tepid. 5. 46. Malacia. }

Variolæ jam ſunt magìs benignæ, licèt adhuc *epidemicæ*; atqui etiam in Diſtinctis profuſus eſt admodùm Salivæ Curſus; porrò frequenter

quenter etiam Maculæ quædam rubræ ſed Coloris vividi, erumpentibus *Variolis* interſunt, quæ brevì plerumque vaneſcunt.

Pleuritides & Peripneumoniæ haud raræ, ſæpè nothæ; Tuſſes & *Catarrhi* plurimi: Alvi Fluxus uſque creberrimus—Vides ſanè, in omnibus ferè Morbis, Colluviem ſeroſam adhuc dominantem.

Tota Pluvia Anno MDCCXLVII = 32.246. (Dig. Dec.)

Plena Luna 4° JANUARIO. *Nova Luna* 19°.

Præalta fuit hoc Menſe *Barometri* Statio, Ventus utplurimùm ab Oriente, multùm per Initia flectens ad Septentrionem; à xix autem plerumque ad Auſtrum, Aër ſæpè craſſus erat, interdum nebuloſus, ſemper, frigidus.—Gelu valdè rigidum ineunte Anno.

Pluvia 5. 8. 9. 11. 14. 15. 17. 21′. 23″. 26′. 27″. 28′. 30′. Nix 7. = 718.

Levis *AB*. 22. H. 9. p. m. N N W 1. Procella 27 Nocte S E b S 4ₓ.

Nebula denſiſſima, ac fœtida admodùm, diu durans 31.

☿ Altitud. maxim.	1.	30,5.	E N E 2.	media 29,9⅓.
——— minim.	28.	29,3.	S E b S 3ˣ.	
Dies frigid.	2.	74.	E N E 2.	media 62.
— tepid.	30.	53.	S S E 2.	

Ut ſolet ferè ſemper, ſic quoquè nunc, Tuſſes movet Boreas & Laterum Dolores; * idque ſanè jam vehementer, Pleuritides nempè, Peripneumoniæ, atque Tuſſes graviſſimæ, modò ſunt valdè frequentes: multos porrò premit Aſthma ſæviſſimum & contumax; parcè nimìs plerumque in his Morbis expuitur, quanquam Diſtillationes profuſæ, Coryzæ †, Anginæ mucoſæ, Raucedines atque Faucium Tumores perplurimos vexant; craſſo nimirùm ac perfrigido Aëre Cutis Meatus occludente, undè ſeroſa Colluvies accumulatur. *Rheumatiſmi* plurimi.—*Variolæ* undiquè jam *epidemicæ*, nec profectò ita clementes.

* Vid. *Eſſay on Fevers.* † *Celſ.* Lib. 4. C. 4.

Plena

Plena Luna 3° FEBRUARIO. *Nova Luna* 17°.

Perfrigida jam regnat Tempeſtas & ſicca valdè, Boreâ ſæpiſſimè perflante, hinc Gelu aſperrimum, & tenuis admodùm Aër, at Pluviæ parùm; Nix autem & Grando nonnunquam: *Baroſcopium* plerumque ſublime.

Dig. Dec.

Pluvia 21. $\overline{23}^{\prime\prime}$. $\overline{28}^{\prime}$. Nix 16. 24. Grando 21. 29. = 0.598.

Acre Gelu 12. 15. 16. 19. 25. 26. Denſiſſimæ fœtidæ Nebulæ 9. 10. 12.

☿ Altitud.	maxim.	9.	30,3.	N E 1.	media $29.8\frac{17}{28}$.
———	minim.	23.	29,2.	S W 2.	
Dies frigid.		16.	77.	N E b E 2[x].	media $64\frac{12}{28}$.
— tepid.		29.	58.	W N W 2.	

Variolæ longè latèque ſunt *epidemicæ*, paſsìm funeſtæ, parvæ, atræ; jam nunc *Salivatio* eſt parcior debito, ut ut nuperis Menſibus perfuſa nimìs.—Febriculæ *Catarrhales* valdè frequentes, necnon Tuſſes ſæviſſimæ; graviſſimi Aſthmatis *Paroxyſmi* & diu gravantes—Tempeſtas eſt exitialis admodùm Pulmonariis, moriuntur plurimi. Pleuritides & Peripneumoniæ perplurimæ, craſſa perquam ac glutinoſa ſunt Sputamina ſæpè, interdum tenuia valdè, horum neutra facilè ejiciuntur, licèt Tuſſis plùs ſatìs urget; imò rupto nonnunquam Pulmone purus putus Sanguis expuitur. Utcunque viſcida nunc ſunt in Peripneumonicis Sputa, Cruorem extractum multò minùs tenacem ſæpè ſæpiùs notavi.—Poſt Pleuritides aliquando maximè pertinaces Laterum Dolores cruciant, qui multò meliùs Emplaſtris *Anodynis* aut *Epiſpaſticis* cedunt quàm Sanguinis Miſſioni, quantumcunque fuerat neceſſaria Morbi Initio. *Odontalgiæ* acerbiſſimæ & *Rheumatiſmi* permultos laceſſunt.

Plena Luna 4° MARTIO. *Nova Luna* 18°.

Algida Tempeſtas toto ferè *Martio*, Pluviæ abundantes, Procellæ interdum: Medio Menſe autem Gelu, Nix, Grando, Ventus aquilonius, Aër ſiccus valdè & frigidus; ſub Finem verò erat multò tepidior, ac humidior longè.

Pluvia 2. 3. 4. 6. 7. 8. 10. 11. 21. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 31. Grando 8. 12. 15. Nix 12. 13. 14. 18 = 4.280. Dig. Dec.

Procella 2. Nocte W S W 4_x—25 a. m. S. W 4——27 à primo Mane ad H. 10. a. m. S W b W 4.

☿ Altitud. maxim. 20. 30,1. N E 1.
——— minim. 27. 29,0. S W b W 4. } media 29.7.

Dies frigid. 15. 73. E N E 2^x.
— tepid. 29. 50. W S W 2. } media $58\frac{22}{29}$.

Variolæ adhuc, ſed multò pauciores, & minùs periculoſæ: Pleuritides & Peripneumoniæ frequentes; jam faciliùs expuitur, ſæpè coctum, & aliquo Sanguine tinctum, ſæpè tamen perliquidum & acre. Tuſſes innumeræ & plerumque vehementes; Labe ideò Pulmonum affectis Tempeſtas eſt infenſa maximè, & haud rarò funeſta: graviſſimi Aſthmatis *Paroxyſmi*—*Rheumatiſmi* multi—Haud pauci *Apoplexiâ* & *Paralyſi* perculſi ſunt; quod quidem per frigidas valdè Tempeſtates accidit frequenter *: notavit etiam magnus *Hippocrates Paraplegias* fuiſſe *epidemicas* aſperâ durante Hyeme †, Lib. 1. epidem. Conſtit. 3. quod quoquè memoravit *Cole* in Lib. de Apoplexiâ.

Plena Luna 2° Aprili. *Nova Luna* 16°.

Ad decimum nonum *Aprilis* frigida fuit Atmoſphæra, flante utplurimùm Vento Orientem inter & Arctum; Gelu interdum, aliquando Nix; poſt viceſimum Libs prævalebat ſubſidente Baroſcopio.

Pluvia 1. 7. 10. 12. 17. 19. 20. 25. 26. 27. 28. 29. 30. Dig. Dec.
Nix 1. 11. 15 = 3.080.

Haud leve Gelu 18, maximæ ſæpè hoc Menſe Pruinæ; Nix ſuper Montes permanſit ad xxiv uſque.

Levis Procella 11 Nocte E b S 4_x.—quàm maximus Halo ſubluteus, at vividus, circa Lunam 22. H. 10. S W 2.

* Vid. quæ ſupra dixi Menſe *Martio*, 1747. † Sic deſcribitur χειμὼν βόρειος, αὐχμοὶ, ψυχρὰ πνεύματα, μεγάλαι χιόνες, περὶ δὲ ἰσημερίην χειμῶνες μέγιστοι.—παραπληγίαι πολλοῖσιν ἐγίνοντο, καὶ τίνες αὐτέων ἐθνήσκον διὰ ταχέων.

☿ Altitud.

☿ Altitud. maxim.	9.	30,2.	N 1.	media 29.5.$\frac{27}{39}$.
——— minim.	28.	29,0.	S W 3.	
Dies frigid.	3.	64.	E b N 1.	media 50$\frac{18}{30}$.
— tepid.	26.	40.	S W b S 2.	

Perpaucæ jam *Variolæ*, at Morbi adhuc Pectoris acuti frequentes, Sputa tamen largiſſima nunc ex facili prodeunt maximo cum Levamine. Tuſſes humidæ innumeræ, ac ſæpè vehementes: Tabidi plurimi occidunt, Sævitiâ Tuſſis, Alvi Fluxu, aut Sudoribus, penitùs confecti.—Febres aliquæ putridæ, necnon intermittentes, ſed Rure potiſſimùm. Multi *Rheumatiſmo* cruciante diutiſſimè torquentur; vix utiquè ſine magno Sanguinis Diſpendio levantur, qui profectò haud parùm eſt viſcidus.—Haud rarò etiam ipſa Venæ Sectio ter, quaterve, repetita incaſsùm tentatur, nec cedunt Dolores acerbi niſi *Deobſtruentibus, Diaphoreticis, Purgantibus,* & *Anodynis,* tandemque aliquando fugantur ſolùm Balneo frigido.

Cæterùm hic annotabo obiter, quòd dum ab acri & ſeroſâ Colluvie pendeat *Rheumatiſmus,* multò magìs obeſt, quàm prodeſt, larga Sanguinis Detractio; id ipſum notante *Sydenhamo:* * in hoc etenim Caſu certè, quæ blandè Sudores movent, quæ acres edulcorant Humores, eoſque expurgant commodè, interpoſitò ſubindè papavereo Doloris Lenimine, longè feliciores edunt Effectus—Uſus ſum profectò ſequentibus, multos per Annos ſatìs feliciter.

Tertiâ, vel quartâ, quâque Nocte *Calomelan.* Grana aliquot cum *Pilul. Mathæi,* ſeu *Saponaceis* exhibeo, Mane autem proximo *Cathartica* leniora, omnia deìn ſub Noctem compeſco *Anodynis*—eſt & etiam ubi per Initia Morbi Vomitus excitò.

Diebus attamen intermediis ſuadeo ſequentia, aut his ſimilia ℞ Pulp. Prunor. dulc. Æthiop. miner. āā ℥vi Gum. Guiac. ℥ii Cremor. Tartari. Nuc. Myriſtic. Pulv. à ℥iii Syrup. Croci. q. ſ. m. f. Elect. Cujus cap. Q. N. Moſchat. ſeu Juglandis, bis ſaltem de Die cum Hauſtu largiore Aq. Calcis, in quâ raſum Lignum *Guiacum* & *Saſſafras* ſint infuſâ; cui adjicio inſuper *Aq. Abſinth. C.* aliquid cum *Elix. paregoric.* & *Eſſent. Antimon.* āā ℨſs, vel ℨi—(*Aquam Calcis* verò præpara-

* Epiſtol. I. reſponſiora ad D^rem *Brady.*

tam eſſe vellem *Teſtis Oſtrear.* aut *Cochlear.* probè *calcinat.)* nam & magìs dulcem hanc & magìs efficacem judico—Victu interim ex mediâ Materiâ utendum eſt, pro Potu autem Sero Lactis tenuiſſimo Sinapi imbuto, infuſo Lign. *Saſſafr.* ex Aq. bulliente, Aquis demùm *Pyrmontanis, Spadanis,* aut *Scarburienſ.*—Locis atqui pertinaciter dolentibus idonea admoveo Fomenta, mox deìn *Veſicatoria.*

Sed quid ego hæc tanto Molimine cum quilibet *Medicaſter* triobolaris verboſis Populo Strophis * *Antirheumatica* venditet fallere neſcia?

Plena Luna 2°
Nova Luna 16° MAIO. *Plena Luna* 31°.

Ineunte & exeunte hoc Menſe Pluvia haud parca, Ventus auſtralis, Aërque craſſus, medio autem tenuis valdè: per totum equidem blanda fuit ſatìs Tempeſtas: maximæ interdum Rorationes.

Dig. Dec.
Pluvia $\overset{/}{2}$. $\overset{///}{4}$. $\overset{/}{5}$. 6. 7. $\overset{//}{10}$. 11. 22. 25. $\overset{/}{26}$. $\overset{//}{28}$. $\overset{//}{29}$. 31 = 2.250.

☿ Altitud. maxim.	14.	30,2.	N 1.	media 29, $6\frac{2}{3}$.
——— minim.	2.	29,2.	S S W 2.	
Dies frigid.	8.	44.	W N W 2.	media $35\frac{26}{30}$.
— calid.	20.	28.	N 1^x.	

Variolæ paſsìm; Pleuritis & Peripneumonia frequens, *Rheumatiſmi* levi cum Febre, at ſævo admodùm Dolore plures diſcruciant: non ſolùm ipſo Initio Venæ Sectionem poſcunt largiorem, ſed & multa porrò pòſt *Diluentia Cathartica antiphlogiſtica,* necnon *Anodyna* liberalia, inter quæ commodiſſimum eſt *Elixir paregoricum;* quod & ſalubres movet Sudores, lenitque Dolorem, ex Sero Lactis tenuiſſimo datum: inſervit hoc Serum inſuper utiliſſimè pro Potu communi; diuque hauſtum, ac copiosè, ipſum tandem ſolvit Morbum, præcipuè ſi *Nitri* aliquid ſit adjectum—Opportuna ſanè, & repetita, Sanguinis Miſſio æquè *Rheumatiſmo* calido, in junioribus & robuſtis, medetur, ac ipſi Pleuritidi.

Febres putridæ paſsìm, vix jam video Intermittentem. Tuſſes plurimæ, & Coryzæ acres admodùm cum Tumore Faucium, Labio-

* Quorum Stultitia Quæſtus Impudentiæ eſt. *Phædr.* L. 1. Fab. 14.

rum,

rum, Oculorum, &c; adeò ſalſus diſtillat Humor, qui non tantùm vellicat, ſed etiam, ſit Venia Verbo, *veſicat* Nares, atque in Pulmonem irruens ſæviſſimam excitat Tuſſim, ipſamque *Tracheæ* Membranam erodit: multi hinc *Phthiſici* certè ad Plures abeunt.

Nova Luna 14° Junio. *Plena Luna* 29°.

Incipiente *Junio* Aër valdè craſſus, frigidus, & humidus; poſt Diem decimum ſeptimum verò fervida admodùm & ſuda Tempeſtas.

Dig. Dec.
Pluvia 1. 2. 4—6. 8. 10. 12. 14. 15. 29. = 1.102.
Dies fervidiſſim. 20. 21. 22. 24. 26. 27.

☿ Altitud. maxim. 17. 29,9. N N W 1. } media $29.6\frac{26}{29}$.
——— minim. 29. 29,3. S b E 2. }

Dies frigid. 4. 40. W N W 2. } media $28\frac{20}{29}$.
— fervid. 27. 15. S b E 2. }

Variolæ ſparſæ; aliquæ putridæ & lentæ Febres. Tabes pulmonaria ubiquè frequens eſt, haud pauci pereunt—Vox rauca, Tuſſis clangoſa, Sputa viridia cœnoſa, purulenta, graveolentia, Dorſi Dolor, ac Debilitas, Sudores profuſi, atque Alvi Fluxus, ſubindè ſe excipientes, accedente Crurum Pedumque Tumore, cum ingrato quodam in Pectore Sibilo, & Spiritu difficili, haud dubia fuere imminentis Lethi Præſagia; ruptâ interdum in Pulmone Vomicâ.

Salubris Aura Ruris, Equitatio quotidiana, benè curata è Lacte Diæta, & Potio lenis demulcens, *Emulſio* ſcilicet *Amygdalina* ex *Decocto Rad. Eryng. condit.* & id Genus alia, multò magìs tabidis his proficere videntur, quàm operoſa Medicamentorum Farrago, quæ ſemper imbecillo Stomacho nocet; *Opiatis* autem idoneis compeſcenda eſt ſubindè Tuſſis Vehementia, ſiſtenda porrò eſt Alvus, ſi cita nimìs, reprimendi etiam ſunt profuſi Sudores: cave autem ſemper, ex divini Senis Conſilio, ne noceas ſi non poſſis opitulari *.

* *Hippocrat.* Epidem. Lib. 1. Conſtitut. 2. ſub Finem.

Nova

Nova Luna 14° Julio. *Plena Luna* 28°.

Julii Initio ſicca fuit & calida Tempeſtas, varia pòſt, & multò frigidior, Pluviæ frequentes, Ventus inconſtans, ab Auſtro ſæpiùs; factus hinc Aër eſt humidus atque craſſus: ſub Finem Apricitas Æſtuſque, haud levis, Corus mollis.

Pluvia 1. 4. 8. $\overset{/}{9}$. 10. 11. $\overset{/}{12}$. 13—15. 19. $\overset{////}{23}$. $\overset{////}{24}$. $\overset{/}{25}$. $\overset{////}{31}$ Dig. Dec. = 4.134.

Fulgur, cum Tonitru, graviſſimum, ac immenſis Pluviis 23. 24. 31. Procella 24. p. m. S W 4.

☿ Altitud. maxim.	28. 29,9.	N W 1.	media $29.4\frac{28}{31}$.
——— minim.	24. 29,0.		
Dies frigid.	25. 38.	W S W 3[x].	media $29\frac{16}{31}$.
— fervid.	30. 16.	N W 1.	

Variolæ paſsìm, utplurimùm blandæ ſatìs; quædam tamen Furunculis, Carbunculis, & diris Ulceribus ſtipatæ. Febres aliquæ putridæ; Colicaślioſa frequens.

Nova Luna 13° Augusto. *Plena Luna* 27°.

Haud parùm torruit Meſſes hoc Menſe Canicula, maximæ tamen ſubindè Rorationes, medio autem *Auguſto* Pluviæ ſatìs: Aër indè craſſus tum valdè & humidus: à quarto ad decimum quartum Ventus ſubſolanus, ad Finem deìn uſque varius.

Pluvia 2. 4. $\overset{/}{14}$. $\overset{//}{15}$. 16. $\overset{//}{17}$. 18—20. $\overset{/}{31}$ Dig. Dec. = 1.256.

Fulgura perplurima 12, gravis Procella 15 E S E 4, ſævum Fulgur cum Tonitru 31 ad Occidentem. Maxima *AB*. 28. H. 8 p. m. E N E 2, Trabes rutilæ, vividæ, plurimæ, ab ipſo Horizonte, ad Angulos penè rectos, per lucidiſſimam quaſi Iridem jaculatæ ſunt, More velut ex Arcu Sagittæ.

☿ Altitud. maxim.	7. 30,0.	E 2.	media $29.6.\frac{20}{27}$.
——— minim.	15. 29,2.		
Dies frigid.	19. 36.	W N W 1[x].	media $28\frac{2}{27}$.
— fervid.	5. 20.	E b S 2.	

Variolæ

Variolæ ſparſæ, ſed parùm funeſtæ; his tamen exareſcentibus Furunculi plurimi, valdè dolentes, tandemque ſuppurantes, ſæpè ſæpiùs erumpunt: *Choleræ*, ac *Dyſenteriæ*, haud raræ. *Ophthalmiæ* aliquæ, & Faucium Tumores.

Pleuriperipneumoniæ paſsim inter Agricolas ſæviunt, à frigidâ frequenter Potione, ac Aurâ, dum Sudoribus inter Opera diffluunt: grata ſanè utraque, ſed periculoſa valdè: Ratione adeò ſemper obſecundandum eſt Naturæ Incitamentis.

Nova Luna 11° SEPTEMBRI. *Plena Luna* 25°.

Perſiccus atque tepidus fuit hic Menſis, *Atmoſphæra* tamen plerumque valdè craſſa, Ventus inconſtans, at lenis; Boreas per Initia, ac Sol fervidus, ſub Finem Libs: plurimus ſæpiſſimè Ros.

Pluvia. 7.″ 11.′ 12. 13. 16. 19. 20. 21. 24. 27—29 = 0.914 Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim. 3. 30,1. E N E 1. } media 29.7$\frac{22}{29}$.
——— minim. 8. 29,2. E S E 2. }

Dies frigid. 31. 44. S W 3. } media 34.
— calid. 1. 28. W N W 1. }

Variolæ adhuc, utplurimùm benignæ, Puſtulis tamen ulceroſis, & Furunculis, uſque ſtipatæ; ſub Morbi Finem nempè; accedunt ſæpè ſævæ *Ophthalmiæ*, ac cruciantes Artuum Dolores, niſi maturè & probè purgantur.—*Diarrhææ*, & *Dyſenteriæ*, perplurimos exercent; rarò tamen cruentus eſt Alvi Fluxus, nihilominùs autem aliquando lethalis, obrepente Singultu, & perpetuâ deſidendi Cupiditate; quod nihil levat æquè ac Clyſter noſter *anodynus* *, qui, & *Diarrhœam* quoquè profuſam, irritis aliis omnibus, ſæpe feliciſſimè ſiſtit.

Nova Luna 11° OCTOBRI. *Plena Luna* 25°.

Sicca duravit Tempeſtas, cum altâ Barometri Statione, ad Diem uſque decimum *Octobris*, adeò ut, per Initia Menſis, Putei atque Rivuli plures defecerint prorsùs; poſt autem imbrica valdè & multò gelidior; Aquilo prævaluit ad decimum octavum, indè verò Libs.

* Vid. ſupra Menſ. *April.* 1743.

Pluvia $\overset{\prime}{10}$. $\overset{\prime\prime}{11}$. $\overset{\prime\prime}{12}$. 13—16. $\overset{\prime\prime}{17}$. $\overset{\prime}{19}$. 20. $\overset{\prime\prime}{21}$. $\overset{\prime\prime}{22}$. $\overset{\prime\prime}{24}$. $\overset{\prime\prime}{25}$—$\overset{\prime}{26}$. $\overset{\prime\prime}{27}$. $\overset{\prime\prime}{28}$. $\overset{\prime}{29}$. $\overset{\prime\prime}{30}$. Grando 10. Nix 11 = $\overset{\text{Dig. Dec,}}{3.696}$.

Gelu 3. 12. 13. Fulgur & Tonitru 29 Nocte: Procella 30 Nocte, ac Mane 31 S W b W 4—Maximæ Pruinæ Menſis Initio.

☿ Altitud. maxim. 2. 30,3. N E 1. } media $29.6\frac{2}{30}$.
——— minim. 22. 28,7. S E b S 3. }

Dies frigid. 12. 61. N 1^{x}. } media $48\frac{6}{30}$.
— tepid. 5. 34. N b W 1. }

Multæ hìc *Variolæ,* aliquibus in Locis ſunt *epidemicæ:* Morbus colicus creberrimus, plures jam à *Pomaceo* novello. *Pleuriperipneumoniæ* paſsìm, medio præſertim Menſe; Sanguis extractus autem haud valdè denſus eſt.—Dentium Dolores, Diſtillationes, Tuſſes ſæviſſimæ, perplurimæ: inter Pueros ferina Tuſſis graſſatur—*Catarrhalis* quædam *Febricula* porrò frequens eſt admodùm, cum magnâ Pectoris Oppreſſione, Tuſſi humidâ permoleſtâ, Ventriculi Dolore, ac Cruciatibus *rheumaticis;* brevì tamen evaneſcit, accedente Alvo citâ, atque torminosâ paululùm.

Non tantùm ab impeditâ *Perſpiratione* oriri videntur Febres *Catarrhales,* ſed etiam ab ipſo gelido *Atmoſphæræ* Vapore per varios Corporis Meatus irruente; humidis igitur, frigidiſque Temporibus, invadunt maximè; huic ineſſe porrò Salem quendam aëreum *, & acrem judico, qui fundit quodammodò Sanguinem, vellicat Nervorum Propagines, totamque Humorum Maſſam conturbat. Neque enim aliter eſt facile dictu, undè tam ſubita ſæpè ſubit Commotio Hominibus, algido udoque Aëri expoſitis, tam immenſa Diſtillatio Humoris per Nares, Oculos, Fauces; adeò acris ſæpè ut vel ipſam Cutim erodat, ac Tuſſes vehementes moveat & Sternutamenta perpetua: Neque hæc in paucis duntaxat, ſed & per innumeros undiquè ſimul, & ſemel, diſpergitur Morbus. Mihi igitur probabile videtur, quòd, quò major ſit aërei hujus Salis Copia per *Atmoſphæram* diffuſa, eò acrior ſæviat *Catarrhus;* in quibuſdam enim Febriculis *Catarrhalibus* longè magìs

* Vid. Prolegomen. Vol. $I.^{mi}$ *de Aëre & Morbis epidemicis.*

blanda

blanda eſt Diſtillatio quàm in aliis; plerumque verò pluviis, nivoſis, & frigidis, Tempeſtatibus acerrima.

Sin autem his generatur acris, & ſeroſa, in Sanguine Colluvies, multò meliùs diſcutitur Sudoribus, & blandis *Catharticis*, quàm prodigâ Sanguinis Miſſione, quam vix ſanè depoſcit unquam, niſi forſan ipſo Initio, & ubi Febris haud leviter ardet.

Nova Luna 9° Novembri. *Plena Luna* 23°.

Pluviæ perpaululùm hoc Menſe, *Baroſcopii* Statio præalta, medio præſertìm; Ventus ſæpiſſimè ab Oriente, ad Septentrionem deflectens plerumque; Aër fuit majore ex Parte valdè craſſus; interdum verò tenuis admodùm, ac frigidus, maximæ Pruinæ frequenter, Gelu haud raro.

Pluvia 1. 15. 17. $\overset{/}{18}$. 19. $\overset{//}{20}$. 22. 24. 25. 29. 30. Nix 21 Dig. Dec. = 0.906.

☿ Altitud. maxim. 14. 30,6. N E b E 1. } media $30.0\frac{3}{30}$.
——— minim. 2. 29,3. S W 2. }

Dies frigid. 21. 68. N E 1ˣ rigidum Gelu. } media 54.
— tepid. 2. 42. }

Variolæ undiquè ferè, ſatìs tamen clementes, ſcilicèt diſtinctæ utplurimùm: Peripneumoniæ & Pleuritides paſsìm. Tuſſes, Κορύζαι, & leves Anginæ frequentes; Febres aliquæ lentæ, & putridæ; Morbi Colici, & *Rheumatiſmi*, plurimi.

Nova Luna 9° Decembri. *Plena Luna* 23°.

Triſtiſſima jam ingruit Tempeſtas, Pluvia conſtans, Libs perpetuus ferè, iſque ſubindè procelloſus admodùm; hinc facta eſt *Atmoſphæra* longè humidiſſima; ſub Finem Menſis Diluvia maxima ubiquè: ne vel minimum Gelu toto *Decembri*, Sol rariſſimè.

Pluvia $\overset{///}{1}$. 2—4. 6. $\overset{/}{8}$. $\overset{/}{9}$. 10—14. $\overset{//}{15}$. $\overset{////}{16}$. 17. $\overset{//}{18}$. $\overset{/}{19}$. $\overset{/}{20}$—21. $\overset{/}{23}$. $\overset{///}{24}$. $\overset{//}{25}$. $\overset{///}{26}$. 27. $\overset{////}{28}$. $\overset{////}{30}$. $\overset{//}{31}$ Dig. Dec. = 6.746.

Procella 1. Nocte W S W 4_x.—14 Nocte W S W 4—graviſſima 15 totâ Nocte S W 4_x, quæ porrò duravit ad Horam quartam pomeridianam Diei 16, atque Mercurium barometricum quàm maximè depreſſit, ad 28. 1. nempè, 16 H. 10. a. m. S W b S 4^x—23 Nocte S S W 4—24 Mane S W 4_x—25 S W 4 Ventus nimboſus omni Nocte ab 8, ad 13, haud magnus tamen indè Barometri Lapſus.—Iris Lunaris perilluſtris 15 H. 10. p. m. W S W 3^x Fulgur & Tonitru 16 Mane. Magna *AB*. 4. H. 8. p. m. N W 2_x.

☿ Altitud. maxim.	7.	30,2.	W N W 1.	} media 29.4.
——— minim.	16.	28,1.		
Dies frigid.	17.	60.	W N W 2.	} media $52\frac{4}{30}$.
— tepid.	3.	44.	S W 3.	

Variolæ adhuc paſsìm, mites autem plerumque; in diſtinctis tamen, ſi paulò ſint confertiores, & largiſſima profluunt Sputamina, & copioſæ admodùm & craſſæ Urinæ; quod fauſtum ſemper. Morbi colici perplurimi, ex *Pomacei* novelli Potu permulti: haud pauci & Colicâ vehemente, & acerbiſſimo Artuum Dolore, anguntur, undè ſæpè Brachiorum *Pareſis*, & generalis Membrorum Debilitas, Miſeros * diu admodùm trahit.

Dig. Dec.
Tota Pluviæ Quantitas Anno MDCCXLVIII = 30.680.

* De his, eorumque Medicinâ, Vid. Opuſcul. noſtr. de *Morbo Colico*, ad Calcem Vol. I^mi *de Aëre & Morbis Epidemic.*

OBSER-

OBSERVATIONES HUXHAMII

DE AËRE,

ET

MORBIS EPIDEMICIS,

Ab Anno 1749 ad Exitum uſque Anni 1752.

TOMUS TERTIUS.

VIRO DOCTISSIMO, & DIGNISSIMO,

JACOBO WEST, ARMIGERO,

REGIÆ SOCIETATIS LONDINENSIS

OPTIME MERENTI PRÆSIDI,

E T

SOCIIS CELEBERRIMIS,

HAS HUXHAMII OBSERVATIONES

DE AËRE, & MORBIS EPIDEMICIS,

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. D.

J. COR. HUXHAM.

LECTORI.

S.

SCRINIA Patris mei optimi, & eruditi, perſcrutanti, Obſervationes ſequentes de Aëre & Morbis Epidemicis pulchrè tranſſcriptæ mihi occurrebant. Inventis gaudebam.—Et quum priora ſua Opera non ſolum placuiſſe, ſed etiam prodeſſe, omnes conſentiunt: Has Obſervationes Publico minimè ingratas fore credidi.—Prælo igitur lubenter commiſi: Et ſiquid Commodi, aut Utilitatis, hinc recipiant Imbecilli & Ægrotantes, ſummâ me afficiet Voluptate.——Vale, candide Lector, & his utere mecum.—

DE

DE AËRE,

ET

MORBIS EPIDEMICIS,

ANNO MDCCXLIX.

EXIIT Annus 1748 continuas inter Pluvias, Procellas atque Diluvia; nec utiquè lætiore Vultu intrat præſens, quinimò certè pejore—toto ruit Æthere Nimbus—Limo conteguntur omnia & Aquâ, Aër humidiſſimus ac caliginoſus maximè, Cœlum triſtiſſimum, Libs ferè perpetuus, ſæpè furens admodùm; dira haud rarò Fulgura, Pluviæ Quantitas planè ſtupenda.—Longè acerbiſſima Frigorè prope *Moſcow* à 10 ad 14. Prudenter adeò olim inſtituerunt Majores noſtri, hoc Anni Tempore, Ludos, Epulas, Foca luculenta, ad fallenda nimirùm ſolita gravis hujus Tempeſtatis Incommoda.

Pluvia. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.—23. 25. 26. 27. 30. 31. Grando 11. 16. 22. 23. Nix 28. = 8.808. Dig. Dec.

Fulgur & Tonitru ſæviſſima 10 toto ferè Die—11 gravia p. m. Fulgura lucidiſſima 15 Veſperi. Fulgur & Tonitru 17 Nocte. Procella 1 Nocte S b W 4_x.—7 Nocte S S W 4_x—9 Noctu S W b W 4_x—10 & 11 W S W 4—15 S W 4—22 Nocte N W 4.

Immenſi Maris Æſtus 10 & 11 Littora ubiquè inundantes—Rigidum Gelu 28 & 29. N N E 1^x.

☿ Altitud. maxim. 29. 30,1. N N E 1^x.
——— minim. 11. 28,3. W S W 4. } media $29.3\frac{22}{31}$.

Dies frigid. 29. 72. ———
— tepid. 5. 48. S W b W 3^x. } media $56\frac{2}{3}$.

Variolæ plurimæ eæque plerumque benignæ, præſertìm ubi lenis accedit Alvi Fluxus, qui jam ſanè Salivationis Vicem præſtare haud raro videtur, etiam in Adultis.

Perplurimi acri laborant Coryzâ cum Tumore Faucium Dentiumque Dolore acerbo—Perfrequens eſt Morbus Colicus, in quo * Alvus aſtricta admodùm vix cedit Purgantibus fortiſſimis; ſed hoc accidit utplurimùm in Colicâ à Pomaceo impuro novello. Rheumatiſmi multi valdè pertinaces.

Etſi Tempeſtas tam horrida regnat: pauci equidem ſæviunt Morbi, ſaltem pauciſſimæ Febres quod utiquè haud raro notavi.

FEBRUARIO.

Ab Initio *Februarii* Pluvia haud parca, interdum Libs, ſæpè Corus, Aër denſiſſimus; à decimo ab Oriente venit Ventus, vergens plerumque ad Auſtrum. Medio porrò Menſe Apricitas; ad Finem flante Vulturno Pluvia gravis: vix ulla Glacies hoc Menſe.

Pluvia $\overset{///}{1}$. $\overset{/}{2}$. $\overset{/}{3}$. $\overset{//}{4}$. 5. 6. $\overset{//}{7}$. 8. 16. 18. 23. 25. 26. $\overset{///}{27}$. $\overset{//}{28}$. Grando 2. 8. 25. = Dig. Dec. 2.820.

☿ Altitud. maxim. 16. 30,2. N E 1x. } media $29.6\frac{16}{28}$.
——— minim. 4. 28,8. N W 2.

Dies frigid. 5. 63. N W b N 1x. } media $54\frac{21}{28}$.
— tpeid. 26. 52. S E 3.

Permultæ adhuc Variolæ: Tuſſes, Diſtillationes, ac Faucium Tumores maximè frequentes, multos Rheumatiſmus laceſſit, multò tamen plures Morbus colicus acerbiſſimus cum Alvo duriſſimâ qui in Brachiorum Paralyſi interdum deſinit; Peripneumoniæ paſsìm plerumque nothæ à nimiâ Colluvie Humorum undè etiam & quædam Febres catarrhales, quæ longè meliùs Purgantibus fugantur quam Sanguinis Miſſione.

MARTIO.

Incipiente *Martio* Ventus inconſtans, Aër craſſiſſimus; à 13° Eurus prævaluit; frigidior hinc Tempeſtas, at lætior multò. Sub Finem Pluvia affatìm.

* Vide Opuſculum de Morbo Colico Damnonior. Ad Finem Vol. I.

Pluvia 1. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 12. 21. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. Nix 18 = 4.340. Dig. Dec.

AB. 7. H. 10. p. m. N W 1. levis. *AB.* 25. H. 9. E b S 2—27. H. 8. N E 1^x^. Rigidum Gelu 17. 18. 19.

☿ Altitud. maxim. 15. E b N 3. 30. 2. } media 29.6$\frac{26}{31}$.
——— minim. 26. 29,0. S E 3^x^.

Dies frigid. 18. 70. E N E 2. } media 53$\frac{1}{2}$
— tepid. 30. 48. E 3.

Plures uſque Variolæ, Pleuritides & Peripneumoniæ aliquæ, frequens Rheumatiſmus. Tuſſes & acerbiſſimæ ſæviunt multùm, pauciſſimæ Febres tamen.—In omnibus penè Morbis dominari videtur ſeroſa Colluvies.

APRILI.

Ineunte & exeunte hoc Menſe ventus ab Oriente prævaluit, medio autem Libs, ſubindè Corus, Aër craſſus; Initio autem, & ad Finem tenuis.

Pluvia 3. 4. 5. 10. 11. 12. 13. 15. 18. 19. 23. 26. Grando 4 = 2.670. Dig. Dec.

AB. 6. H. 8. p. m. N N E 1^x^.—Permagna 7. H. 9. p. m. N b E 1—28 H. 10. E 1. Fulgur, Tonitru, & vehementiſſima Pluvia inundans prope *Oxoniam, Cheltenham,* &c. 27, ne Gutta hîc; ad N E autem in *Exmore* Tonitru & Pluvia graviſſima eodem Die.

☿ Altitud. maxim. 7, 30,0. N N E 1^x^. } media 29.5.$\frac{17}{30}$.
——— minim. 4. 28,8. S W 3.

Dies frigid. 7. 60. } media 44$\frac{2}{3}$.
— calid. 28. 24. E 1.

Variolæ jam plurimæ; at plerumque benignæ. Pleuritides quædam & Peripneumoniæ: atqui Tempeſtas eſt utplurimùm valdè ſalubris.

MAIO.

Fuit per Menſis Initia haud leve Frigus pro Anni ſaltem Tempore, etiam ipſa Glacies Mane 3° & 4°, Nix aliqua 3°; Pluvia frequens

ad 10^m^ uſque, Ventus inconſtans—Poſt autem lætiſſima Tempeſtas, Sol fervidus, Aër ſiccus ac pertenuis. Ventus plerumque Borealis, Barometer verò parùm elatus.

Pluvia 3. $\overset{/}{4}$. 5. 6. 7. $\overset{/}{8}$. $\overset{/}{9}$. 10. $\overset{/}{25}$. 26. 27. Nix & Grando
Dig. Dec.
3° = 1.012.

AB. 1° H. 9. N N E 1. maximus Globus igneus in Aëre viſus ad S E circa Meridiem 17, qui diſploſus evanuit. Magnæ Pruinæ 28. 29.

☿ Altitud. maxima 13. 29,8. N b W 1. } media 29.5$\frac{8}{31}$.
——— minima 5. 29,1. S 3^x^. }

Dies frigid. 3. N 2. 53. } media 33$\frac{10}{31}$.
— fervid. 17. 16. malacia. }

Variolæ adhucdùm; Peripneumoniæ aliquæ veræ, Tuſſes aſthmaticæ plures: Tabe pulmonariâ pereunt multi. Angina valdè maligna in *Cornubiâ* inter Pueros, circa St. *Auſtle, Leſtwithiel,* &c. & oriri videtur Tabes hæc funeſta ab acri Diſtillatione; quæ diu jam permultos laceſſivit, imò & haud paucorum Pulmones eroſit; undè Tuſſis importuna valdè ac vehemens, tandemque nimìs frequenter Sanguinis Sputum, atque demùm in Bronchiorum Cavis Ulcera.—Huic igitur Malo occurrendum eſt quontocyùs, mox aliter citò Phthiſis ſequitur—Hîc adeò interpollet plurimùm Balſamum naturale, quale nempè Giladenſe, Copayba ſeu ipſa Terebinthina Chienſis. Quid valent ad Ulcuſcula hæcce videmus clariſſimè in Gonorhœâ virulentâ; ſive Urethræ Ulcuſculis; quæ nimìs citò ſæpè ſanant, neque id quidem ſpecificâ quâdam virtute contra virulentum iſtud Profluvium, nam Ulcera ſiſtunt, relicto Veneno.—Si tantum ergò valet in Urethrâ, quidni in Tracheæ Fiſtulis?

J U N I O.

Junio incipiente Pluvia, Ventus Septentrionalis, medio etiam, Pluvia ſubindè; ſub Finem fervida Tempeſtas, nunc Coro nunc Africo ſpirante, Aër interim tenuis & ſiccus.

Pluvia 1. $\overset{/}{2}$. $\overset{//}{3}$. 4. 5. 14. $\overset{//}{15}$. 16. $\overset{///}{17}$. 18. Grando 3 = 1.892.

Fulgur

Fulgur & Tonitru ad Occidentem 5. Graviſſima Procella cum Fulgure & Tonitru 17 à primo Mane S W 4^x. *AB.* 26. H. 10. N b W 1.

☿ Altitud. maxim. 27. 30,0. N b W 1. } media $29.5\frac{2}{3}$.
——— minim. 17. 29,0. }

Dies frigid. 16. 48. N 1. } media $33\frac{7}{30}$.
— fervid. 28. 16. W S W 1_x. }

Variolæ aliquæ, Anginæ plurimæ mali admodùm Moris in *Cornubiâ* circa *Liſkeard, Leſtwithiel,* St. *Auſtle,* perplures ſanè jugulant Pueros; paucæ etiam hîc, & per viciniam.—Cæterùm Tempeſtas eſt maximè ſalubris, rariſſima Funera.

JULIO.

Imbres frequentes medio, & Aër valdè craſſus, Cœlum fervidiſſimum Initio; à 4 ad 10 omni Veſperi, mox poſt Solis Occaſum, innumeræ Nubes coccineæ pulcherrimæ, Ventus varius hoc Menſe, Auſter attamen prævaluit.

Pluvia 2. 4. 12.′ 13. 16. 17. 18.″ 19. 20. 23. 24. 27. 28. 31 = 1.052 Dig. Dec.

Maxima Pruina 31. Levis Procella 15 a. m. W S W 4_x.

☿ Altitud. maxim. 9. 29,9. N N E 1. } media $29.5\frac{10}{28}$.
——— minim. 12. 29,3. W S W 2_x. }

Dies frigid. 18. 34. W S W 2^x } media $25\frac{15}{28}$.
— longè fervidiſſima 1. 12. E b S 1. }

Variolæ adhuc paſsìm; Ophthalmiæ plurimæ; Febres quædam rheumaticæ & pleuriticæ, Colica multos torquet, perplurimos exercet Diarrhœa: Coryza, Tuſſis, ac Tumor Faucium frequentes. Cephalalgiæ & Hæmorrhagiæ haud paucos corripiunt, ob Æſtum fortè enormem.

AUGUSTO.

Fuit & hic Menſis calidus, & ſiccus ſatìs, præſertìm poſt Diem ſextum, undè læta Meſſis optimumque Frumentum: Boreas ſæpè

flavit, ſæpè Corus: ſub Finem Atmoſphæra pertenuis. Maximæ ſubindè Rorationes.

Pluvia $\overset{\prime\prime}{2}$. 3. 4. $\overset{\prime\prime}{5}$. $\overset{\prime}{6}$. $\overset{\prime\prime}{10}$. 14. 23. $\overset{\prime}{31}$. = 1.572. Dig. Dec.

☿ Altitud. maxim.	17. 29,9.	N E b E 1.	}	media $29.5\frac{21}{28}$.
——— minim.	2. 29,1.	W N W 1.	}	
Dies frigid.	31. 34.	N 1.	}	media $27.\frac{13}{28}$.
— fervid.	21. 20.	E b S 2.	}	

Jam paucæ tantùm Variolæ; Morbilli paſsìm, Angina quædam ulceroſa maligna graſſatur ſparsìm hîc & per Viciniam; multò magìs autem in *Cornubiâ.* Sæpè Fauces Gangrænâ corripiuntur, ſæpè interior Tracheæ Membrana eroſa fruſtatìm ejicitur; tumet plerumque Collum totumque ferè Caput, rubet porrò flagratque admodùm quaſi ex Igne ſacro—rubent pariter tumentque Manus, Fœtor Oris exit teterrimus, adeſt ſemper Anxietas intolerabilis, Jactatio perpetua, mox autem Delirium, aut maxima Somnolentia urget—Vomitio ſæpiſſimè accedit etiam utplurimùm, Alvi Fluxus olidiſſimus—tam acris ſæpè effluit ex Ore Sanies, ut Genas Labiaque etiam, & ipſas Manus erodit.

Plures Ophthalmiâ vexantur—Diarrhœâ torminosâ plurimi.—Perpauci aliter Morbi videntur, adeoque Funera ſunt rariſſima.

SEPTEMBRI.

Diem decimum nonum ad uſque *Septembris* Ventus varius, Corus frequenter, Libs ſubindè, Pluvia haud parca, Procella interdum, aliquando tamen Apricitas—à viceſimo Ventus ab Oriente Nubes diſcuſſit, ſudumque ſæpiſſimè fecit Cœlum.

Pluvia 2. 3. 4. $\overset{\prime}{5}$. 6. $\overset{\prime\prime}{10}$. $\overset{\prime\prime\prime}{11}$. 12. $\overset{\prime\prime}{14}$. $\overset{\prime\prime\prime\prime}{15}$. $\overset{\prime\prime}{16}$. $\overset{\wedge}{17}$. $\overset{\prime}{19}$. = 3.156. Dig. Dec.

Procella 2 Nocte S S W 4_x.—16 S W 4—19 Nocte S 4—20. E N E 4_x. Nebula valdè fœtida, 10. Immenſus Maris Æſtus 16 omnia inundans.

☿ Altitud. maxim.	28. 30,1.	E N E 1.	}	media 29.7.
——— minim.	16. 29,1.		}	
Dies frigid.	17. 48.	W N W 2.	}	media $38\frac{16}{28}$.
— calid.	3. 32.	W 3.	}	

Variolæ

Variolæ adhuc paſsìm; Morbilli & Rubeoli multi præcipuè apud *the Dock*; Anginæ plurimæ; quædam etiam valdè malignæ per Viciniam, hujus Generis autem plures longè apud *Liſkeard,* St. *Auſtle,* *Leſtwithiel,* &c. eæque valdè peſtiferæ.—Multi vehementiſſimâ Cephalalgiâ perculſi ſunt—Innumeri Tumore Faucium, Parotidum, Maxillarum, cum acerbo ſæpè Dolore corripiuntur: Hos Alvi Fluxus jam perfrequens juvat ſemper.

Plures Puerperæ nunc Febre miliari graviter affectæ ſunt.

OCTOBRI.

Ad Diem viceſimum quartum *Octobris* alta fuit Baroſcopii Statio, parcâ interim Pluvia, Aer ſiccus, haud rarò tenuis Ventus ab Arcto plerumque flavit, ſæpè Boreas, ſæpiùs Corus.

Pluvia 1. $\overset{//}{2}$. 8. 12. 13. 17. 20. 21. 22. $\overset{/}{24}$. 25. $\overset{/}{28}$. $\overset{//}{29}$. $\overset{/}{30}$
Dig. Dec.
31 = 1.422.

Maxima Pruina, & Glacies 25 Mane N W 2. Nebulæ magnæ 22. 23. N N W 1.

☿ Altitud. maxim.	10.	30,3.	E N E 2.	} media 29.8$\frac{18}{29}$.
——— minim.	29.	29,2.	S S E 2.	
Dies frigid.	30.	60.	N N E 1.	} media 46$\frac{5}{29}$.
— tepid.	7.	38.	W N W 1ˣ.	

Variolæ jam multò magìs frequentes; ſed plerumque benignæ—Tumores Faucium, Colli, Parotidum, levi ſæpè cum Anginâ valdè frequentes, adhuc Morbilli plùrimi paſsìm, præcipuè apud *the Dock*. Perpauci aliter Morbi.

NOVEMBRI.

Per Initia *Novembris* Pluvia multa, Auſtro perflante, ab undecimo vix ulla, Ventus enim ab Oriente. Alta Mercurii Statio Cœlum autem nubilum plerumque, atque craſſum, ad Finem Gelu.

Dig. Dec.
Pluvia 1. $\overset{//}{2}$. $\overset{//}{3}$. 4. $\overset{///}{5}$. 6. $\overset{///}{7}$. $\overset{/}{10}$. 25 = 2.146.

Procella 7 Veſperi S S W 4ˣ. Nebulæ fœtidæ 3. 4. 8. 9. 19.

☿ Altitud.

☿ Altitud.	maxim.	18.	30,5.	E N E 1_x.	} media	$30.0\frac{14}{29}$.
———	minim.	5.	29,5.	S b E 3_x.		
Dies frigid.		30.	62.	E N E 1.	} media	$53\frac{1}{2}$.
— tepid.		8.	44.	S W b S 2_x.		

Morbilli jam undiquè maximè epidemici, imò & ſæpiſſimè maligni, quippè Affectibus peripneumonicis ſtipati. Variolæ plurimæ—Tuſſes innumeræ—Tumores atque Dolores Dentium, Faucium, Parotidum, Maxillarum, &c. ubiquè—ſæpè levis Angina, pauci aliter hîc Morbi—apud *Iſcanos* verò Febres mali admodùm Moris epidemicæ, ac Morbilli valdè lethales.

DECEMBRI.

Perhumida fuit & craſſa valdè Atmoſphæra toto hoc Menſe; Barometer autem altum plerumque tenuit Locum, etſi multa interdum ruebat Pluvia à 15° ad 25^{m} Ventus Orientalis prævaluit iſque ſanè perfrigidus, hinc acre ſubindè Gelu.

Pluvia 1. $\overset{/}{\overline{4.}}$ 6. $\overset{/}{\overline{7.}}$ 8. $\overset{//}{\overline{10.}}$ $\overset{////}{\overline{13.}}$ $\overset{/}{\overline{14.}}$ 15. 18. 19. $\overset{///}{\overline{26.}}$ $\overset{///}{\overline{29.}}$ 30.
Dig. Dec.
Nix 12. 24 = 3.318.

Gravis Procella 9 Nocte, & 10 Manè S W 4^{x}—Jovis & Martis arctiſſima Conjunctio 22. H. 7. p. m.

☿ Altitud.	maxim.	21.	30,5.	E N E 2_x.	} media	$29.8\frac{26}{31}$.
———	minim.	10.	29,0.			
Dies frigid.		24.	71.	E N E 2.	} media	$58\frac{24}{31}$.
— tepid.		9.	50.	S W b W 3.		

Durant uſque Variolæ, Morbilli maximè ſunt epidemici, imò & ſæpè peſtiferi—Puſtulæ ſeu Maculæ non ſunt ità faſtigiatæ; ſed magìs abſconditæ aut luridæ, aut lividæ, iiſque vaneſcentibus Tuſſis furibunda, ſæpè ipſa Peripneumonia ſupervenit; ſæpiùs autem Tormina ſæviſſima atque Alvi Fluxus immanis—Pleuritides & Peripneumoniæ frequentes. Colica bilioſa, atrox, torquet plurimos, quorum Alvus eſt plerumque valdè aſtricta, & ſolutu difficilis perquàm, Tuſſes vehementes ac Faucium Collique Tumores apud omnes ferè.

Dig. Dec.
Tota Pluviæ Quantitas Anno 1749 = 34.208.

I JANU-

JANUARIO.

Alta fuit Barometri Statio hoc Menſe, Aër vero craſſus admodùm, & humidus; Vulturnus perflavit ſæpiſſimè, præcipuè à 10 ad 23, Libs interdum, Aquilo rariſſimè, Boreas nunquam—humida adeò atque nebuloſa Atmoſphæra ſuſtinuit Mercurium.—Gelu nullum, imò vix aliqua Pruina. 9 Veſperi ♂ ♃ & ♀ formant Lineam rectam.

Pluvia $\overset{//}{1}$. $\overset{//}{2}$. $\overset{/}{3}$. 4.—6. $\overset{/}{7}$. $\overset{//}{13}$. 14. 17. $\overset{////}{24}$. 25. 26. 27. 29. $\overset{////}{30}$. 31. Grando 3. 30. $\overset{/}{31}$. = 4.338. Dig. Dec.

Procella 24. S S W 4 & totâ ferè Nocte—Gravis Procella à 29° ad Finem ipſum Menſis cum maximis Maris Æſtibus; etſi Dies aliquot poſt Novilunium graviſſima Pluvia. Fulgur & Tonitru ſæviſſimum 30 Nocte S W b W 4ˣ. Lux inſolita totâ Nocte à 23 ad Finem uſque, etſi Cœlum erat Nubibus valdè craſſis abductum; præcipuè 29, 30, & 31, furente Procellâ.—Quod quidem non rarò obſervavi.

☿ Altitud. maxim.	8.	30,4.	N 1.	media $29{,}8\frac{16}{29}$.
——— minim.	31.	29,3.	S W. 4ˣ.	
Dies frigid.	11.	62.	E S E 2.	media $55\frac{6}{28}$.
— tepid.	27.	50.	S W b W 3.	

Plures adhuc Variolæ, Morbilli perdurant, ac valdè ſunt epidemici malique plerumque Moris * graviſſimâ Tuſſi nempè, Suffocatione, ac peripneumonicâ Febre haud rarò accedentibus—ſæpiùs Alvi Fluxu enormi. Tuſſes innumeræ, & acres admodùm.—Pleuroperipmoniæ & Pleuritides paſsim. Colica bilioſa ſævit plurimùm.

FEBRUARIO.

Per Initia *Februarii* humilis Baroſcopii Statio multaque Pluvia, Ventus ab Occidente flectens ad Auſtrum, iſque ſæpè vehemens; Aer intereà valdè craſſus—à 13° ad Finem uſque altiùs multò ſtetit Barometer—Eurus interdum, Auſter ſæpè, Zephyrus, ſubindè ad ipſum

* Tardè admodùm ſæpè erumpebant Morbilli etiam poſt ſex Dies Febre tamen catarrhali graviter urgente, cum Exacerbatione violentiore ſub Noctem; quaſi Febris fuiſſet Hæmitritæa.

Finem

Finem Aquilo frigidus.—Inſolitus fuit Atmoſphæræ Tepor hoc Menſe; nullum Gelu niſi ipſo 28°.—Florida ubiquè Tellus eſt, quaſi procedente *Aprili*, volitant Papiliones—Viperæ proſerpunt. Anemone Chelidonium minus, Lujula Violæ, Prunus ſylveſtris efflorefcunt undiquè—Apium Examen 23 apud *Ycalmpton* quod inſuetum maximè.

Pluvia 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 11. 12. 13. 14. 21. 22. 25. 27. Grando 3. 5. 27. Nix 28. cum Grandine = Dig. Dec. 3.128.

Fulgura 1. 2. 5. 26. Fulgur & Tonitru 2. 4.

Procella 1 Nocte S 4^x—3 totâ Die W S W 4—9 Nocte W S W 4_x—22 Nocte S 3—27 N W b W 4.

Permagna *AB*. 15 H. 8 & Zona lucidiſſima albiſſima N W b W 1. 15. 16.—8. 56. poſt.

☿ Altitud. maxim. 28. 30,2. N N E 3. } media $29.7\frac{3}{26}$.
——— minim. 5. 29,0. W 3^x.

Dies frigid. 28. 67. } media $51\frac{6}{26}$.
— tepid. 22. 46. S b E 3.

Morbilli adhuc epidemici: jam tamen paulò magìs ſunt benigni, hos autem conſequitur ſæpè ſeviſſima Tuſſis; imò haud raro Peripneumonia—Sæpiùs verò Alvi Fluxus enormis—Vermes crebrò dejiciuntur—Morbi Colici plures, Ophthalmia frequens, nec non Rheumatiſmus: Variolæ paucæ, Pleuritides aliquæ.

MARTIO.

Tepidus quoquè fuit & hic Menſis, porrò ad Diem viceſimum primum ſiccus Aër, interdum pertenuis.—Ventus plerumque Septentrionalis, intervenit Libs aliquando, ſubindè Corus—à xxi° nunc Libs, nunc Corus, Pluvia ſæpè—Tempeſtas ſanè multò minùs eſt frigida ſolito; floreſcit undiquè Humus; quaſi exeunte *Aprili*; vix ullam notavi Glaciem, perrarò utiquè Pruinam.

Pluvia 1. 9. 10. 11. 17. 18. 19. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 28. 29. Grando 18. 26. 27. 30 = Dig. Dec. 2.152.

Circius

Circius vehemens 26—29 Nocte: Fulgura plurima 27°.

☿ Altitud. maxim. 15. 30,3. E N E 1^x. } media $29.8\frac{10}{26}$.
——— minim. 29. 29,0. W S W 2. }

Dies frigid. 28. 60. N N W 1^x. } media $50\frac{6}{26}$.
— tepid. 11. 44. W S W 1. }

Nullæ jam Variolæ, perpauci Morbilli, Ophthalmiæ paſsim, Pleuritides & Peripneumoniæ aliquæ, ſed raræ—Morbi colici plurimi nec non Catarrhi.

APRILI.

Durat uſque mitiſſima Tempeſtas; Pluviæ tamen ſatis, nec defuit Sol pulcher ſubindè: Per Initia Menſis perflavit Vulturnus: à 16° Boreas plerumque, Aër intereà tenuis valdè, ſudumque ſæpè Cœlum.

	/		//	/	/	/	///	//	/	//			///	//
Pluvia	1.	3.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	19.	20.	21.	22.	23.	26.

Dig. Dec.

Grando 18. 24 = 3.344.

AB. valdè lucida 3 mediâ Nocte N N W 1—4 H 10 p. m. N N W 2—Magna 20 H. 9. W N W 1. Gelu 5. N 1. Glacies 6. E b N 1. Procella 9. a. m. S E 4_x.

☿ Altitud. maxim. 30. 30,1. E N E 1. } media $29.6\frac{10}{28}$.
——— minim. 8. 29,3. S S E 3. }

Dies frigid. 5. 60. N 1. } media $48\frac{7}{28}$.
— tepid. 21. 42. S 1. }

Nullæ nunc Variolæ—Morbilli adhuc plurimi paſsim—Ophthalmiæ frequentes, Eruptio puſtuloſa multorum Caput, atque Faciem infeſtat. Febres quædam lentæ, & nervoſæ—Pleuritides ac Peripneumoniæ multò rariores ſolito hoc Anni Tempore.

MAIO.

Maio incipiente alta Baroſcopii Statio—Aër tenuiſſimus, Apricitas pulchra—Aquilo primùm, mox Boreas—à 10° Vulturnus pluvius, ſubſidente Mercurio; à 19° Ventus varius, Sol ſubindè, Pluvia frequens—Blandiſſima ſanè fuit Tempeſtas—Arbores omnes, Frutices atque Paſcua florida ſunt quàm maximè.—Immenſa Vis undiquè Scarabæorum maximorum; Anglicè, *May Bugs, or Cock Chafers.*

Pluvia 11. 12. 14. 15. 16. 19. 21. 22. 23. 24. 27. 31. =
Dig. Dec.
2.474.

Fulgur & Tonitru ſæviſſima Veſperi 14.

☿ Altitud. maxim. 2. 30,2. N 1.
——— minim. 17. 29,2. S S E 2. } media $29.6\frac{14}{27}$.

Dies frigid. 3. 46. N 1.
— calid. 15. 30. S S E 1x. } media $35\frac{6}{27}$.

Nullæ jam Variolæ, pauci hîc Morbilli—ad Orientem tamen & Occidentem plurimi—Ophthalmiæ acerbiſſimæ permultæ, etiamque haud rarò ſuppurantes—Anginæ & Ulcera Faucium multos infeſtant: Febris quædam putrida Catarrhalis paſsìm ſævo cum Artuum, & Capitis Dolore accedente, interdum Phrenitide.

J U N I O.

Ipſo *Junii* Initio gravis Pluvia—ſicca verò poſtea Tempeſtas, & fervida valdè—Eurus ſæpè flavit, ſæpiùs tamen Corus, Libs rarò, maximi Calores fuere, Euro ſpirante.

Pluvia 1. 2. 6. 7. 10. 12. 13. 15. 23. 24. 25. 26 = Dig. Dec. 1.446.

Fulgur & Tonitru 10. p. m. W S W 2—21. ad Septentrionem E S E 1. Calor enormis à 16 ad 22 incluſivè.

☿ Altitud. maxim. 5. 30,0. N 1.
——— minim. 1. 29,2. S S E 1. } media $29.6\frac{9}{30}$.

Dies frigid. 2. 44. N W 1x.
— fervid. 20. 13. E 1x. } media $28\frac{1}{3}$.

Morbilli paſsìm frequentes valdè—hîc Loci autem nulli: Peripneumoniæ & Rheumatiſmi aliqui; perpauci aliter Morbi: Per Danmonium autem Auſtralem Febres multæ miliares, maximè circa *Totneſs.*

J U L I O.

Fuit & hic Menſis ſiccus admodùm, & fervidus.—Ventus varius, plerumque Occidentalis, vergens ad Arctum: Æſtus vehementiſſimus ob octavo ad decimum quintum Diem, major certè quam hîc Loci memini

mini unquam: Humilis erat utplurimùm Baroſcopii Statio, præcipuè flante Auſtro.

Pluvia $\overset{/}{1}$. $\overset{/}{5}$. 7. 16. $\overset{//}{17}$. $\overset{/}{19}$. 22. 23. $\overset{//}{25}$. 27. 28. $\overset{//}{31}$ = Dig. Dec. 1.552.

Fulgura plurima Nocte 15 S S W 1.—Fulgur & Tonitru cum Grandine 24 W 3. Procella, Fulgur, & Tonitru 31. a. m. S b W_x. Nebulæ 1. 2. 13. 26.

☿ Altitud. maxim. 8. 29,8. W b N 1. } media $29.4\frac{24}{28}$.
——— minim. 31. 29,1. S W 4_x. }

Dies frigid. 28. 40. W N W 1. } media $26\frac{10}{28}$.
— longè fervidiſſ. 11. 13. N 1. }

Febres anginoſæ peſtiferæ cum Maculis rubris, luridis, & Puſtulis valdè frequentes apud *Cauſand* & *Lingſand* & per Viciniam.—Magìs ſunt vulgares, & peſtilentes apud *Liſkeard*, *Fowey*, &c.—Morbilli ſparſi ſunt adhuc. Febres aliquæ putridæ, cum Exanthematibus. Tuſſis convulſiva paſsìm inter Pueros, & Coryzæ, Diarrhœa, & Gravedo frequens ſub Finem Menſis.

AUGUSTO.

Per Initia *Auguſti* Pluvia multa—Ventus Auſtralis, & ſæpè nimboſus—Aër valdè craſſus, & humidus: à 13° pulchra Tempeſtas atque calida, Coro utplurimùm ſpirante ad Finem Subſolano.

Pluvia 1. 2. $\overset{//}{4}$. 5. $\overset{///}{6}$. 7. 8. 10. $\overset{//}{11}$. 12. 18. 26. 29. 31. = Dig. Dec. 1.902.

Procella 4. p. m. S S E 4_x——5 primò Manè S S W 4_x.

Nebulæ ſuper Aquà ſæpiſſimè hoc Menſe, & maximæ Rorationes, Malacia frequens—Arbores innumeræ, & omnigenæ quæ ſpectant ad Meridiem exuſtæ ſunt, cum Fulgure tactæ.

☿ Altitud. maxim. 27. 29,9. W b N 1. } media $29.5\frac{19}{31}$.
——— minim. 2. 29,2. S W b W 2. }

Dies frigid. 25. 39. W N W 2. } media $32\frac{16}{31}$.
— fervid. 18. 26. Malacia. }

 Mor-

Morbilli adhuc in Viciniâ, hîc nulli—Febris putrida cum Puſtulis, & Maculis rubris *(a ſcarlet Raſh)* paſsìm graſſatur—Angina maligna cum Febre Eryſipelotéſâ & Ulceribus in Ore peſtiferis; imò interdum gangrænoſis, & fœtidis valdè ſævit in citeriore *Cornubiâ,* præcipuè apud *Milbrook, Cauſand,* & *Kingſand* inter Pueros imò & haud paucos jugulat.—Perplurimi Canes rabidi.—Muſcæ infinitæ omnium Generum jam ſunt infenſiſſimæ.

SEPTEMBRI.

Ineunte *Septembri* gravis Pluvia, Vulturnus Aër nebuloſus; à 6° ad 10 Eurus, tunc Corus; à 22° ad Finem uſque Boreas: Perpulchra Tempeſtas ſæpè hoc Menſe; Aër tamen craſſus plerumque.

Pluvia $\overset{////}{1}$. $\overset{//}{2}$. 4. 5. 9. 10. $\overset{/}{12}$. 14. 16. $\overset{/}{17}$. 20 = 1.736. (Dig. Dec.)
Magna *AB*. 11 H. 10 N 1_x—12 Veſperi W N W 1. Maxima Pruina 16. W N W 1.

☿ Altitud. maxim. 26. 30,2. N E 1.
——— minim. 9. 29,2. E S E 1. } media $29.7\frac{11}{26}$.

Dies frigid. 30. 46. N N E 1.
— calid. 8. 26. E 1. } media $33\frac{5}{26}$.

Rariſſimi Morbi, paucæ jam Choleræ, Morbi colici atque Diarrhœæ multò minùs frequentes quam aſſolent hâc Tempeſtate, vix aliqua Febris occurrit.—Salubris ſanè fuit admodùm hîc Autumnus; quod utiquè Benignitati Cœli haud Dubio debetur maximè. Ex Anni Conſtitutionibus Siccitates ſunt pluvioſis ſalubriores, Hippocr. Aph. 15. Sect. 3.

OCTOBRI.

Venit ab Oriente Ventus toto hoc Menſe, vergens plerumque ad Septentrionem, ad Auſtrum etiam haud raro, hinc longè frigidior facta eſt Tempeſtas, ſub Finem præſertìm.

Pluvia 1. 6. $\overset{////}{7}$. $\overset{//}{8}$. 13. $\overset{/}{14}$. $\overset{//}{17}$. 20.—22. $\overset{/}{23}$. 27. 28. $\overset{//}{30}$. $\overset{//}{31}$.
Nix 25. Grando 29 = 2.798. (Dig. Dec.)

AB. Veſperi 2. N E 1^x—Magna *AB*. 10 H. 9 N E 1.—Levis 11 Veſperi E N E 1—24 Veſperi N E 1—25 H. 8. N b W 1.

Rigi-

Rigidum Gelu 25. N b W 26 E N E 2. Procella 27 E b N 4.

☿ Altitud. maxim. 2. 30,1. N E 1^x.
——— minim. 7. 29,1. S E 2^x. } media $29.5.\frac{17}{30}$.

Dies frigid. 26. 70. E N E 2_x.
— tepid. 1. 42. N 1. } media $54\frac{11}{30}$.

Pleuropneumoniæ aliquæ, & Morbi colici—Tuſſes perplurimæ, pauci aliter Morbi.

NOVEMBRI.

Ineunte *Novembri* Pluvia multa, Baroſcopii Depreſſio, Atmoſphæra maximè craſſa, Eurus velox ; à ſexto ad decimum tertium Cæcias lenis, tunc ab Occidente Ventus ; à decimo octavo ad vigeſimum ſextum Boreas frigidus, interveniente ſubindè Malaciâ : ſub Finem Auſter procelloſus, & pluvius, Aër humidiſſimus.

Pluvia $\overset{/}{1}$. $\overset{///}{2}$. $\overset{//}{3}$. $\overset{////}{4}$. 5. 6. 14. 15. $\overset{///}{16}$. 17. 19. 24. $\overset{//}{26}$. $\overset{//}{27}$. $\overset{///}{28}$. $\overset{/}{29}$. $\overset{//}{31}$. Grando 4. 28. 30. Nix 20 = $\overset{\text{Dig. Dec.}}{4.520}$.

Fulgura 28° Nocte—Vehemens Procella 30 Manè S S W 4^x.—— Maximæ Pruinæ, & Gelu acre à 18 ad 26.

☿ Altitud. maxim. 8. 30,2. E N E 2_x.
——— minim. 30. 28,6. S S W 4^x. } media $26.\frac{9}{24}$.

Dies frigid. 23. 73. N E 2.
— tepid. 30. 52. } media $61\frac{21}{24}$.

Pleuritides ac Peripneumoniæ haud raræ—Tuſſes plurimæ permoleſtæ, Tumores & Dolores Faucium atque Dentium permultos vexant —Rheumatiſmus frequens nec non Diarrhœa torminoſa—Per frigidum hunc Autumnum, (ſuppreſſâ maximè Perſpiratione) generatur acris Sanguinis Colluvies ; quæ varios inducit Corporis Affectus proùt hæc nempè vel illa Pars eâ gravatur.

Sub Finem Menſis omnes penè Equi longè lateque graviſſimâ Tuſſi corripiuntur comitante Febre quâdam Peripneumonicâ, & Coryzâ vehemente ſæpè anhelant maximè & Tuſſi moleſtiſſimâ anguntur—Ex Naribus verò omnes ejiciunt immenſam planè Quantitatem Muci valdè craſſi ſubflavi deinde viridis interdum ſanguinei, Strigmentis immixtis,

ſopo-

ſoporoſi fiunt, debilitantur admodùm, & Eſcam omnigenam prorſùs reſpuunt, ad Sudores ſunt maximè proclives, tremuntque plurimùm —Sanguis horum emiſſus eſt denſus admodùm viſcidus & flavus, ſæpè niger, aut lividus; quod mali ſemper eſt Ominis. Si Tuſſis ſupprimitur citò, nimìs parumque per Nares reddunt, pereunt brevì utplurimùm pereunt—Qui in Stabulis detenti ſunt, pejùs ſe habere videntur quàm in Agris—ad unum ferè omnes ægrotant etſi haud multi pro Numero moriuntur.

DECEMBRI.

Ad Diem decimum *Decembris* Libs valdè pluvioſus; ſubindè etiam Corus, indè ad viceſimum ſextum nunc Vulturnus, nunc Boreas, ſæpiùs tamen Eurus, ad Finem Libs, iterùm humidiſſimus. Atmoſphæra maximè craſſa.

Pluvia $\overset{\prime}{1}$. $\overset{\prime\prime\prime}{2}$. $\overset{\prime}{3}$. $\overset{\prime\prime\prime}{4}$. $\overset{\prime}{5}$. $\overset{\prime\prime}{6}$. 7. 8. 9. 10. $\overset{\prime\prime}{17}$. 24. $\overset{\prime}{25}$. $\overset{\prime\prime}{26}$. $\overset{\prime\prime}{27}$. 28. $\overset{\prime}{29}$. $\overset{\prime\prime}{30}$. $\overset{\prime\prime\prime}{31}$. Grando 1. = 4.702. (Dig. Dec.)

Procella Veſperi & totâ Nocte 2 S W 4^x cum Fulgure & Tonitru —3 Manè W b N 4_x maximæ Pruinæ ac Gelu rigidum à 18 ad 22.

☿ Altitud. maxim.	20.	30,6.	N N E 1^x	} media	$29.5\frac{24}{29}$.
——— minim.	31.	28,9.	S W b W 3^x.		
Dies frigid.	21.	70.	E N E 1.	} media	$56\frac{23}{29}$.
— tepid.	10.	50.	S W b W 3_x.		

Apud *Aſhburton*, *Chudleigh*, *Newton*, &c. Febres multæ putridæ, lentæ ſæpè cum, ſæpè ſine Exanthematibus, nec non Morbilli maligni. Febres porrò Dyſentericæ apud *Aſhburton*, & per Viciniam.—Anginæ quædam ſævæ paſsìm, quædam Peripneumoniæ atque Pleuritides Tuſſes & Coryzæ permultos infeſtant.—Colica frequens. Evanuit jam penitùs Morbus inter Equos.

Tota Pluviæ Quantitas hoc Anno MDCCL = 3.192. (Dig. Dec.)

Finis Anni 1750.

JANU-

JANUARIO.

Diem ad uſque viceſimum primum *Januarii* Aër fuit quàm maximè humidus; ineunte Menſe multa Pluvia; nunc Libs nunc Corus ad xviii; a xxi° Ventus Aquilonius vergens ad Orientem plerumque, undè rigidum ſæpè Gelu & Frigus acre, immenſæ ſubindè Pruinæ, Atmoſphæra autem ſiccior longè.

Pluvia 1. 2. 4. 5. 6. 7. 8. 11. 12. 14. 17. 18. 19. 20. 25. 26. 30. Grando 7. 13. 15. Nix 15. 16. 27. 28. 29 = 3.433. Dig. Dec.

Procella 3. Manè S W 4_x—16 Noctu S W 4^x—17 Manè S b W 4^x Arcius vehemens 25 Nocte: aſperrimum Gelu 28.

☿ Altitud. maxim. 23. 30,2. E N E 3_x. } media 29.5.
——— minim. 1. 28,8. S S E 4_x. }

Dies frigid. 28. 72. N b W 2. } media $60\frac{20}{29}$.
— tepid. 1. 58. }

Pleuritides & Rheumatiſmi multi, Tuſſes & Dentium Dolores plurimi, Colica paſſim: Febres lentæ putridæ graſſantur adhuc prope *Aſhburton*, *Newton*, &c. Pleuroperipneumoniæ, ac Peripneumoniæ frequentes.

FEBRUARIO.

Inſequitur *Februarius* frigidus præſertim per Menſis Initia, Boreâ perflante [x] ab octavo; tamen ad Finem uſque aut Libs aut Corus gelidus; pluvioſa utiquè & procelloſa Tempeſtas plerumque ab undecimo, Atmoſphæra porrò craſſa valdè. [x] Acre admodùm Gelu à Die ſecundo ad octavum.

Pluvia 11. 12. 13. 14. 17. 19. 20. 21. 23. 24. 26. 27. 28. Nix 4. Grando 13. 14. 20. 21. 26 = 2.516. Dig. Dec.

Procella 21. Nocte N N W 4—24 ab H. 10 a. m. ad 4 p. m. S W 4—25 Nocte W S W 4_x—26 Manè W b S 4—27 S W b W 4. Fulgur & Tonitru 24 Nocte—26 Nocte.

Arcus lucidus permagnus per Zodiacum 8 Horâ $7\frac{1}{2}$ p. m.

☿ Altitud. maxim. 7. 30,1. E N E 1. } media $29.6\frac{10}{26}$.
——— minim. 26. 29,0. W b S 4. }

Dies frigid. 3. 72. E N E 3. } media 60.
— tepid. 23. 52. W S W 1_x. }

Pleuritides ac Peripneumoniæ valdè ſunt frequentes—Rheumatiſmi multi, Anginæ aliquæ, Tuſſes perplurimæ vehementes, nec non Coryzæ cum Sternutamentis ferè perpetuis, acribus, & moleſtiſſimis—Colica bilioſa paſsìm—Sanguis jam extractus eſt plerumque denſus admodùm, & viſcidus.

MARTIO.

Pluvius fuit admodùm, & procelloſus hic Menſis—Libs perflavit ſæpiſſimè, interdum etiam Argeſtes, Atmoſphæra craſſa valdè, & ſubindè gelida; Gelu tamen vix aliquid—Statio Mercurii plerumque humilis.

Pluvia $\overset{////}{1}$. $\overset{//}{2}$. $\overset{/}{3}$. $\overset{/}{4}$. $\overset{//}{5}$. $\overset{/}{6}$. 7. $\overset{/}{8}$. $\overset{//}{10}$. $\overset{/}{12}$. $\overset{///}{14}$. $\overset{///}{15}$. $\overset{//}{17}$. $\overset{/}{18}$. $\overset{//}{21}$. $\overset{///}{25}$. 26. $\overset{/}{27}$. 28—30. Grando 1. 5. 15. 17. 19. $\overset{/}{30}$ = 5.590. Dig. Dec.

Procella 4 p. m. S W b W 4_x—5 Manè W b N 4—6 p. m. S W b S 4—13 Nocte S W 4—14 Nocte—15 Nocte W N W 4—17 totâ Nocte S S W 4^x—18 Manè W 4—25 Nocte W 4_x—26 Manè N W b W 4—29 p. m. W 4_x.

Fulgura Nocte 4. Fulgur & Tonitru vehemens 5. a. m. Fulgur & Tonitru 6 p. m.—15 Veſperi.

☿ Altitud. maxim. 23. 30,2. E N E 1^x. } media $29.4\frac{14}{31}$.
——— minim. 4. 29,0. }

Dies frigid. 19. 60. N W 1. } media $52.\frac{24}{31}$.
— tepid. 28. 48. W S W 2. }

Tuſſes, Coryzæ, Raucedines perplurimæ cum magno Faucium Tumore, atque acerbo Dentium Dolore—Rheumatiſmi multi graviſſimi: Pleuritides nec non Peripneumoniæ valdè frequentes.

APRILI.

Decidit quoquè Pluvia haud exigua hoc Menſe; pulchra tamen aliquando intervenit Apricitas, ſpirante tunc Vento ab Oriente—Cæterùm

rum Septentrio magìs quàm Auſter prævaluit: Aër fuit ſæpè tenuis, interdum frigidus, præcipuè *Aprilis* Initio.

Pluvia 1. 2. 5. 6. 10. 11. 12. 14. 15. 20. 21. 22. 23. 24. 28. 29. Grando 1. 5. Nix multa 4 = Dig. Dec. 3.376.

Fulgur & Tonitru 1. p. m. Procella 27. E b N 1.

Ampliſſimus Hàlo circa Lunam 23 H. 9. p. m.

☿ Altitud. maxim.	8. 29,8. E N E 1.	media 29.5.	
——— minim.	23. 29,2. S S W 1.		
Dies frigid.	5. 62. N N N E 2_x acre Gelu.	media $48\frac{24}{27}$.	
— tepid.	29. 40. E 1.		

Pleuritides ac Peripneumoniæ & veræ, & ſpuriæ valdè ſunt frequentes undiquè, haud largam tamen Sanguinis Miſſionem facilè ferunt; etſi Cruor eſt ſæpè viſcidus valdè: Rheumatiſmi plurimos torquent. Tuſſes, Coryzæ, Parotidum & Maxillarum Tumores, Dentiumque Dolores ubiquè ſæviunt maximè. Febres intermittentes aliquæ, Colica bilioſa paſsìm & multæ Ophthalmiæ. Juniores perplurimi Puſtulis aquoſis ſcabioſis per totum Corpus infeſtantur.

M A I O.

Prior *Maii* Pars fuit pluvia atque perfrigida, poſterior ſicca, jucunda, calida; ineunte Menſe Ventus inconſtans; à decimo nono ad ipſum Finem ab Oriente aut Septentrione quod Atmoſphæram ſiccavit plurimùm.

Pluvia 1. 2. 4. 5. 7. 8. 10. 11. 12. 13. 15. 16. 27. Grando 5. 6 = Dig. Dec. 2.570.

Procella 2. p. m. S W 4_x—5 N W b W 4—12 E S E 4_x. Gelu & maximæ Pruinæ 5. 7.

☿ Altitud. maxim.	20. 30,1. E N E 1.	media $29.6.\frac{20}{28}$.	
——— minim.	3. 29,1. W b N 2^x.		
Dies frigid.	7. 56. S E 3.	media $40\frac{2}{28}$.	
— calid.	25. 26. N E b E 2_x.		

Pleuritides & Peripneumoniæ paſsìm, Colicæ & Rheumatiſmi multi, ac tabidi plures: Tuſſis & Aſthma frequens; Coryzæ permultæ cum Faucium Tumore; præſertìm Menſis Initio. Variolæ jam aliquæ huc advectæ à Militibus de Regiment de *Conway*.

JUNIO.

Ineunte *Junio* valdè calida Tempeſtas, Euro perflante: à 12 ad 20 venit ab Occidente Ventus, tunc recurrit Eurus multâ cum Pluviâ—Sub Finem Auſter, Aër indè longè humidior.

Pluvia 6. 7. 8. 15. 16. 18. 19. 22. 23. 25. 26. 27. 28. 29. 30 = 3.114. Dig. Dec.

Procella 6 p. m. E S E 4—7 Manè E S E 4_x—22 p. m. ad mediam Noctem E 4.

Fulgura plurima ſæpè cum Tonitru 5 Nocte—6 Fulgura perpetua Nocte & Tonitru frequens—7 Fulgura perpetua lucidiſſima, at pallidiſſima p. m. & totâ Nocte mugiente ſubindè Tonitru—Fulgura multa 9 Nocte, Tonitru è longinquo.

Pulcherrimus Cœli Color puniceus 19 Veſperi W S W 1^x.

☿ Altitud. maxim.	3.	30,0.	Malacia.	media 29.5$\frac{12}{26}$.
——— minim.	29.	29,1.	S 3.	
Dies frigid.	23.	43.	E 3.	media 29.$\frac{2}{26}$.
— fervid.	6.	17.	E S E 4_x.	

Variolæ frequentes in Oppido, Febres puſtuloſæ paſsìm—Peripneumoniæ nothæ aliquæ, Tuſſes & Faucium Tumores plurimi: Phthiſi pulmonari multi laborant.

JULIO.

Sequitur jam *Julius* pluvioſus, & majore ex Parte algidus; prævaluit hoc Menſe Libs, haud raro tamen intervenit Corus, interdum Favonius; Atmoſphæra plerumque craſſa & humida.

Pluvia 1. 2. 3. 4. 5. 6. 10—12. 15. 16. 17. 18. 20. 21. 23. 24. 25. 26. 29.—31 = 4.996. Dig. Dec.

Denſiſſima, fœtida Nebula toto Die 21. Maxima Diluvia ſub Finem Menſis undiquè—Fontes omnes, & Rivuli exundant maximè.—Fructus omnes horæi fatui ſunt prorsùs, & crudiſſimi—rariſſimè Pa-

pilionem imò vix Muſcam vides—Multi Canes rabidi diſcurrunt. Cicadæ ſilent omninò.

☿ Altitud. maxim. 9. 29,8. N N W 1. } media $29.4\frac{2}{3}$.
——— minim. 26. 29,0. S S E 3.

Dies frigid. 1. 39. W N W 2ˣ. } media $31\frac{10}{30}$.
— calid. 9. 25.

Variolæ paſsìm hîc & jam per Viciniam: Febres miliares, putridæ, lentæ aliquæ hîc, longè plures per Oras Orientales & Auſtrales *Devoniæ* imò & haud rarò lethales. Pleuripneumoniæ nonnullæ—— Morbi colici frequentes & acerbi. Ora apthoſa jam ferè epidemica: Quandoquidem tam infauſta Pluvia frigidaque fuit Tempeſtas perpauca Funera videmus—Omnes tamen maximo Virium Languore laborant.—Credo equidem quòd præſens Cœli Salubritas haud parùm nimboſis crebriſque Ventis debetur; qui Atmoſphæram tam frequenter purgârunt.

AUGUSTO.

Submiſſum fuit Baroſcopium *Auguſti* Initio; Libs plerumque, Aër craſſus: à 12 ad 15 Corus. Maximæ Rorationes 7—indè Libs rursùs ad 21; pòſt Aquilo, dein Eurus, ad Finem Corus: Nebulæ ſæpè hoc Menſe—Sub Finem flante Euro Aër valdè tenuis—Ros plurimus.

Pluvia $\overset{\prime\prime}{1}$. $\overset{\prime}{3}$. 4. 5. $\overset{\prime}{7}$. 9. $\overset{\prime}{10}$. $\overset{\prime}{16}$. 18. 19. $\overset{\prime}{20}$. 21. 28. 30 ==
D'g. Dec.
1.434.

Magna *AB*. 8. W N W 1ˣ, Pruina 29.

☿ Altitud. maxim. 29. 30,1. N N W 1ˣ. } media $29.5.\frac{1}{3}$.
——— minim. 3. 29,1. S S W 3.

Dies frigid. 29. 44. } media $32\frac{2}{30}$.
— calid. 24. 26. Malacia.

Variolæ modò ſunt frequentes, Morbi colici plurimi multo cum Angore Ventriculi, ac Vomitione.—Haud pauci Apoplexiâ perculſi ſunt. Morbi Hypochondriaci & Hyſterici undiquè.—Canes rabidi paſsìm. Aviculæ perplurimæ pereunt inter Plumas exeundas. Vix

 vides

vides Papilionem—rarò audis Cicadam, adeò triſtis fuit Tempeſtas Menſis Initio.

SEPTEMBRI.

Parùm fuit conſtans hoc Menſe, ventus ab occidente, tamen plerumque Barometer; nec multum elatus nec valdè depreſſus—Medio *Septembri* Apricitas, Pluvia parca. Sub Finem perplurimæ denſæ Nebulæ—Maxima Pruina atque Glacies 22. 26. 27. 30.

Totum Cœlum etſi nubilum luminoſum Noctu 7 & 8; undè neſcio.

Pluvia $\overset{//}{\overline{1}}$. $\overset{/}{\overline{5}}$. $\overset{//}{\overline{6}}$. $\overset{/}{\overline{7}}$. $\overset{//}{\overline{8}}$. 9. 11. 12. 15. $\overset{/}{\overline{20}}$. 21. $\overset{/}{\overline{24}}$. $\overset{/}{\overline{27}}$. $\overset{//}{\overline{28}}$. 29
Dig. Dec.
= 2.306.

Max. Barom. Altitud. 13. 30.0. W N W 1ˣ. } media $29.6\frac{3}{28}$.
Minim. ———————— 7. 29.1. S 2.

Dies frigid. 27. 54. N E 1. } media $41\frac{4}{28}$.
— calid. 5. 35. E S E 2.

Variolæ paſsìm, jamque Indolis pejoris: Infantes & juniores innumeri Puſtulis, Tineâ, & Achoribus vexantur. Icterus valdè frequens. Febres aliquæ putridæ, Puſtulis urentibus aquoſis comitatæ——Hæmiplegiæ aliquæ, & Paralyſes. Morbi Hypochondriaci plures. Morbus Colicus cum magno, & pertinaci Stomachi Angore plures torquet; horum Alvus eſt plerumque valdè aſtricta; bilioſa multa, ac porracea vomunt.

OCTOBRI.

Venit ab Oriente Ventus toto hoc Menſe, nunc ad Septentrionem, nunc ad Auſtrum declinans, iſque ſæpè velox valdè—Aër fuit plerumque ſiccus haud rarò gelidus admodùm, ad Finem acre Gelu.

Pluvia 3. $\overset{////}{\overline{4}}$. $\overset{//}{\overline{5}}$. 6. $\overset{//}{\overline{7}}$. $\overset{//}{\overline{8}}$. 9. 12. 23. 24. $\overset{//}{\overline{26}}$. $\overset{///}{\overline{27}}$. 30. Dig. Dec. = 3.060.

Procella 8 Noctu E 4_x—13 toto Die E b S 4_x—14 p. m. E b S 4 levis *AB.* 12 H. 8. E N E 2.

☿ Altitud.

☿ Altitud. maxim.	18.	30,0.	E 3ˣ.	media 29.7.
——— minim.	26.	29,0.	E S E 2ˣ.	
Dies frigid.	30.	64.	N 1ˣ.	media $49\frac{13}{30}$.
— tepid.	2.	40.	E S E 1ˣ.	

Variolæ paſsìm; Pleuritides & Peripneumoniæ aliquæ, Tuſſes Aſthmaticæ laborioſæ frequentes—Rheumatiſmi multi Colica bilioſa, haud raro, nec Icterus.

Morbus phreneticus inter Equos—Horrent primò, & tremunt plurimùm; mox triſtes fiunt ac ſomnolenti: Deìn phrenetici imò furioſi quaſi pauloque pòſt occidunt.

NOVEMBRI.

Ad Diem *Novembris* undecimum permanſit Ventus Orientalis, ad Finem etiam recurrit, intermedio, autem Tempore, Libs, aut Còrus—Atmoſphæra porro ſæpè humidus valdè, ſubſidente tandem plurimum Baroſcopio.

		/	//	/		//	//		//		///	//	//		///
Pluvia	1.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	20.	21.	22.	23.	24.

Nix 1. Grando 20. 25 = 3.510. Dig. Dec.

AB. levis 7. H. 9. E b N 1—Magna 30 Veſperi E N E 2.

Gelu acre Menſis Initio, & ad Finem.

Procella 16. p. m. S W b S 4_x—20 p. m. S S W 4—21 Manè S W b W 4_x—22 p. m. S W b W 4_x—Fluctus immenſi, & Maris Æſtus maximè inundans 21—Fulgur & Tonitru ſæviſſima 21 ab H. 3. p. m. ad 6ᵐ Barometro tunc ſubſidente ad 28. 7.—Permagnus Æſtus 24 Veſperi.

☿ Altitud. maxim.	5.	30,4.	N E 1.	media $29.7\frac{10}{20}$.
——— minim.	20.	21,28.7.	S W b W 4.	
Dies frigid.	29.	67.	E N E 2ˣ.	media 57.
— tepid.	15.	49.	W S W 2.	

Variolæ multæ, quædam mali admodùm Moris, ſæpè crudo tantum Ichore ſcatent, ſæpè nigræ, ſeſſiles, ac Petechiis lividis interſtinctæ—Tuſſes Diſtillationes Faucium Tumores, Dentiumque Dolores permultos laceſſunt. Rheumatiſmi, Pleuritides, & Peripneumoniæ aliquæ.

aliquæ. Tormina Ventris haud paucos cruciant, quoſdam Dyſenteria, Aſthma gravis plures.—Anginoſa quædam Febris cum Eryſipelate & Puſtulis plurimis paſsìm ſub Finem Menſis graſſatur.

DECEMBRI.

Per Decembris Initia Aër perfrigidus, Ventus Aquilonius, rigidum Gelu, alta Barometri Statio—à 15 ad 21 Vulturnus cadente Mercurio—Ad Finem Boreas Nix & acre Gelu.

Pluvia 1. 3. 5. 12. $\overset{//}{15}$. 16. 17. 18. $\overset{/}{19}$. $\overset{///}{20}$. 21. $\overset{///}{23}$. $\overset{/}{25}$. 28.

Dig. Dec.
Nix 1. 13. 29. 30. 31 = 2.406.

Immenſi Fluctus *(Boars)* à 18 ad 21. Ampliſſimus Halo circa Lunam H. 9. p. m. 20 S E 2ˣ.

☿ Altitud. maxim. 5. 30,2. N 1.
——— minim. 21. 29,1. S b W 3ₓ. } media 29.7$\frac{16}{36}$.

Dies frigid. 7. 72. N N E 1.
— tepid. 21. 52. } media 62$\frac{1}{2}$.

Variolæ hîc jam epidemicæ, imò & inter juniores frequenter exitiales: Quippè ſæpè crudæ, interdum petechiales: Plurimi Rheumatiſmi acerbi atque difficiles—aliqui inflammatorii ac difficiles quidem Scorbutici & pertinaces admodùm.—Tuſſis & Aſthma valdè frequens, quoſdam cruciat vehementer: Permultæ Diſtillationes cum Faucium & Tonſillarum Tumore moleſtiſſimæ. Tormina bilioſa peſtifera perplurima. Anginæ inflammatoriæ plures premunt, malignæ diræ quoſdam cum Puſtulis puniceis minimis, ſed innumeris.

Dig. Dec.
Tota Pluviæ Quantitas Anno MDCCLI fuit = 38.311.

Finis Anni 1751.

JANU-

JANUARIO.

Incipiente Anno læta Rerum Facies, Apricitas perpulchra, rigidum Gelu, immenſæ Pruinæ, Boreas ſiccus, incepit autem liqueſcere Gelu 7°.—Mox irruit Auſter, decidunt Pluviæ; recurrit Boreas 16° Nubeſque diſcutit; à 18 pluvius Vulturnus, 23 & 24 Boreas iterùm, deìn rursùm Vulturnus, ad Finem Corus.

Pluvia 8. $\overline{9}^{//}$. $\overline{10}^{///}$. $\overline{11}^{///}$. $\overline{12}^{//}$. $\overline{13}^{//}$. 14. 15. $\overline{18}^{///}$. $\overline{19}^{/}$. $\overline{20}^{/}$. 21. $\overline{22}^{//}$. $\overline{25}^{/}$. $\overline{27}^{/}$. $\overline{28}^{//}$. 29. 31 = 4.042. Dig. Dec.

Procella 13 a. m. S 4^x—14 Manè 28. 7 S W b S 4—19 a. m. S b W 4—22 a. m. S S E 4. Maximi Maris Æſtus ac inundantes à 19 ad 23.

☿ Altitud. maxima	4.	30,4.	E N E 2.	media $29.5\frac{2}{29}$.
——— minima	14.	28,7.	S W b S 4.	
Dies frigid.	4.	70.	*	media $60\frac{19}{29}$.
— tepid.	13.	53.	S 4^x.	

Variolæ uſque epidemicæ, ſæpè crudæ, & pravè maturantes, nonnunquam Petechiis maculatæ. Anginæ mucoſæ, atque Faucium Tumores valdè frequentes. Angina ulceroſa imò, & gangrænoſa quoſdam corripit—Peripneumoniæ ac Pleuroperipneumoniæ paſsìm—Tuſſes inter omnes, ſæpè vehementes ſæpè tabificæ. Plurimi Rheumatiſmi valdè acerbi.

FEBRUARIO.

Per Initia *Februarii* Ventus Aquilonius, Aër perfrigidus, Sol ſæpè—Ab 8° Ventus inconſtans valdè, medio Menſe Pluvia multa, & Initio & Fine præalta Baroſcopii Statio, Atmoſphæra ſicca, maximæ Pruinæ.

Pluvia 4. $\overline{8}^{/}$. $\overline{9}^{///}$. $\overline{10}^{/}$. $\overline{11}^{/}$. $\overline{13}^{//}$. $\overline{15}^{///}$. $\overline{16}^{//}$. 17. $\overline{18}^{/}$. 19. 21. $\overline{24}^{/}$. 26. Dig. Dec.
Nix 8. Grando 27 = 2.910.

☿ Altitud. maxim.	28.	30,6.	N 1.	media $29.8\frac{22}{28}$.
——— minim.	11.	29,2.	W S W 2.	
Dies frigid.	7.	71.	E N E 2^x.	media $53\frac{21}{28}$.
— tepid.	26.	52.	S 3^x.	

Variolæ

Variolæ epidemicæ in hoc Oppido; raræ autem per Viciniam—— Pleuritides & Peripneumoniæ plures, Rheumatiſmus torquet plurimos: Angina mucoſa multos, multos etiam inflammatoria cruciat, quædam porrò Anginæ malignæ graſſantur. Morbus Colicus paſsìm, & Icterus. Tuſſes & Faucium Tumores, Dentiumque Dolores valdè frequentes.

M A R T I O.

Ineunte & exeunte *Martio* Pluviæ parùm; Aër ſiccus Gelu interdum & magnæ Pruinæ Ventus ab Oriente; medio Menſe Corus plerumque Pluvia frequens.

Pluvia $\overset{/}{2}$. 4. $\overset{/}{9}$. 12. $\overset{//}{13}$. 14. 15. $\overset{/}{17}$. 18. 19. 22. 23. 24.
Grando 13. 14. 15. 18. 27. Nix 20. 25 = 1.510.

Procella 13. a. m. S W b S 4—16 a. m. N W 4—24 N W 4_x—30 E S E 4_x. Tonitru Manè 24. 15° vehemens Tempeſtas apud *Londin.* &c. uſque ad *Dover* hîc N W 3^x.

☿ Altitud. maxim. 7. 30,4. E 2.
——— minim. 13. 29,2. } media $29.8\frac{3}{29}$.

Dies frigid. 8. 64. E N E 1.
— tepid. 11. 48. W N W 1^x. } media 56.

Variolæ frequentes, aliqui multò pauciores: Anginæ, Pleuritides & Peripneumoniæ permultæ; Rheumatiſmus crucians paſsìm. Tuſſes vehementes undiquè. Aſthma graviſſimum plurimos opprimit. Morbi Colici & aliqui Icterici.

A P R I L I.

Lætiſſima ſæpè Tempeſtas hoc Menſe, & per Initia & per Medium Aprilis, flante utplurimùm Borea ſicco; ab 11 autem ad 14 multa decidit Pluvia, pòſt 20 Corus prævaluit.

Pluvia $\overset{/}{11}$. $\overset{///}{12}$. $\overset{//}{13}$. $\overset{/}{14}$. $\overset{/}{20}$. 21. $\overset{/}{22}$. $\overset{/}{23}$. 24. 25. 27. 28. $\overset{//}{30}$.
Dig. Dec. 2.724.

☿ Altitud. maxim. 16. 30,2. E N E 1^x.
——— minim. 25. 29,2. W N W 3^x. } media $29,7\frac{9}{30}$.

Dies frigid. 1. 62. S N E 2.
— tepid. 10. 38. S W b W 1. } media $47\frac{4}{38}$.

Crebræ

Crebræ adhuc Variolæ hîc & paſsìm; imò & interdum lethales—Icterus frequens, Hydrope plures laborant—Rheumatiſmi, Pleuritides, & Peripneumoniæ plurimæ——Permulti atque etiam adulti Vermibus ſcatent—Tuſſes & Faucium Tumores undiquè.

M A I O.

Varius fuit hoc Menſe Ventus, ſæpè Africus, ſæpè Corus, Eurus ſubindè—Prior *Maii* Pars tempeſtiva ſatìs, poſterior pluvioſa valdè—Sicca Medio, atque tenuis Atmoſphæra, Flatus ab Oriente.

Pluvia 1. 5. 6. 7. 8. 20. 21. 22. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31 = Dig. Dec. 3.328.

Procella 1 S W b W 4_x—31 p. m. S S W 4 Nebula fœtida 19 S S W 2 multa Fulgura Nocte 25 S S E 2.

☿ Altitud. maxim. 12. 29,9. E 2.
——— minim. 21. 29,1. S S W 3. } media $29.5\frac{13}{30}$.

Dies frigid. 3. 49. E 2
— calid. 19. 28. S S W 2. } media $37.\frac{3}{30}$.

Plurimæ etiamnum Variolæ—Multi Rheumatiſmo laborant—Haud pauci Pleuritide ac Peripneumoniâ, Tuſſes frequentes, & graves Aſthmatis Paroxyſmi—Plures Phthiſi Pulmonum contabeſcunt.

J U N I O.

Ad Diem *Junii* decimum quintum Pluviæ parùm—Sol ſæpè calidus, Ventus inconſtans, Auſter utplurimùm—Ab iſto autem Tempore multa Pluvia, Atmoſphæra craſſa valdè, & humida, atque etiam plerumque frigida: Baroſcopii Statio humilis.

Pluvia 1. 2. 3. 9. 10. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 26. 29. 30 = Dig. Dec. 3.286.

Procella 4 primò Manè W S W 4_x—17 Veſperi & Nocte S S W 4_x—18 Manè & ad Meridiem ferè S S W 4. Maxima Diluvia medio Menſe.

☿ Altitud. maxim. 9. 29,9. N N W 1ˣ. } media 29.4.$\frac{10}{24}$.
——— minim. 18. 29,0. S S W 4.

Dies frigid. 20. 40. N N W 1. } media 33$\frac{18}{24}$.
— calid. 15. 26. S b W 2ₓ.

Variolæ epidemicæ frequenter, nigræ, parvæ, malignæ cum Petechiis: Sæpè crudæ admodùm, & aquoſæ prorsùs—Minimè maturantes—Haud pauci Ićtero laborant & Hydrope; multi Colicis Doloribus: Paſsìm Aſthma ſæviſſimum—Rheumatiſmus atque Arthritis multò crebrior ſolito hâc Anni Tempeſtate. Febris anginoſa peſtiferi Moris ſævit plurimùm, præcipuè ſub Menſis Finem hoc in Oppido, nec non apud *the Dock* & in citeriore *Cornubiâ*—Fauces plerumque fœdis & fœtidis Ulceribus eroduntur, tota Cuticula ferè Exanthematibus prærubris turpatur tandemque tota deſquamatur; Febris adeſt haud levis Initio & majore ex Parte Delirium, præcipuè adventante Nocte cum exacerbatur ſemper.——Pertriſtis ſanè ac pluvioſa Tempeſtas magnam infert omnibus & Animi & Corporis Dejectionem.

J U L I O.

Frigidus quoque & pluvius fuit hic Menſis; Aërque ſæpè craſſiſſimus, ſub *Julii* Finem Pluvia graviſſima inundans omnia. Auſter prævaluit à 18 tamen ad 18 Aquilo perpetuus.

Pluvia 1. 3. 4. $\overset{\prime\prime}{\overline{5}}$. $\overset{\prime}{\overline{6}}$. 9. 10. 14. 15. $\overset{\prime}{\overline{16}}$. $\overset{\prime}{\overline{17}}$. 23. $\overset{\prime\prime\prime\prime}{\overline{24}}$. $\overset{\prime\prime\prime}{\overline{25}}$. $\overset{\prime\prime}{\overline{26}}$. $\overset{\prime}{\overline{27}}$. 29. 30 = 2.864. Dig. Dec.

Fulgur & Tonitru ſævum 25 Nocte.

☿ Altitud. maxim. 19. 29,9. N N E 1. } media 29.5$\frac{10}{25}$.
——— minim. 24. 29,0. S 3ˣ.

Dies frigid. 25. 40. S W b W 2. } media 32$\frac{20}{25}$.
— calid. 2. 25. N N W 1ˣ.

Variolæ ubiquè maximè epidemicæ, eæque plerumque crudæ admodùm, aut parvæ, nigræ, & ſeſſiles ſunt, ſanè haud parùm funeſtæ, acri ferè diffluunt Humore, & minimè cocto, Sputa tamen ſunt largiſſima, atque ſæva ſæpè oriuntur Faucium Ulcera.

Febris

Febris anginoſa qualem deſcripſi * 1734 paſsim vagatur, nec non Angina maligna, ſub utriuſque Finem maximus eſt Pruritus per totum Corpus; imò ſæpè intolerabilis tandemque omnis deſquamatur Cuticula; imò & in junioribus ipſæ interdum decidunt Ungues.

Febres Catarrhales ac Rheumatiſmi frequentes: Tuſſes vehementes perplurimos vexant, permultos Aſthma aut Arthritis, haud paucos Tumores Colli, Faucium, Maxillarum etiam, ubi Angina prorsùs deeſt.

In omni Febre quàm maxima eſt ad Exanthemata ac Sudores Diſpoſitio, raroque Fauces non aliquo Modo gravantur—Perrarò jam extrahitur glutinoſus Sanguis—Urina eſt plerumque cruda, quaſi ineſſet tantillulùm Lactis, aut ſubviridis præcipuè Febrium Initio, ſed, quod miror, ſæpè Dyſuriam parit.

AUGUSTO.

Durat uſque pluvia Tempeſtas, licèt enim per Menſis Initia & calida fuit valdè † & aprica ſatìs—Poſt decimum tamen continuæ fermè decidêre Pluviæ, Auſtro plerumque aut Cauro flante; undè frigidus, & valdè humidus Aër.

Pluvia $\overset{//}{1}$. $\overset{///}{11}$. $\overset{/}{12}$. $\overset{//}{13}$. 14. $\overset{//}{16}$. $\overset{/}{17}$. 18. 19. 21. $\overset{/}{25}$. $\overset{/}{26}$. $\overset{//}{27}$. $\overset{//}{28}$. 30. $\overset{/}{31}$ = 3.332. Dig. Dec.

Nebula denſiſſima 10 N W 1_x—29. 30. 31. Fulgura perplurima 11 Nocte—25 primò Manè nec non 25.—Quàm latiſſimus Halo circa Lunam 12 ab H. 9. ad 11 Noctis Grando vehemens admodùm. Grando ſæviſſima 12 Horâ 11â & 12â a. m. W N W 1^x.

☿ Altitud. maxim. 18. 29,9. Malacia. } media 29.5.
——— minim. 25. 29,0. S S E 3^x. }

Dies frigid. 26. 44. N W b W 3^x. } media $30\frac{22}{29}$.
— fervid. 9. 17. E N E 1. }

Maximè adhuc graſſantur Variolæ, crudæ ſunt plerumque, & ichoroſæ; haud rarò autem atræ, ſeſſiles, parvæ, peſtiferæ, accedente

* Vide Vol. I. Menſ. April. † Innumeræ lucidiſſimæ prærubræ Nubeculæ 30 Horâ 10â p. m. ab Horâ autem undècimâ Nocte ad 2m matutinam 31. AB. valdè luminoſa N W 1^x.

ſæpè per Febris Initia prælarga navium Hæmorrhagia, præcipuè verò Menſis Initio, raræ autem fuere Petechiæ.

Febris anginoſa, puſtuloſa, eryſipelatoſa ſævit plurimùm—Multùm porrò Angina maligna—Choleræ plurimæ paſsìm—Torquent etiam perplurimos Arthritis & Rheumatiſmus—Tuſſes & Faucium Tumores innumeri—Febres aliquæ putridæ, lentæ, remittentes ſine Puſtulis aut Apthis. Contriſtantur maximè omnium penè Animantium Genera, infauſtiſſima Meſſis—Fructus fatui & crudi prorsùs, corruptum Squalore humido eſt Frumentum.

SEPTEMBRI.

Nulla Pluvia per ſex ultimos *Septembris* Dies; ſed Apricitas pulchra, Euro flante; Libs frequens antè, & Pluvia, Atmoſphæra valdè humida.

Pluvia $\overset{\prime}{1.}$ $\overset{\prime\prime}{2.}$ $\overset{\prime}{14.}$ 16. 20. $\overset{\prime\prime}{21.}$ 23. 24 = 1.142. Dig. Dec.

Ampliſſimus Halo circa Lunam 20 H. 10 p. m. N W 2—Parvus at valdè igneus 22 H. 9. p. m. W N W 1. Nox procelloſa 21 S S W 4_x.

☿ Altitud. maxim.	27.	30,0.	E 2_x.	media $26.9\frac{14}{19}$.
——— minim.	1.	29,2.	S W 3.	
Dies frigid.	14.	40.	S S W 2.	media $33.\frac{11}{19}$.
— calid.	29.	28.	E S E 1.	

Variolæ uſque epidemicæ, quædam ſatìs benignæ, quædam crudiſſimæ, aquoſæ nec maturantes unquam ſed in Veſicis prælargis faceſſentes Cutem erodunt; aliquæ magnâ Narium Hæmorrhagiâ ſtipatæ; paucæ autem Petechiis, undè ſanè neſcio.

Diarrhœa atque Tormina perplurimos exercent, nec non Tuſſes acerbæ ac Coryzæ: Rheumatiſmi multi.

Febris anginoſa puſtuloſa graſſatur adhuc plurimùm: Eſt etiam Angina maligna ulceroſa perfrequens, putridâ cum Febre, fœdiſſimo Spiritus Odore, Vomitu, Alvi Fluxu, imò & interdum Faucium ipſâ Gangrænâ——in Morbo utroque facilis Puſtularum, Sudorum, aut Exanthematum, Eruptio, magnâ conſequente Cuticulæ Deſquammatione,

tione, funeſta ſanè ſunt Signa, nefaſta perarida Cutis aut lividæ Puſtulæ. Tempeſtas eſt infauſta admodùm Tabidis.

OCTOBRI.

Ineunte & etiam exeunte *Octobri*, Cœlum ſerenum & Aer tenuis fuit. Ventus Borealis vel Orientalis plerumque prævalebat—— Maximæ ſæpè Pruinæ—Paululùm Pluviæ toto Menſe; quamvis Octavo Die, & decimo etiam furit Procella Pluviæ, & Grandinis, Vento à Noto & Occidente flante—Permagnæ Rorationes, 18°, 19°, xxiv°. xxv°, xxvii°, et trigeſimo, manè.—

Pluvia 6. 7. 8. $\overline{9}$. 14 = 1.264. Dig. Dec. (''' over 9)

Maxima Pruina Die 2do.—

Levis *AB*. 2° & 14°—W N W_x—Magnus Halo circa Lunam 19°.

☿ Altitud. maxim. 31. 30,4. N E 1.
——— minim. 11. 29,4. S S W 1x. } media $29.9\frac{12}{30}$.

Dies frigid. 22. 54. E N E 1.
— tepid. 18. 42. W b S 1. } media $41\frac{22}{31}$.

Variolæ adhuç epidemicæ undiquè ferè. Quædam mites: Quædam crudæ, malignæ——Quædam aliæ peſtiferæ cum Petechiis, & Hæmorrhagiis. Plures Anginæ malignæ etiam, & inter Adultos—Aliquæ longè plurimæ Febriculæ anginoſæ, puſtuloſæ. Innumeri correpti levi Anginâ, Coryzâ, Fauciumque Tumore. Medio Menſe ob Pruinas, et Nebulas gelidas Rheumatiſmi multi, & Tuſſes populares.

NOVEMBRI.

Nubilus erat hic Menſis, et Aër craſſus: Ventus mutabilis—Initio Septentrio, aut Aquilo ſpiravit. Sæpè Libs, atque Auſter—Dies octavus & decimus maximè procelloſi—Viceſimo 2° Gelu acre manè; Pluvia tamen perpetua ab Horâ 5° p. m. Sol ſubindè a. m. Levis *AB*. ultimo Die—Sub Finem Menſis Boreas & Septentrio prævalebant.

Pluvia 7°, $\overline{8°}$, 9°, cum Grandine Nocte $\overline{10°}$, $\overline{22°}$ = 1.682. Dig. Dec. ('' over 8°; ''' over 10°; ''' over 22°)

Maxima Roratio 2°, Pruina 4°.

☿ Altitud. maxim. 26. 30,5. N N W^x.
——— minim. 10. 29,2. S W 4. } media 29.9$\frac{18}{29}$.

Dies frigid. 21. 66.0. E N E 1^x.
——— 8. 46.0. S W 4_x. } media 52$\frac{8}{29}$.

Variolæ adhuc epidemicæ, ſæpè verrucoſæ, paucæ cum Petechiis—Leves Anginæ innumeræ etiam inter Adultos, & in his quoquè ſemper ferè cum Puſtulis. Perplurimæ etiam, & epidemicæ adhuc Anginæ malignæ pluresque jugulant. Eryſipelatoſæ ſparſæ cum Puſtulis interdum graviſſimis Apthis ſtipatæ, & Narium Ulceribus.

Vix ſanè ulla Febricula occurrit, cujuſvis Generis ſit, niſi Puſtulis aut Apthis conſequentibus—Perplurimi Phthiſi Pulmonari laborant. Tuſſes ubiquè ferè apud omnes, plùs minuſve—Aſthma graviſſimum paſsìm frequens.

DECEMBRI.

Varia fuit Tempeſtas, & Ventus mutabilis toto hoc Menſe. Initio Aër tenuis, Gelu rigidum, & maximæ Pruinæ; Aquilone, vel Septentrione dominante. Circa Medium Caurus, aut Africus ſpiravit, haud parcâ decidente Pluviâ—Ad Finem recurrit Aquilo, vel Septentrio, comitante Gelu.

Procella xi. Horâ 3^a p. m. ☿ 29. 1. W S W 3_x. Halo maxim. alb. xx.

Pluvia 8. 10. 11. 13. 15. 21 = 1.532. Dig. Dec.
(marks above: /// // // /// ///)

☿ Altitud. maxim. 2. 30,7. N E 1.
——— minim. 10. 29,1. S W 3. } media 29.8$\frac{8}{31}$.

Dies frigid. 30. 72.0. E N E 2.
— tepid. 15. 52.0. W S W. } media 58$\frac{16}{31}$.

Variolæ adhuc epidemicæ. Quædam valdè benignæ—Quædam crudæ, confluentes, ſeſſiles—Quædam parvæ, atræ cum Petechiis: Cruſtæ diu inhæreſcunt. Angina valdè maligna frequens. Jam Eruptio non eſt tantùm ſcarlatina, ſed interdum Eryſipelatoſa. Rheumatiſmi & Morbi Colici paſsìm. Tuſſes innumeræ—Tumores Faucium, Colli, & Capitis undiquè. Plures Phthiſici moriuntur.—

Finis Anni 1752.

EXCERPTA

EXCERPTA QUÆDAM
HUXHAMII
IN ACTIS PHILOSOPHICIS
REG. SOCIETAT. LONDINENSIS
OLIM EDITA,
ET NUNC INDE RE-EDITA
A
J. COR. HUXHAM, *AM. R.S.S.*

VIRO AMCISSIMO, ATQUE ERUDITO

RICHARDO BROCKLESBY, *M. D.*

R. S. & C. M. LONDIN. SOCIO,

HÆC EXCERPTA

IN PIGNUS AMICITIÆ

INSCRIBI VOLUIT

EDITOR.

CASUS Rariſſimus. Ex Epiſtolâ Doctiſſimi Viri J. Huxham ad Gul. Rutty, *M. D. R. S.* Secr.

NIHIL ferè quàm in Pelvi Renali & Urinariâ Veſicâ Calculos invenire frequentius: At quis unquam in ipsâ Urethrâ Calculum Ponderis Unc. quinque cum Semiſſe invenit? En ideò Caſum planè mirandum.

Viginti abhinc Annis Penis cujuſdam *Cookworthy* ob Luem Veneream, ad Modum quaſi Eunuchi Turcici, reſectus fuit: At Vulnus nec probè curavit Chirurgus, nec benè ſanavit; Cicatrice quippè obductâ vix ullum Urinæ Iter, Urethra penè occluſa. Lotium exindè exiguiſſimo Rivulo ſummoque Niſu reddidit; brevique inter mingendum Cruciatus magnus acceſſit: pauloque poſt in mediâ, at ſupremâ, Parte Scroti Tumor parvus, ſenſim tamen auctus in magnam demùm excrevit Molem, lævum ad Inguen quaſi vergens. Hinc Urinam ejaculandi impotens prorsùs factus Stillicidio ejus continuo laboravit. Sed neque hâc Viâ, Urethræ ſcilicèt, omnem emulxit; enatis enim tribus quatuorve in Scroto Fiſtulis, Pars fortè maxima Lotii ex hiſce defluxit, Pure ſubindè comitante. At ne ſic quidem Tumor, jam admodùm durus, vel minimè decreſcebat, quinimò increvit uſque.

Dira hæc intèr Tormenta cùm per plures jam Annos Miſer hic, neglectus omninò, miſerrimam pertraxit Vitam, ad noſtrum Noſcomium tandem delatus fuit. Ibi Menſe *Julio* elapſo, quum ſummo niſu Urinam, ſolito quod dixit ardentiorem, expellere, Corpus incurvando maximè, contenderet, ingens hic prolapſus eſt Calculus, quem jam Tibi miſi; qui recens excretus Uncias quinque cùm Semiſſe Ponderis *Avoird.* pependit. Eum mihi properè, quaſi Monſtrum quoddam, mitti curabant Noſcomii Rectores. Rem certè quod debui planè mirabar Hominemque inviſebam, continuò lacerum

 inveni

inveni Scrotum, jam minimè tumidum, Manum puerilem facilè admittens, & ex Urethrâ Calculum elapſum fuiſſe deprehendi *.

Atqui id forſan haud parùm Miraculo adjiciat, quòd magnum hoc lacerumque Vulnus Balſamo quodam Terebinthino tantùm oblinendo brevì ſanum evaſit, ni quòd parva adhuc pateat Urinæ Fiſtula in ſuperiore Parte Scroti. Atque Miſellus Ille, cui ante Excretionem Calculi vix ulla ſe movendi Potentia, commode jam ſatìs obambulabat.

